


GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 183, Stück 1, [1] - -

PUBLIC DOMAIN

Leibn. Marg. 183

Schrift u. Unterstreichungen von Leibniz auf S. 313.


8.24.36 64.65.66.76.86.88.90. 316, 318, 334 (341) 335, 354 ||, (354-362) (364)
97.99.115.120.132.138.
164.183.191.211.222.223*
246.250.251.253.255.261

Niedersächsische
Landesbibliothek
3 Hannover
Am Archive 1

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 183, Stück 1, [2] - -


PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 183, Stück 1, [3] - -


PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 183, Stück 1, [4] - -


PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 183, Stück 1, [5] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 183, Stück 1, [6] - -

PUBLIC DOMAIN

CONCORDIA SCIENTIÆ CUM FIDE,

E difficillimis

PHILOSOPHIÆ ET THEOLOGIÆ SCHOLASTICÆ

Quæstionibus concinnata:

Atque ad claritatem firmitatemque haud paulo majorem, quam quæ ab obscuris Scholasticorum Principiis, & incertis Placitis sperari possit, revocata.

Oratione vero perpetuâ & naturali doctrinæ methodo à notis ad ignota progrediendo deducta:

Libris autem quinque comprehensa,

Quorum { Primus de CORPORE. / Secundus de INCORPOREO. / Tertius de DEO. / Quartus de CHRISTO. / Quintus de ANALYSI.

Λογισμὸς καθαιροῦντες, & πᾶν ὕψωμα ἐπαιρόμενον κατὰ τῆς γνώσεως τοῦ Θεοῦ.

Consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, 2. Cor. 10. 4.

Barton

AUTHORE


THOMA BONARTE NORDTANO, Anglo.

COLONIÆ, 1664.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 183, Stück 1, [7] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 183, Stück 1, [8] - -

PUBLIC DOMAIN

LIBER PRIMUS,
DE
CORPORE.

§. 1.

ORDIAR à notione facillima juxta ac frequentissima, qua rem quandam quoquoversus extensam animis informare singuli, natura non disciplina, jam tum à prima usque didicimus pueritia. Hanc equidem notionem, remque ei subjectam significatam volo, quotiescunque Corporis nomen usurpo. Si quid igitur quoquoversus extensum esse constat, id ego Corpus appellatione propria vocandum esse profiteor, neque si vicissim Corporis appellatione quippiam nuncupandum occurrat, quoquoversus extensum diffitebor, hac insuper extensione quod vel natura sua carens, vel aliena virtute quomodolibet spoliatum appareat, illud ego nusquam Corpus nominandum assentiar. Quoniam autem rei cujuspiam notionem, ac nominationem oppugnare non possis, nisi eam vel obscuram, vel novam, vel fallacem ostendas, huic quid opponas nihil invenies. Quam obscuritatis nemo ne quidem per calumniam hactenus accusare sit ausus, ne nihil uspiam clarum esse, & evidens cogeretur asserere, si quod naturæ solius magisterio tam promptè perdiscitur, quodque nullo non loco, & tempore, non visione tantum, sed tactione, omnium animis tam altè imprimitur obscurum esse fateretur: neve Geometriam scientias inter omnes evidentiæ laude conspicuam tam operosa demonstrandi peritia nihil puræ, & perspicuæ cognitionis suppeditare concedat, quippe quæ à turbido, & cænoso fonte scaturiat. Satis enim constat ex ea corporis notione quam ponimus, Geometrarum omnem velut à prima origine promanare scientiam. Neque minùs manifestum est, qui rei cujuspiam informationem animo obscuram, atque implicatam habuerit, ei spem nullam esse, ut inde vel clarum aliquid hauriat, vel explicatum evolvat, Obscuritatis igitur ista corporis definitio, haud sane merito insimulari potest, & multo magis immeritò Novitatis. Hanc etenim solam apud veteres ita invaluisse Philosophos, in veterum lectione versatus intelliget, ut aliam illis vel in mentem venisse suspicari nequeat, tum quia nulla inter eos hac de re concertatio, tum quia nulla cur à communi diversam fingerent, occurrebat occasio, quam ex Religionis nostræ mysterijs Recentiores arri-

Vera Notio Corporis.

Epiſt. 28. arripiunt: tametſi Auguſtinus illorum ſi quis alius apprimè gnarus, haud veritus notionem corporis extenſione concludere, animamque extenſionis expertem è corporum cætu ea lege ſecludere. Hoccine D. Thomæ incauto excidit? *Corporeitas nihil aliud eſt quam tres dimenſiones.* Tum eo ipſo libro quo Ethnicis litem intendit, tam cauſæ immemor eſſe potuit, ut verbulum pateretur elabi, quo ad Myſteria carpenda velut anſam porrigeret adverſariis? Huic tamen Definitioni & falſitatis, nec non erroris, hoc eſt, pubeſcentis hæreſis notam aſpergunt. Scilicet diſputationibus Topicis non modo bilis ad jurgandum accenditur, ſed mentis acies ad videndum acuitur. Nunc enim, quod alios latuit, notionem corporis ſpeciosâ claritatis, & vetuſtatis imagine fucum improvidis feciſſe conſpiciunt. Quamobrem? Quia ſi corpus ſit extenſum, erit etiam id quod quantum dicitur. Prorſus. Hoc igitur quantum, erit hoc tantum extenſionis. Planiſſimè. Corpus itaque in ſpatium nec minus contrahi, nec majus expandi poterit. Rectè colligis. Quonam igitur modo verum Chriſti corpus Euchariſtia fidelibus exhibet? Hoc opus, hic labor eſt; neque enim *Rari*, & *denſi* variatio ſollicitos habet, cui explicationem afferri poſſe commodam non deſperant. Alterius vero tuendi ſpem omnem abjiciunt, niſi corporis definitione priſtinâ è ſcholis ejectâ, nova cudatur, quam ſi minus dignitate ſuâ, multorum tamen authoritate firmatam, veluti monetam recentem Reipublicæ conſenſu ſignatam rejicere nullus audeat.

4. con. gent. c. 81 ad 2.

§. 2. Itaque pro ſe quiſque ingenij, induſtriæque nervos intendit, ut aliquid tandem definitioni veræ ſuccedaneum expromat. Alius non quidem extenſum, ſed ne ab extenſo, quod corpori tam conjunctum intelligit, longius abſcedat, id corpus appellat, quod extenſionem, repulſæ tamen patiens, cupidè ambiat, hoc enim pacto Chriſti corpus non ſolum minimo, ſed nullo ſi libuerit ſpatio concludent, immo totum in toto, & totum in qualibet parte conſtituent, quod oppidò neceſſarium arbitrantur. Sed quid extenſio? Quantitas cujus opinor velut olei cujuſdam infuſione res inextenſa laxatur, atque diſtenditur. Quid porro quantitas? Eſt id quod eâ vi, quæ in extenſum expandat, polleat. Sed quidnam obſecro eſt illud, *Id Quod*, qualis nam *ea Vis*, quam prædicas? Aveo enim intueri tam mirum, rarumque ſpectaculum, rem quantillo ſpatio minorem fermento Philoſophico tumefactam, nondum enim ullam in re penitus inextenſâ capacitatem animo poſſum capere, quâ extenſionem ſibi vel intruſam, vel infuſam, vel inſtillatam accipiat. Utrumque, fateor, mihi pariter ignotum, tum *Id quod*, tum *Id quo*, tum etiam modus ipſe, *quo* res extenſionis expers in molem turgeat. Prome tandem Unguentum illud Chymicum Thaumaturgicum quod tam pulchro verborum Myrothecio celatum geſtitas, quo delibuta potentialitas illa tua contracta, & corrugata laxetur, & niteat, ſeque, potentialitatis vinculis expedita diſpandat. At craſſiora ſunt iſta, at de corpore craſſo loquimur. Pari autem

Falſæ definitiones per Extenſionem Potentialem, perque Diviſibilitates, & impenetrabilitates, & ſenſibilitates Potentiales, non actuales, perq; dependentiam à materia.

mentis

mentis ſtupore ſubtilia craſſis, & craſſa ſubtilibus coaptantur. Tu tuo acumine præſtas utrumque, Corpus modò in minimum, modo in nullum ſpatium contrahis, Angelum per regionem latam ubicatione diffundis, animamque, ut corpus impleat, cum eodem quodammodò tumeſcentem effingis. Cæterum hoc loco haud aliter ac qui venenatis venenum extrahunt, Euchariſtiæ myſterium alio Myſterio quantitatis explicas; Quod cum per ſe altero obſcurius ſit, tum ſupra quam cogitari poſſit obſcuriſſimum reddis, cum quantitatem ipſam quâ Chriſti corpus extendi fingebas, extenſione nudatam in Euchariſtiâ proponis. *Si ſal infatuatum fuerit, in quo ſalietur?* Si extenſio ipſa extenſione privetur, *projiciatur ſane foras & conculcetur ab hominibus*, qui ſe rationis uſu homines probare queant. Sunt qui corporeum appellant quod modo quodam pendeat à materiâ, hanc autem materiam ita ornamentis omnibus exuunt quibus ſenſui vel menti placeat, ut nullum eâ turpius monſtrum Philoſophia recens effuderit, de quâ ſat multa poſteriùs. Alij porro quo longius ab extenſionis contagio recedant, quam veluti fidei peſtem exhorreſcunt, ad impenetrabilitatem, aut diviſibilitatem, aut ſenſibilitatem refugiunt, ita tamen ut corporis naturam nequaquam in iſtarum poſſeſſione, ſed appetitione conſtituant. Corpus enim Chriſti haud ſemel ſic in alia peneſſe autumant, ut iiſdem locorum ſpatijs contineretur, tum in Euchariſtiâ neque diviſioni obnoxium putant ipſi, neque ſenſibus obvium quiſpiam putavit, à quibus etiam aliàs aliquando ſubductum eſſe conſtat. Certe ſi conſentanea principijs loqui vellent, Angelum etiam non naturam individuam, perque omnia ſubtiliter penetrantem, ſenſuſque latentem, ſed iſtarum perfectionum decora vindicantem dicerent, quique proinde ſi res poſtulet, inſtar corporis dureſcere, dividi, ac ſentiri ſupremæ poteſtatis imperio non recuſet. Et jure quidem potiore, major enim eſt in rebus minus cognitis fingendi licentia. Itaque Poetæ fabulas arceſſunt ab eo ſæculo quod Olympiades, hiſtoriæ græcæ Epocham, anteceſſit, ne ſcriptorum monumentis evictæ, non fidem modò, ſed plauſum amittant. Si mira, ſi incredibilia, ſi ab omni ſenſu, & ratione remota fingere lubet, quid rem, quæ omnium manibus teritur, portentoſis definitionibus deformandam aſſumis? An notionem clariſſimam tot ſæculis inolitam, atque omnium mentibus à naturâ quaſi inſitam Logicorum argutijs extorquendam putas? Quâ quidem evulsâ nulla non ſcientia quæ de rerum naturis cogitat, radicitus extirpatur. Omnes enim ab aliquâ notione primariâ, eàque perſpicuâ ſic tanquam à radice progerminant. Hanc corporis extenſi notionem, (quâ poſitâ nihil non quod ad corpus attinet clare perſpicies explicatum, quâque ſepoſitâ obſcura omnia & incerta videmus) ſi tollas è medio, nullam cujuscunque naturæ definitionem firmâ, miniméque vacillante mente retineas. Ubique ſuſpicax, & anxius hærebis, num fortè quid lateat occulti, quod noſtris tametſi clariſſimis repugnet notionibus.

§. 3. At

Ignorantiam obtentu fidei tegũt non sine fidei, scientiæq; dedecore.

§. 3. At fides anteponenda scientijs. Tecum sentio, & cur ita sentiam, alibi dicam. Idem tamen penitus persuasum habeo, fidei interesse plurimum, si concordare scientiæ demonstretur. Neque illud ab ijs expectandum, qui, dum notionibus claris obscuras subrogant, scientiæ fundamenta convellunt. Fac primam notionem minùs esse dilucidam, reliquas autem omnes & ordinatim, & evidenter à prima deductas, demonstratum nihil fuisse concedes. Sin autem nec prima perspicua, reliquæ vero cum perinde obscuræ, tum nullo vel inter se, vel cum prima nexu conjunctæ, sed tumultuario disputandi impetu temerè congestæ, ecquæ scientiam cum fide conciliandi fiducia, cum scientiam funditus eversam videas? quâ tamen arte scientiæ illius tela texi-
Matt. 23 6 tur, quâ Doctores hoc tempore *magnificant fimbrias*, & *cathedras primas ambiunt*. Fundamenta, inquiunt, scientiæ à fide petimus. Non fundas scientiam, sed cum fide confundis. Num claritate solâ nititur, quam authoritate fundatam ponis scientiam? Commiscere pergis quæ conciliare debebas. Cave autem quisquis es qui talia moliris, ne Philosophiam subornatam, atque ad prævaricandum instructam videaris inducere. Satius esset ingenuè fateri nil te de rerum naturis intimis exploratum habere, quam depravatas earum notiones, velut exploratas obtrudere. Nonne hoc vafritiem subolet? Si corpus sit extensum, nescio quo pacto Christi corpus in Eucharistiâ constituam. Fingam igitur aliam notionem corporis quam licet turbidam, & insipidam adolescentes ut imbibant, alijsque propinent magnis clamoribus cogam. Alia non pauca quæ majorem nauseam pariant tantillo Dialectici salis aspersa avidè sorbent. Tum per longum, tenebrosum, salebrosum, anfractuosum iter diuturnâ & lassitudine, & caligine, & vertigine cæcos ad Eucharistiæ mysterium contemplandum adducam, cumque multo studio ea ignorare didicerint, quæ pueris sine studio notissima erant, ut inter rem & nihil, existentiam, & possibilitatem, substantiam & accidens, cognitionem & cognitum, permixtis jam diu proprietatibus, vix, aut ne vix quidem discrimen inveniant, facile sibi, confusis corporis & spiritus notionibus patientur illudi, quibus ubicatione spirituali corpus quomodolibet formari, locari, transportari posse suadebo; neque verendum erit ne iter quo in tantas seducti sunt tenebras, viribus ingenij debilitatis, & obcæcatis relegant, quod integris tanto labore & tædio factum meminerint. Negas à te isto dolo malo agi. Credo equidem, qui quod agis insciti potius, quam astutiæ tribuam; sed utriusque te & suspectum, & postulatum à malevolis scias velim, neque aliâ re ullâ, quantum hujuscemodi Scholasticorum explicationibus à naturâ corporis alienis diviniſſimi Mysterii sanctitatem profanæ Hæreticorum prostitui petulantiæ.
1. 4. n. 13. Quorum procacitatem inferius repressam videbis, cum veteri, & à nemine
&c. non intellectâ corporis notione retentâ, neque ullo modo vel distorta, vel leviter inflexa, in Eucharistia panem absentem, Christum corpore, anima,

Di-

Divinitate præsentem, totumque Transubstantiationis negotium ea facilitate transactum, ut non rationi tantum, sed & Ecclesiæ tum veteris, tum recentis authoritati congruere longè aptiùs quam quæ vulgò dicuntur, videris. Quare suppositicias aliorum definitiones cur sigillatim impugnem causam nullam reperio, cum singularum authores se mutuis vulneribus jugulent, neque eorum ullus larvâ detractâ aliam profiteri novæ in Philosophia definitionis originem, quam antiqui in Ecclesiâ mysterij defensionem audeat. Nisi quis corporis naturam in occulta quadam extensionis capacitate, non autem in extensione manifesta constituat, quod ceram licet raritate, aut densitate mutatam, ceram tamen eandem nominemus, eaque re naturam ab extensione diversam esse, quòd extensione variatâ, eadem ipsa permaneat. Quasi verò tanta verborum copia suppeteret, ut res quæque quantumvis alteri persimilis singulare sibi nomen arroget. Ceram igitur eodem nomine designamus, atque eandem specie esse dicimus, quoad usque aliam sui speciem longe dissimilem sensibus offerat: reipsa diversam nemo negaverit qui particulis admissis inflari, expulsis contrahi intellexerit, sed de his aliàs.

Postulata & Monita.

§. 4. Nunc quod æquissimum est lectorem postulo, ut Corporis extensi definitioni tanquam claræ, & facili, vel addicta, vel suspensa tantisper sententia faveat, neque novæ & periculosæ temeritatis, inaudita causa, ideoque iniquissima temeritate condemnet: tum ne notiones obscuras, quamdiu non obscuræ suppeditant, irrepere in animum patiatur, cum neminem videat subsidio vocare qualitates occultas, dum earum, quæ manifestæ censentur, auxilio tueri se posse arbitretur, deinde ut veris vera connecti, dum clara claris annectuntur, intelligat, aut si hoc minùs intellexerit quòd talibus legendis parum assueverit, saltem clara pro veris accipiat, donec cum ijs quæ certissimam veritatem habent apertè pugnare cognoverit, neque me sciendi claritate firmitati credendi insidias struere, sed firmamenta construere velle judicet. Malo enim scientias omnes pessundare, quam vel unum Catholicæ Romanæ fidei labefactare Mysterium. Denique ut librum hunc vel ex hoc loco potius non lectum abjiciat, vel eo quo scriptus est ordine totum perlegat. Partes enim à se mutuo aptæ pendent: Non ea re quod priora intelligi nequeant, aut fidem non faciant antea quam posteriorum notitiam adeptus fueris, quo vitio, licet in Scholasticorum, atque aliorum fere omnium scriptis (Mathematicos excipio) frequentissimo, turpius nihil, magisque præposterum in doctrina tradenda cogitari potest; sed quia præcedentia licet prius vel perspecta, vel probata fuerint, mirum in modum tamen illustrantur consecutione sequentium, atque utrisque ex connexione, & proportione mutua splendor accedit; nam vel hæc ipsa quæ de corpore mox subjungam, tametsi nativa quadam claritate, & deductione perspicua fidem faciant, longe tamen firmiore persuasione tenentur, cum quæ ex illis sequuntur, perque illa sol-

la ſolvuntur, & explanantur, tum quam mirè corporei, & incorporei etiam cum diſcrimine maximo Analogia reſpondeat mente revolvimus. Quod ſi primis præteritis ad ſingularem aliquam quæſtionem, ut infiniti, unionis hypoſtaticæ, Trinitatis, excurras, fruſtra futurum, idcirco moneo non quò ad libri totius lectionem alliciam, verum ut à lectione inutili, & injucundâ deterream. Alii libri non deſunt, in quibus à quæſtione qualibet prima, media, vel ultima pari tibi jure ordiri liceat. Hic methodo plane diverſa diſpoſitus, ſeu rectè, ſeu perperam ipſe videris, ſi monitus operam perdere velis, utrum ea mea, an tua culpa eſt? Quoniam autem mihi ſæpe cum Scholaſticis res eſt, ab eorum ſermone penitus abſtinere non potui, ſed ab eorundem ſententiis latè recenſendi s abſtinendum eſſe cenſui, utraque de causâ ad hæc tranſigenda lectoris arbitrium in ſchola verſati poſtulo, ad cætera vero quæ principiorum meorum fundamenta totiuſque doctrinæ ſtructuram continent, neminem rejicio, qui indolem ad ſcientias propenſam pariter, & idoneam, & latinæ præterea linguæ uſum attulerit.

§. 5. Age nunc, præeuntem ſequere, ducam te plana via, & plena luce, proprietatem Corporis ordinata ſerie, & conſecutione perſpicua. Corpus igitur quoquoverſus extenſum didiciſti, num quid autem ſine fine? Id fierinè poſſit obſcurum eſt, non neceſſario fieri, aut aliter eſſe poſſe clariſſimum eſt. Termino igitur extenſum ambiri nil prohibet. Quod figura nomine deſignatur. Alia quoque cum aliis vel contactu ſtabili cohærere, vel terminorum disjunctione ab invicem ſeparari, eccui obſcurum eſſe poterit? Separatio vero partium ſeu fiſſione, ſeu ſciſſione, ſeu fractione, ſeu tranſportatione fieri intelligatur, motionis tantummodo variæ notiones, & diverſa nomina intelliguntur. Extenſum igitur eſt figuratum, quietum, & mobile. Numquid aliud? Circumſpice quæſo omnia diligenter, ſi quid amplius appareat quod in extenſione claro mentis intuitu cerni queat. Corpus inquies, etiam calidum, ſapidum, odorum, ſonorum, durum, luminoſum, coloratum ſentio. Itane è veſtigio ad corporis notionem implicatam, ancipitemque divertis? Quærebam ecquid præterea explicata, & dilucida quoquoverſus extenſi Notio monſtraret. Num ab extenſione veluti fonte, caloris, ſaporis, odoris, aut ſoni ſcaturire rivulos intueris, eo modo, quo ab ejuſdem extenſionis origine promanare vidiſti figuram, & motum? Ab his fortè ſuo quemque divortio diffluere poſtmodum cernas, ſin ab extenſione mox veſtigio proximo ad ſaporem, ſonumve tranſilias, argumento eſt, parum in diſponendis ordinata ſerie notionibus exercitatum fuiſſe, ſed vagis, ut fieri ſolet, conjecturis inveſtigaſſe ſcientiam. Viam autem ſciendi didiciſſe à Geometris oportuerat, quare Plato non immeritò, ut Geometriæ ignaros Academiæ ingreſſu interdiceret, Edictum in veſtibulo proſtare voluit. Audi nunc tandem. Paucis docebunt. Quæ notio lineæ? Longitudinis. Hanc quænam terminant? Puncta.

Proprietates Extenſi.

Exemplum methodi veræ è Geometriâ.

Quid

Quid inde ? Quæ inter puncta ex æquo jacuerit longitudo , ea Recta, quæ secus Curva dignoscitur. Recta igitur reliquis ut deviis brevior, ideoque ad punctorum distantiam metiendam idonea ; deinde cum longo similium consecutionum agmine perpendicularem omnium quæ à puncto ad rectam duci possint brevissimam esse demonstrassent , ea mensura puncti distantiam à recta sciebant, tum pari ordine planum binis perpendicularibus, trinis solidum metiri didicerant, unde Philosophi trinam corporis dimensionem hauserunt. Pergamus igitur hac methodo, & quæ quamque notio proximo gradu sequatur animo attento aspiciamus, forte ab obviis ad avia & invia veniemus. Meministine quam brevi Plato facilique compendio puerum ad rem haud sane in medio positam cognoscendam hac via deducat ? qui non tam reminiscentiæ suscitatæ, quod volebat firmamentum , quam acquirendæ scientiæ documentum exhibet. Videsis itaque quænam alia deinceps notionem extensi excipiat ? Terminatio. non est enim necesse sine fine protendi. Quid deinde ? Quæ suis singula terminis circumscripta sunt vel conjuncta quiescere , vel à se mutuò sejungi nil vetat , modò vis movendi non desit ; hæc unde arcessenda sit nondum inquirimus. Quid porro deinceps ? ut omnia extima, intima, media scruteris nihil aliud cogitatione distincta ac delucida præter partium quietum nexum , atque innumerabilem terminationum, ac motuum varietatem in lucem proferes. Quam tantam esse perspicies, ut utriusque tum multiplicitate , tum mixtione, nulla non extensorum quocunque seu genere , seu numero quantumvis immensa disparitas comprehendi queat, iisdemque proinde explicari debeat , cum præterea nihil ab extenso perspicua manet scaturigine, neque è turbido veritatem puram expiscari liceat. Sentis calorem, sentis sonum, sentis saporem. Quid hoc ? certis quibusdam modis te manu , lingua, auribus sentis affici, id vero quod afficit nec quid, nec quale sit persentiscis, ne quidem unde ista procedat affectio sensione tum percipis, sed ratiocinatione postmodum colligis. Cum calorem quippiam esse pronuncias quod eo quo quisque experitur modo manus affici videatur, de affectione non parum experiendo cognoscis, de calore quid nosti ? cum & quid, qualisve sit, & qua ratione illam ipsam pariat affectionem ignores. Unde igitur lucem afferas qua caloris actionem in alia intelligere possis , cum actio in teipsum, qua nihil habes clarius quo reliquorum cognitio paulatim eluceat , in summis obscuritatibus posita sit ? Si quis horologii capsula concluſi nil nisi indicem lento motu volubilem videns , & campanulæ sonitum audiens rei ignarus scire quid de re nova, & curiosa perciperet, tuque rostra conscendens longo sermone , grandi supercilio , atque ingenti clamore vociferans,

Inculcantur eædem proprietates.

Vulgares notiones rerum nihil docent

Exemplo ostenditur.

ciferans, nihil aliud exponeres, quam latere ibi rem quampiam, neve nihil à te dictum existimet, substantiæ, vel accidentis nomen adjungeres, quæ res eam naturam, easque vires haberet, quibus illum motum, & sonum ederet, nonne te insanum qui talia cum tanta pompa diceres, se vero ineptum si diutius garrientem audiret, arbitrari merito posset? His tamen gymnasiorum exedras rumpi, parietes cernas tremere; gemere autem deberent, si pretiosi jacturam temporis intelligerent. Ecquid enim est rerum naturam aventi cognoscere, quid materia, quid forma, quid calor, color, gravitas, levitas, impetus, quid ubi, quando, actio, unio, relatio, hoc solum responsum reddere, esse res quasdam seu substantiales, seu accidentarias, ea quamque naturæ præditam, qua hoc, vel illud constituat, agat, patiatur. Hocque fundamento tam futili exstruuntur vastæ voluminum moles, quibus Bibliothecarum fatiscunt armaria. *Hoc est quod palles, cur quis non prandeat hoc est?* Hanc si vocas scientiam, ego scientias omnes flocci faciam.

§. 6. Confer nunc cum istis extensi figurati, & mobilis notionem. Quam quidem licet absque sensibus habere non liceat, non tamen ad sensum reflexa mens in affectione quam patimur hæret attonita; sed cum extensum figuratum, & motum cogito, rem ipsam intimâ mente contueor, nec quale sit illud quod extensionis figuratæ, & motæ vocabulis indicatur interrogo, cum eam ipse clariùs cogitando exprimam, quam ut ampliorem ab ullius sermone claritatem expectem. Neque fieri posset, ut tam multa de figura Geometræ, de motu Statici manifestâ demonstratione in qua lectoris animus acquiescit ostenderent, si utriusque notio, quæ reliquorum est origo, involuta tenebris delitesceret. Quare licet neminem mihi reperire contigerit qui figuram, & motum à re figuratâ & mobili aptè discerneret, ea tamen re non efficitur, evidentiam quæ ad quam plurima demonstranda sufficiat, defuisse, Tum quia demonstrata cernimus, tum quia non omnia requirimus clarè cognosci, sed illius tantummodo aperta cognitio deposcitur, quæ par sit ijs, quæ quærimus, demonstrandis. Quocunque enim modo distinguenda sit à figurato, & mobili, figura vel motus, id planè cognoscimus, alijs, atque alijs figuris, & motibus aliter impelli, scindi, disponi corpora. Hocque familiari exemplo fiet illustrius. Si trochleis, & rotulis dena millia pondo sustollere promittat Staticus, modo pondo decem quæ imæ appendat trochleæ suggeras, nihil omnino vel operationis, vel demonstrationis interest plumbum, ferrum, an saxum afferas, nec gravitatem ne extraneam, an intraneam substantiam ne, an accidens à substantiâ distinctum asseras. In eo enim est totum ut ex ponderis, & motus proportione reciproca, de-

Motus, & figuræ notiones esse clarissimas.

na

na pondo ex Machinæ ſtructura Millibus denis prævalere cognoſcas. Quamobrem licet figuræ, motuſque ab extenſo diſcrimen ad aliorum quæ nec pauca, nec parva ſunt explicationem apprime conducat, ad ea tamen quæ nunc agimus, cum neque neceſſarium ſit, neque facilitatis quidquam conferat, in locum magis accommodatum differo. n. 27.

§. 7. Jam quia clara via te ducere conſilium fuit, atque ab obſcuris arcere diverticulis, pergendum quà cæpimus, & in ſolis partium connexionibus, figuris, & motibus inſiſtendum, quia hæc clarè, præterea nihil in extenſo perſpeximus. Senſum tuum conſule, ut quibus viribus quæ cadunt ſub ſenſum operentur intelligas. Nonne frictione leni voluptas, durâ moleſtia procreatur? Secto, lacerato, contuſo corpore dolemus, nervo autem vel leviſſime puncto in furorem agimur. Quid in his præter figuram, & motum invenis? Quibus inventis quid aliena ſectaris? Corpora ſonora ſunt tremula, tympanum auris eſt membrana ſicca, tenuis, tenſa, oſſiculis intexta, undequaque ad tremorem fabrefacta. Odora corpuſcula per nares influunt, & volutatione interiorem feriunt tunicam, forte etiam per os foraminoſum altiùs ad cerebrum uſque volitant. Liquor in ſpongioſa linguæ ſubſtantia ſubſidens nervorum ramulos à conjugatione tertiâ propagatos premit. Palati guſtus obtuſior, quod ei duriores conjugationis quartæ ſurculi inſerantur. Hæccine tibi difficilia intellectu? quid qualitates arripis, quarum neque neceſſitas, neque utilitas, neque veſtigium? Eſt ſonus aliquis veluti cum ſerra limatur, qui non auribus tantum, ſed dentibus ingratus accidit. Quam cauſam afferes? an qualitatem ſoni vis mandere, atque admorſu difficilem fingere? Ego tibi ex motu percommodam rationem adducam. Quintum par nervorum in utriuſque auris tympanum, vel auditus organum expanditur, hoc aëris agitatione vibratur, unaque nervus ipſe, aliique eidem colligati quos tertium par ſingulis ſeriatim dentibus diſpertitur, tenerrimique cum ſint facillime noxam accipiunt. Tu quidem ſi dentes inter, & aures ſympathiam intercedere qualitatis adminiculo derivatam, accentu vocis ad ſympathiæ vocabulum tanquam magni Myſterii gravidum, haud leviter intento dixeris, præclarè te hoc munere defunctum putaveris. Sed iter inceptum proſequamur. Quaternis itaque ſenſibus ab extenſi figurati motibus pulſatur anima, atque ad percipiendum impellitur: quicquid igitur ſit anima, quod poſtea haud indiligenter inveſtigabimus, illius indolis eſſe dignoſcitur ut corpuſculis admotis ſic tanquam ſtimulis excitetur.

Anima extenſi figurati motibus per quatuor ſenſus afficitur.

Experimentum de ſono per motum facilè, per qualitatem neutiquam explicabile.

Axioma vulgare de non multiplicandis Entibus entiumque proinde proprietatibus licet faveat, rejicitur tamen quia incertum.

tetur. Jam vero quod toties tibi à Magistris inculcatum est velut axioma passim receptum opinor retines, *Non esse multiplicanda entia sine necessitate*, idque si vim ullam habeat, ad proprietates entium extendi debeat, pari quippe temeritate rem unam pluribus quam probare queas agendi, vel patiendi facultatibus impertiris ac si quippiam in majorem, quam quæ argumentis appareat, rerum multitudinem partiaris. Utrobique enim pariter valet, frustra pluribus fieri, quod paucioribus peræque fieri possit; ita linguam ad loquendum juxta, ac gustandum, & cibum insuper trajiciendum, dentes ad pastum, & sermonem, tum ad respirationem simul & locutionem cernimus à naturâ arteriam asperam, quasi parsimoniæ cujusdam studio fabrefactam, uberemque hujus generis Galenus de usu partium eleganter & peritè differens copiam subministrat. Tametsi quibus id muneris à Republicâ literariâ impositum est ut Aristotelis dicta tueantur, ii curare debeant, ne axima tanto Philosophorum consensu stabilitum, ab Aristotelis opinione dissentiat, qui naturam potius largam, quam avaram cogitat, quippe quæ frugalitatis nostræ legibus, è rerum, & temporis penuriâ natis eximi debeat, atque idcirco non idem à naturâ instrumentum veluti *Gladium Delphicum* pluribus accommodari usibus, sed singula singulis arbitratur.

Quæro nunc abs te cur hoc axioma qualecunque sit ad rem præsentem, quod in aliis omnibus facere soles, applicandum esse non videas? Animam ea facultate præditam quæ motibus excitetur non obscure vidisti, hac facultate comperta, eâ sola contentus esse debes, quoad aliam non quibuscunque ratiunculis oblatam possis admittere, sed argumentis omnino necessariis obtrusam repudiare non possis, Id modo feceris, seipsa qualitatum fuligine mentem absterseris, quippe quas nulla uspiam necessitas coget ascisere. Id autem ut facias non eâ re suadeo quod Axioma illud apud me multum ad persuadendum momenti habeat, cum sit mere Dialecticum non aliqua notione perspicua, verum opinione tantum populari subnixum; sed persuasione tuâ utor, ut qualitatibus saltem ut minùs huc usque necessariis, uti alibi aliis leviore causa soles, carere tantisper velis, quoad earum operam haud ampliùs desiderari posse comperias.

§. 8. Ego vero ita solo motu, & figurâ contentus esse non potero, ut obfirmato animo qualitates à sensu permovendo rejiciam, nisi res ignotas, quod nuper à me factum memineris, penitusque obscuras esse docuero; rei vero ignotæ operam ad ea quis adhibet, in quibus soli notitiæ quærendæ dat operam? Sin autem aliquid haud ignotum occur-

occurrat, illud vero ad id quod proponitur ineptum fuerit, haud minus quam si ignotum esset, abjiciam, nisi quis aratro velum, quod utrumque sit cognitum, velit appendere: Hanc igitur mihi præscribo regulam, si quid ignotum, vel ineptum, eo quidem in nulla re explicando utendum, minùs autem si utroque vitio laboret, minimè vero si quid aliud insuper & notum, & aptum suppetat. Hisque de causis omnibus, neque hoc loco, neque alio usquam qualitatibus utendum scies. Quod si de re quapiam haud amplius pronunciare queam, quam quod absque eâ quippiam haud incommodè fieri, vel eâ tanquam parte carere possit, videndum inprimis artisne, an naturæ sit opus? Si quidem artis; cur frustra fatigem opificem, ut rem mihi longiore tempore, sumptuque majore, ipsaque partium multiplicatione minus usu tractabilem reddat? Cur etiam plures pretio conducam ut id faciant, quod unius perinde fieret opificio? Sin autem non opus artifici ad usum vitæ faciendum imperem, sed ab Authore naturæ factum sciendi studio diligenter explorem, oblata menti causæ cujuspiam, vel partis imagine, utramque si ineptam videro sine morâ rejicio, itidem si ignotam, quia ad scientiam pariendam ineptam: at si nil aliud occurrat, quam quod desiderari posse videantur, hæreo tantisper meque in magnis obscuritatibus versari suspicor. Quis enim id tantùm audeat asserere, non videri necessarium, ut ligone, tanquam arcu, sagittam emittas, vel ut sagittam ligonis partem facias, nisi summa alterutrius, aut utriusque ignorantia? Si quid sciret, quam parum inter se congruant, non nesciret. Quare qui tantopere sudant laborantes, ut quippiam minus necessarium probent, neque ultra pro more procedant, litigandi quidem pueris semina spargunt, sibi vero, nec aliis sciendi vel minimum fructum metent. Immo nec messem illam tametsi tenuissimam, jacturæ certe permulta & præclara nesciendi longè imparem, ut rei ignotæ probent absentiam, aliter sibi quam conjectura quoque tenuissima spondere poterunt. Apparet tibi quippiam ad aliquod naturæ opus minus necessarium. Quid tum postea? Forte ut paucitate rerum artificium, ita ubertate magnificentiam ostentare conditori naturæ placuit. An id tibi superfluit, quo tantæ magnitudinis veneratio in animos nostros influit, nec magnitudinis tantum sed scientiæ? neque enim solummodo artificis innotescit ingenium, cum opus in pauca contrahit, verum etiam cum plura, pluribusque modis multiplici variarum partium compage constituit. Quod, si tibi contigit adnotare quam multa paucis ex humani corporis structura præstentur, quanta etiam varietate partium, una animalium nutritio procuretur, observare potueras.

Quædam plures quam nos, alia dentium ordines nullos habent. Avibus, quibus os, ventriculus, inteſtina, non deſunt, ingluviem fruſtra ſupereſſe, tua conjectura ductus exiſtimare quis poſſet, fruſtra etiam in homine nervi quos vocant recurrentes, quique à tertia nervorum conjugatione capreoli vitis inſtar convoluti mittuntur, tam longo producuntur anfractu, quo breviore ſane compendio præveniſſent. De quibus rationes exquirendo ſi philoſophari libet, fac ut rerum congruitas pateat, non quod aliarum neceſſitas lateat, ſi Philoſophus audire velis. Hæc eo dicta ſunt, ut axioma tam celebre cur uſurpare nolim intelligas; eſt enim incertum, obſcurum, Dialecticum, quod diſputandi ſilvam copioſam afferat, ſciendi vero campum non aperiat; Atque ad eam rem ſolam utile, in qua ſola Philoſophi non utuntur invenio, quod haud abſque neceſſitate moneat, ne de rebus non neceſſariis, non modo futilibus, tot inutilia verba multiplicent. Sed de axiomate vulgari ſat multa diximus, de ſenſibus haud parum dicendum ſupereſt.

Quintus etiam ſenſus motu cietur.

§. 9. Quaternis autem commovendis motus, & figuræ cauſas & claras, & aptas addiximus. Reſtat quintus, quo lucem & colores cernimus: ſed motus & figuræ veſtigium nullum conſpicis. Eſto. Et alia multa ſunt, quæ ſub ſenſus non cadunt. Aliquid rationi dandum, quod ſenſui negatur. Apparent in quatuor, igitur in quinto, licet minus appareant, cogitandum, aut certe ut inveſtigando compareant ſperandum erit. Rectiúſne conjectura ab uno ad quatuor, an à quatuor ad unum derivatur? Aut duplici potius animam facultate donabis, ut alteram extenſum figuratum, & motum, alteram neſcio quid aliud, niſi quod ab illis diverſiſſimum ſciam, & qualitatem vocari audiam, percellat. Quæ cum ſint inter ſe difficillima cur ad animam inſtrumentis tam ſimilibus attolluntur? Nervus enim opticus à reliquorum ſenſuum nervis parum diſcrepat. Eademne machina metalla, & vapores è fodinis extrahes? Quamvis hæc cum corpora ſint, longe minus inter ſe, quam extenſum à qualitate diſſideat. Luminis motum non vides, fateor. At quid ſit moveri intelligis, tum moveri poſſe quippiam licet non videatur intelligis, qualitatem autem illam qua viſionem fieri vis, nec viſione quod ſit, nec ratione quid ſit percipis; æquius ſane fuerit cognitum, non viſum, quam nec viſum, nec cognitum comminiſci. Viſus igitur corpore moto, non qualitate percellitur, luce ſtimulari viſum nemo non videt, lux itaque non qualitas ſed corpus eſt. Idque longe clarius videbitur, ſi quæ qualitati, quæ corpori, quæ luci ſint propria conſideremus, atque inter ſe mutuo comparemus. Quid

Lux eſt corpus motum, non qualitas.

qua-

qualitas? Primo eſt accidens, quia poteſt accidere, ut ab eo, cui adeſt, abeſſe noſcatur. Quomodo adeſt? Eo modo ut inſit; atque ita ineſt, ut non velut aqua, expulſo aere, ſpongiæ meatus occupet, ſed ſolidas partes invadat. Quid? Eaſne findit, & ſeparat? Nequaquam, ſed illæſas intima præſentia permeat. Prætermiſſa præſentia, quam quid conſtituat ſuſpicari nequeo. Tantane ſubtilitas accidenti corporeo tribuenda? Quid ni, cum haud minor materiæ, & formæ, ex quibus ſolis ſubſtantiam corpoream coalitam fingant, inter ſe conveniat. Si quid igitur incorporeum fuerit, quam illi ſubtilitatem attribuent, id poſtea curabunt, atque huic malo, ut & aliis pleriſque, quod Medici quidem ſuperſtitioſi faciunt, non rebus, ſed verbis mederi volent. Sed de hoc alias. Eſtnè omne accidens etiam qualitas? Minime. Quibus notis diſtinguam? Verbis. Quomodo? Vide quibus interroganti reſponderi ſoleat? Quærenti quale ſit vitrum? Reſpondes calidum, frigidum, ſiccum, humidum, leve, grave, coloratum, aut lucidum. Qualitates igitur ſunt calor, frigus, ſiccitas, humiditas, levitas, gravitas, color & lumen. Sed quærenti etiam quale ſit vitrum? reſpondeo, perſpicuum, vel opacum. Erunt igitur perſpicuitas, & opacitas qualitates. Tum ſi frigus calori contrarium, certe haud minus lumini adverſatur opacitas, quanam igitur vi lumen vim adverſam momento temporis perrumpit? Utrobique illis, ut dicitur, aqua hæret. Verum ſeu per vadum, ſeu per vorticem eo deveniendum eſſe decernunt, ut lux adverſo carere, & ictu uno propinqua, & longinqua perſecare facillime cenſeatur, & qualitas nominetur. Quod ſcilicet quæſtioni quale reſpondeat. Aliis enim quæſtionibus, quantum? Ubi? Quando? Quo ſitu? Quid habeat? Ad quid referatur? Quid agat? Aut patiatur? Alia accidentium nomina, & quoad licet, naturas alias reſponſionibus diverſis indicant, quæſtione vero, quid eſt, ſubſtantiam exprimes. Atque arborem tibi pulchre depictam exhibent variis verborum ſtolonibus fruticantem. Cujus umbra univerſæ qua late patet Philoſophiæ campum obſcuratum, & ſterilem factum videbis. Hoc loco haud aliud obſerves velim, quam reliquorum fere omnium accidentium vocabulis quæſtioni quale quid reſponderi. Qualis eſt Socrates? Tricubitalis, incurvus, pannoſus, ſenex, Therſiti, quam Alcibiadi ſimilior, corporis infirmitate vix loco ſe movens, animi robore quidlibet agens, aut patiens. Vides deſcriptionem qua Socrates qualis ſit poſſis agnoſcere, quantitate, ſitu, habitu, tempore, relatione, loco, actione, & paſſione contextam. Idque videre te volui, ut intelligas me non brevitatis tantum, ſed nonnullo etiam proprietatis ſtudio, vulgata

Arbor prædicamentalis.


Philoſophorum accidentia omnia, uno qualitatum nomine impugnare deinceps ſtatuiſſe.

§. 10. Atque imprimis, quod nunc ago, lumen qualitatibus exemptum corporibus aſcribam, eo quod cum his potius, quam illis quæ luci ſunt propria cohæreſcant. Quid corpus? Extenſum. Quid huic proprium? Moveri & figurari, proque partium & magnitudine, & figura diverſis cieri motibus, eorumque aliquos ita veloces eſſe ſcimus, ut ex iis in promptu ſit intelligere, alios etiam velociores quam quos imaginatione metiri liceat, ubi res poſtulet, haud temere cogitari. Nam cum in rebus nec maximam, nec minimam ſenſibus attingamus, neſcio cur celerrimam aſſequamur. Quamobrem inanis eſt iſta argumentatio: Lux ſi corpus eſſet non poſſet tam cito (id eſt citius quam phantaſia ſuggerat) ab aſtris uſque ad inferiora deſcendere, non eſt igitur corpus huc motu delatum, ſed qualitas quæ per quantalibet ſpatia pellucida momento diffunditur. Quæro primum quam cito? Niſi lux ſonum curſu præcederet, hunc etiam momento diffundi cenſeres: Lucem vero cum Prodromus nullus antevertere poſſit, quis te certiorem facit quo primo momento ex aſtris emicet? Niſi forte quia ſuperiorem ſol is orientis marginem in ipſo horizonte conſpicis, idcirco eodem temporis puncto & ſolem ad circulum finientem, & radios ad oculum intuentem appellere ſuſpiceris. Quæ quidem hallucinatio in eos non cadit, qui ex obſervationibus opticis didicerunt, quam ſæpe, quaque de cauſa viſus rem objectam extra locum quem obtinet errando deſignet. Nam radius infixus oculo, niſi recta via vergat ad rem quæ videnda præponitur, ſtatione dimotum ſpectanti proponit, atque eo loco collocat, in quem protenſione in directum longiore pertenderet. Quem igitur radium ex horizonte ſol mittit, is niſi cujuſpiam occurſu ab itinere recto declinet, horizontem indicat, quamvis ſole jam inde promoto, ad viſum nuntius ſerus adveniat. Unde igitur tibi in mentem venit, ut majore velocitate opus eſſe putares, quam natura corporis patiatur? Non quæro unde tibi de momento temporis ſomnium inciderit. Neque enim quæſtio reſponſione digna fuerit, quaſi vero ſenſu vel momenta temporis inextenſa, quæ à quibuſdam finguntur, & inſtantia indiviſibilia vocantur, vel etiam momenta minima, licet extenſa diſcerneres, aut aliter de propagatione lucis tarda, vel celeri quam ex ſenſu cognoſceres. Immo, inquies, ex eo quod contrario careat, moram temporis non requiro. Hoc ſcilicet eſt ordine perturbato didiciſſe ſcientiam, aut deſciplina potius inſcitiam cumulaſſe; ſi Authorum tuorum ſcripta in ſeriem quandam continuatam tranſcribendo redigeres, ac primis media, mediis poſtrema

ma, ſubjungeres, principio ſenſum rerum corporearum arbitrium conſtitutum, quem quia luminis motus fugeret, ſine motu, vel mora profuſum, inde obice nullo retardatum ex eorum qualicumque conjectura animadverteres. Tametſi rectiorem viam iniviſſent, ſi moram lumini tribuiſſent, cui opacitatis remotam objectam cernere potuiſſent. Ipſis enim oculis lucem à vitris etiam, quoad fieri poſſunt, ſumme pellucidis, tum à via recta deflexam, tum in adverſam partem reflexam cernimus.

Lucis reflexio & inflexio per qualitatem inexplicabilis.


§. 11. Quæro nunc abs te deflectionis illius, & reflexionis quam cauſam afferas, ſi lucem etiamnum qualitatem contraria carentem, atque in intima ſubſtantiæ corporeæ viſcera penetrantem afferas. Eſto vitrum AB, atque in particulam C cadat primo radius perpendicularis DC, deinde obliquus EC, denique alter eo obliquior FC. Primum omnium conſtat radios ſingulos partim tranſire, partim redire, ſed perpendicularem parte majore tranſire; tum quæ pars redierit, eodem quo inciderat angulo reflecti, ut DC in CD, & EC in CL, & FC in CM. Tunc quæ pars radii DC penetrarit in vitrum eam itinere recto pretendere ad G; at EC non recta via ad N, ſed obliqua ad I, neque FC eodem ductu in K, ſed flexu quodam ferri ad locum N. Eoque majore quo magis à radio perpendiculari remotus. Plura ſunt, ſed in his, opinor ad qualitatis incudem elaborandis, ſudore diffluens. Ecquid hic cum qualitate non pugnans, cum corpore moto non ſumme conſentiens? Mitto inflexionem cujus apud illos deſperata jamdudum explicatio. Cur radii cujuſque pars repellitur? An vitri ſubſtantia renititur? At ſubſtantias corporum qualitatibus pervias arbitrans: Deinde non repelleret, ſed ex tua ſententia extenuaret potius, aut extingueret, ita enim qualitates pugnare contrarias ſtatuis, ut non fuga, ſed vel nece, vel certe partis alicujus amiſſione victoria conſtet. Tum tibi Luci adverſariam opponere non licet, quamdiu momento diffuſam negare non libet. Tempore enim opus eſſet, & longiore forte quam velles, ut vim hoſtilem nullibi non ex adverſo reluctantem perfringeret. Nihil itaque ab opacitate, ſeu qualitas, ſeu ſubſtantia ſit, auxilii ſperes: Eoque minus quod cur perpendiculari haud perinde atque obliquis reſiſtat cauſam nullam fingere poſſis. Audio de propinquitate agentis multa narrantes, de ſitus obliquitate non audio; quamvis enim perpendicularis ſit tantillo reliquis brevior, illius tamen vires tanto majores tam exiguo diſcrimine niti non poſſunt. Conditionem enim unicam vires augentem, augmen-



augmento virium proportionalem esse nemo non videt. Quinetiam si vitrum soli situ obliquo oppositum proprius admoveatur quam aliud, cui radii ad angulos rectos incidant, longe per hoc amplius, quam illud luminis transmissum, plane perspicias. Respice jam huc, & radios ut corpuscula impacta vi motus in vitrum aspice. Quæ in meatus incurrunt ea transeunt, eoque facilius & copiosius quo minus obliqua impressione in meatuum offensent latera, qua quidem offensione quod à recta via recedere compellantur nemini certe mirum videri potest, quæ vero lateribus illisa forinsecus repelluntur eo nempe quo inciderant angulo, veluti è pavimento pilæ resiliunt. Vides igitur ut lumen corporis motioni respondeat? Unde vero corporibus hi motus conveniant, subtilius in Opticis speculandum. Satis hic habeo quo pacto lucis radii cum iis quæ de corpore moto sunt explorata, consentiant, & à qualitate dissentiant demonstrare. Idque non tantum è reflexione, & inflexione, verum etiam è radiorum vel loci longinquitate, vel situs obliquitate diminuitione colligitur. Ex L puncto lumen effulgeat, atque in rectas æquales AB, AC, ED incidat, cur prima reliquis clarius splendeat, ego causam luce meridiana clariorem assigno. Nam radii primam quaterni, secundum terni, tertiam bini collustrant. Præterquam quod eorum impetus occursantium per longum spatium multitudine hebetatur. Sed ad hæc quid facit qualitas? Quæ cum per totum diffusa sit, haud amplius illius in propinquum quam longinquum infunditur. Neque quid distantia deterat, ubi nihil adversi obviam fit, in promptu sit dicere.

Per motum explicatur.

Diminutio quoq; per motum non qualitatem.



§. 12. Sed lux, inclamant, per vitrum solidum penetrat, non igitur corpus, sed qualitas est. Nempe quia meatus non vides, nullos putas. Nonne lucem tanto subtiliorem aqua suspicari licet, quanto vitrum est densius lapide quam aqua perstillans defœcatur? Quod si aqua per lapidem sat densum, nullisque conspicuis meatibus pervium, molitur exitum, cur luci per vitrum transitum negas? Num quia via recta lumen incedit? Sed quid ni aliis alias rectioribus sint perforata meatibus? vel hinc opinor haud paulo manifestiorem perspicuitatis, & opacitatis, quam ex ignotæ qualitatis ingenio rationem licet reddere. At idem aëre spatium occupatur. Unde hoc tibi innotuit? Quia accensa lucerna, vel sole lucente ubicunque sit oculus lumen cernitur. Ecquid inde conficitur nisi quod nullum sit pupillæ par spatium luce vacuum? Rursus instant.

ſtant. Tres lucernæ disjunctæ per foramen idem ita radios transmittunt, ut ſibi mutuo non obſtent, neque à via recta invicem radij propellunt, cum quælibet ex adverſo luminoſam pingat imaginem, perinde ac ſi reliquæ forent extinctæ: ſcilicet ut ſenſu diſcrimen nullum appareat. Neque enim aliunde quam ex ſenſibus de radiis rectis judicas, ac proinde ex eorum teſtimonio ſententia feras oporteat: ij vero de minimis teſtari non poſſunt. Minimè vero mirum ſi corpuſcula lucis tenuiſſima, eademque motu celerrimo evibrata haud magnopere ſe mutuo protrudant aut implicent, cum flumina rapido curſu citata neque flexo, neque mixto aquarum agmine per eundem alveum haud modico ſpatio defluant. Tum ſi è ternis follibus in pavimentum pulvere conſperſum decuſſatim aër expiret, ita quiſque locum purgabit oppoſitum, ut aërem à ſingulis linea protruſum recta conjicias. Fortè cuipiam difficile videri poſſit, ut lux in lagenam vitream clauſam, ſed aëre, vel aqua plenam, invadat, cum nihil in ea vacui corpori recipiendo lateat, neque per vitri meatus auguſtos aquæ, vel aëri egreſſus pateat; ſed nihil vetat alia corpuſcula aqua, & vapore illo ſpirabili quem aërem vulgus appellat, ſubtiliora appulſu luminis per vitrum expelli. Sapientibus non ſapit quæ *populi cribro eſt decuſſa farina*. Subtiliora cogitant, atque è lucis ipſius particulis conjecturam accipiunt, has etenim hiſque ſimiles rebus craſſioribus admixtas haud difficulter intelligunt. Extincta lucerna non pereunt luminoſa corpuſcula, tametſi motus ille quo luminis ſenſio progignitur evanuerit. Quibus corporibus leviſſimis, atque ad motum apriſſimis, perque omnia diſperſis, quam facile à luminoſo remoto etiam tempore breviſſimo trajiciatur hic motus quo viſus percillitur, cum lucis aſpectu frui dicimur, nemo non videt, qui mente ſupra ſenſum elata quicquam videat. Quare cauſa nulla fuit, Cartes. cur actionem lumininis non in ipſa motione, ſed in propenſione quadam ad motum non nemo poneret, ut lucis radij momento uno propinqua pariter, & longinqua pervaderent. Nam quanta caligo ſubito cogitantibus oboritur, cum actionem ipſam in actu primo, ut Scholaſtici loquuntur, id eſt motionis vim, in ea quæ motionem antecedit diſpoſitione tantummodo collocare jubentur. Cum res eſt in procinctu ad agendum, actionem quidem ſpondit, ſed non promit, ictum intentare poteſt, infligere non poteſt. Quid profuit totis conniti viribus è qualitatum nebula in lucem evadere, ut in has te præcipitem tenebras ageres? vel motum celerrimum materiæ ſubtiliſſimæ tribuiſſes, vel eam continuatione totam ſimul impelli ſtatuiſſes. Sed de luce ſat multa diximus, quibus eam cum notiſſima corporum motione haud paulo aptius, quam

cum incognita qualitatis immotæ actione congruere indicemus. Porro luce in corporum cætum ascripta quis reliquarum turbam qualitatum excludat? Hæc etenim ita reliquas subtilitate superat, ut alii eam incorporeis accenserent, alii corporeas inter, & incorporeas medio quodam loco statuendam putarent, naturæ vero incorporeæ longe præ cæteris qualitatibus quę corporeę dicuntur propius adjunctam universi sentirent. Quare cum instituti mei ratio haud aliud postulet quam ut corporis proprietates, quietis, motus, & figurarum varietate concluderem universas, quo nihil nisi clarum, & certum scientiæ de incorporeis veræ, & solidæ exædificandæ substruerem; atque ex una luce de cæteris conjectura non dubia capi possit, neque in animum facile inducere queam, eo quemquam stupore Philosophnm esse, ut luce corporibus anumerata colorem eximat, aut calorem, qualitatibus cęteris sigillatim in posterum refutandis supersedere decreveram. Sed dandum est aliquid consuetudini, quæ cum altera natura sit, etiam innatam animo vera sciendi vel cupiditatem, fel facultatem quoque adeo extinguit, aut obruit, aut obtundit, ut qui nominibus qualitatum incertis, & notionibus obscuris assuefacti sunt, & diuturnis tenebris occæcati, ad ea quæ perspicua, & clara sunt intuenda haud facili negotio perducantur. Qualitates igitur reliquas quod instituo nostro satis sit breviter perstringemus.

Nec color est qualitas.

§. 13. Lumini color affinis est, quem Plato lucem infuscatam appellat. Lucis autem corpuscula cum divaricatis radiis ferantur in rectum, eam vel diversa motus habitatione, vel diversa caliginis, quæ radios interjacet, admixtione, innumerabili varietate offuscatam intelligas. Sane cum solis radii per pluviæ guttas, aut prisma cristallinum, aut vitra quomodolibet angulata transmissi tam jucundam oculis, tamque variam colorum amænitatem objiciunt, reflecti radios, atque inflecti scimus, idque impedimento quodam motus optimè explicatum vidimus, iisdemque inde motum alium, aliumque inter se situm, aut divaricationem obtingere ignorare non possumus; præterea vero nihil compertum habemus, neque in uniusmodi corpore undequaque pellucido, & partibus omnibus sibi simili colorum dissimilium semina vel levissima suspicione conjicimus. Tum etiam ecquæ pigmenta in cristallo perspicuo occlusa lateant, quibus lucis unius candor tam diversè tingatur, aut ex ejusdem seu materiæ, seu formæ, seu utriusque gremio varietas tanta absque ulla qualitatum præparantium varietate nascatur divinare non licet; quæ cum ita sint, curà notis, certis, & aptis, ad ignota, ambigua, & inepta deflectimus? At colores istos apparentes appellant non veros. Quid ita? quia firmi non sunt sed evanidi. Fulguris igitur, aut nitrati pulveris flamma vera non erit. Deinde

de lilii candore quid amplius nosti, quam quod sic appareat, sic visum afficiat? nam quod itidem mane, ac vespere lilium candesceri videatur, etiam flamma lucernæ nocte ineunte, & exeunte apparet eadem quamvis aliam esse non dubites, quippe quam ex aliis olei partibus compositam scias. Id tibi incumbit ut cur sic appareat causam proferas, neque qualitatem obtrudas ignotam, quamdiu motu, & Figura notissimis uti liceat. Quid autem vetat, quin è diversâ superficiei scabritie diversis modis tum situ, tum motu radiorum lucis reflexio varietur, iisdemque proinde diversissimè visus pulsetur. Dum vitrum viride scalpit vitrearius, pulverem albissimum exterit, unde alias, atque alias superficies ostendi patet, aliam autem qualitatem scalpendo progenitam suspicari quis poterit? Quare superficiem Geometræ Græci aptissimè vocant Apparentiam, cum ex partium illius situ, atque inclinatione diversâ colorum varietas omnis appareat. Idque cum radiorum lucis reflexione fiat, non Poeticè sed Philosophicè locutus est Virgilius, qui Homerum imitatus arcana Philosophorum dogmata versibus furtim intexit, *Rebus nox abstulit atra colorem.* Quod distinctione ad morem Dialecticum de colore formali, non fundamentali, ubi usus postulet, interpreteris. Nam partium superficiei situs, cui sic tanquam fundamento radiorum reflexio nititur, noctu permanet. Sed & noctem appellans atram, nec ipse, neque alius quispiam aerem qualitatis atræ fuligine fœdatum intelligit, sed unde nulli vel perpauci veniunt radii, ibi nigroris apparet species, veluti cum ostium apertum instar nigræ in pariete maculæ è longinquo conspicitur: Ubi vero longa via lassi, latiusque diducti debilius visum feriunt, & montes remotos, & vapores altissimos colore cæruleo tinctos exhibent. In telis quoque tum sericis, tum lineis ubi stamini subtegmen concolor est, quot figuras filamentorum situ colorem variante discernimus? In his tibi facile diversus partium situs, & radiorum motus occurrit, qualitatis novæ vestigium nullum cernis. Ex quibus quid de reliquis judicandum sit videas. Sed de colore sat multa.

Nec calor aut frigus.

§. 14. De calore sat fuerit vel pauca subjungere. Nihil enim clarius, quam quod corpuscula parva vi magna undequaque dispersa in meatus corporum facile penetrent, partesque discurrendo separent, ac tunsione multiplice in varias formas redigant, unde miras rerum, quas Chymici igne solo procurant, mutationes intelligas, qui res etiam similes congregat, dissimilesque dispergit, quòd similes motibus agitatæ similibus in eundem aliquando locum coeant. Tum agitatione corpori dilatat, partium humidarum expulsione siccat, quas sibi ut flexiles implicando, secumque in altum asportando vaporem efficit, agilitas partium ne cohibeatur obsistit, unde etiam summa vi obstantia protrudit: Ligni partes comminuendo, &

commovendo ignem generat, atque attritione ipse præcipue non autem qualibet motione gignitur, sed iis tantum & rebus, & motibus quibus partium exilitas, & agilitas maxima procreatur. Lux etiam cur calor sit, qui luminosa corpuscula considerat intelliget: cur lumine calor latiùs pateat, ut non omne calidum sit idem lucidum, exemplo uno clarissimo palam fiet. Ferrum candens lucet, desinit lucere, calere non desinit. Principio partes tenuiores è ferri meatibus elabuntur. Lumen hinc calore subtilius colligas, quæ posteriùs exeunt, & crassitie, & tarditate, cur sensuum subtilissimum non permoveant, mirari non debes. Neque mihi figmento caloris virtualis, ut linguam piper exurat, aut injectâ scobe ferri aqua fortis ebulliat, opus est, cui è particularum motibus explicatio prompta suppetat. Per me nunc licet è silice qualitatem extundas, eandemque è plaustrorum rotis exteras; & globos ferreos ejusdem impetu ejaculeris, atque unius uniusmodi actioni Chymicorum miracula cuncta tribuas, eamque vim quæ corpora colligit, dissipat, fingit, refingit, nihil non in mundo corporeo agit, agitat, machinatur, & mutatur, ad Philosophiæ normam explicatam abunde tibi persuadeas, quamvis solo tibi Qualitatis nomine cognitam ea natura quæ hoc, aut aliud faciat præditam dicas, neque amplius quicquam explanare dicendo queas. Nam quæ à me declarata sunt, cum per se clara sint, tum hac contentione clariora longe, atque illustriora reddentur. De frigore quid addam, cum aliorum, atque eorundem etiam corpusculorum motus alius, aliud efficiendi virtute polleat, quid ni corpora constipet, & calidorum impetum motu adversante retundat? Immo si motu calor, quieta vel motu diverso & adverso frigus contineatur oporteat, cùm contraria ad idem genus attineant.

Nec siccitas vel humiditas, aut mollities, vel duricies.

§. 15. Siccum autem, & humidum, etiam ex iis nonnulli qui rebus cæteris qualitates inferciunt, iisdem spoliant, cum nihil in utrovis appareat, quod qualitatis egeat adminiculo, nisi forte quod alterum rigidum, alterum magis flexile soleat esse. Idem autem corpus ex hoc solo quod figura sit brevi, & crassâ rigescit, productum vero aut extenuatum facile flectitur. Unde etiam perspicias cur antiqui passim in humido partium nexum constituant, nam quod flexile est implicatur alijs, eaque inter se vinculis quibusdam colligat, atque constringit, quare expulso humore, quæ antea compacta fuerant, in fumum, cinerem, calcem diffilire cernimus. Porro quæ invicem cohærescunt motu uno cientur, ideoque alteri moventi non cedent, nisi viribus cuncta superet; quæ soluta sunt, & libera, haud obstantibus alijs perfacile vincas singula, atque idcirco mollia & fluida, minùs quàm dura, & fixa tangenti resistunt. Gravitatem fortasse, & levitatem qualitatibus adscribes quarum nutibus deorsum, aut

sursum

ſurſum ferantur corpora. Quæ eſt ita tam præpoſtera Philoſophandi ratio, ut quod clarum eſt fugias; quod obſcurum, quod à veterum, & communi ſenſu alienum, nullaque coactus neceſſitate ſecteris? Quid clarius quam corpus inertia nativa torpeſcere, aliena vi pulſum loca certa capeſſere? quid obſcurius quam cæcæ qualitatis ductu eò quò convenit pervenire? Quid cæteros in Democritum incitavit, niſi quod Atomos ſuas nutibus propriis cieret? Ariſtoteles certè quem unum præ cæteris veneraris; cujuſque veneratione cæteros aſpernaris, interiore vi moveri Animantium decus eximium putat. Scilicet quid ignem evehat, lapideſque deturbet, non vides. Quam igitur nec viſu, nec mente conſpicis qualitatem affingis. Lynceus ſis oporteat, qui mundi corporei citima, ultima, extima, intima, minutiſſima quæque quantumvis abſconſa oculis perſcruteris. Sed inſcius rerum, & rudis omnino comprobaris qui ſcientiam oculis metiaris. Quid mens, quid ratio videat intuendum eſt; Eâ clarè perſpicimus corpore corpus alliſo moveri, neque ſi quod à ſenſu remotum fuerit, ab animi ſententia removendum. Quid qualitas iſta ad motum faciat neque aſpectu, neque intellectu percipimus. Quæ ſecum ferat incommoda haud uno loco videbimus. Hoc tantum huic loco proprium urgeo, quòd ſi gravia qualitate ſibi innata deorſum vergant, etiam ea quæ vi projecta ſunt ſua cuique inſita qualitate quoquoverſus feruntur. Quam tamen ita abſurdum eſſe conſtat, ut illius Philoſophos omnes pudeat qui modò nimium rixando, & mentem, & frontem non amiſerint. Nam qua fonte quis audeat aſſeverare in baliſtæ arcu, vel nervo, vel utroque tot qualitatum ſemina deliteſcere quot motibus diverſis ex diverſa Baliſtæ elevatione ſagittam poſſis impellere. Hinc enim alio, atque alio flexu lineam aliam, non modo aliorſum directam ſagitta deſcribit. Quare ſi levitas à gravitate diſtinguitur, quamvis motum directione tantum diverſum efficiat, non modo qualitas ad Orientem impellens, ab Occidentali diſtinguitur qualitate, ſed quæ motus & directione, & flexione diſſimiles edunt, diſcrimine longè clariore diſſident. Quod ſi ut alius, atque alius color emergat, diverſam ſubjecti diſpoſitionem exigis, itidemque in gravitate, & levitate, quibus impulſus neceſſitudine quadam arctiore conjungitur, ut alia ſit elementorum ignis, & terræ natura poſtulas, cur ex uniuſmodi arcu, nervoque tam multiplex, ac multiforme qualitatum impellentium examen undique ſparſum evolat? Hoc aliis tam abſurdum eſt viſum, ut cũ experientia comperta, quam cũ ratione tam aperta pugnare maluerint. Sagittã itaque ab aëre protrudi aiunt, quamvis contra id quod experiuntur omnes tranſverſam, quam directã ad motum excipiendum aptiorem fore, quippe cui plus aëris trudendo incumberet, latere neminem poſſet. Neq ue minus perſpicuum eſſet projecta non

Nec gravitas, aut levitas.

8. Phyſ. c. 4.

Alioquin & impetus quem qualitatibus aſcribere prorſus abſurdum.

promoveri ab aere, ſed retardari. Iacto etenim titione fumigante retro fumum linqui conſpicimus. Nihil autem apparet unde globos ferreos tantâ velocitate ab aere protrudi conjicias, cum potiùs aerem ab ipſis urgeri indiciis omnibus conſtet.

Vndenam motus projectorum.

§. 16. Specta jam nodi difficilis ſolutionem plane facillimam. Quam à principio captu facillimo, & communi veterum conſenſu probatiſſimo derivatam recuſare non potes. Ariſtoteles, & S. Thomas veluti rem confeſſam aſſumunt, contrarietate ſolâ corruptionem accidere. *Non invenitur*, ait hic, *corruptio, niſi ubi invenitur contrarietas.* Quid ille? Corruptionis duplicem cauſam aſſignat per ſe quidem contrario, per accidens autem corruptione ſubjecti. Porro ſubjecti corruptionem neque ipſe abſque contrario diſſolvente conſtituit, neque ſi aliunde arceſſeret, id nobis hoc loco, quo de accidentis permanſione tractamus, quicquam obeſſet. Neque ullus eſt in omni Philoſophia, & Theologia locus, velut ex operis hujus decurſu patebit, quem ut explanatum reddas, aliquod eſſe quod tabe quâdam innatâ deficiat, ac non labe quam inimica vis inferat quaſſatum corruat comminiſci neceſſe habeas. Deinde quid clarius, quam ut quod quidque eſt, id eſſe non deſinat quamdiu per aliud quod majore vi polleat, eſſe licuerit? Tu qui guttam aquæ appetitu quodam ſuæ conſervationis innato in globum colligi ne diſſipetur à pulvere arbitraris, eodemque lapides ut non modo ſint, ſed ut bene ſint ad locum naturæ percommodum ferri autumas, tanta ſui incuria vel odio rem quampiam affici poſſe cenſeas, ut ſponte tabeſcat, atque id quod eſt, eſſe nolit? Immo ut id maxime velle ſui, ſi lubet, faſtidio poſſe fingatur, certè ut eſſe quod habet aliquando exuat, niſi vi adversa contrarium cogatur induere, fingi non poteſt. Cera quippe ſphærica niſi vel liquefacta calore diffundatur, vel cujuſpiam applicatione compreſſa diſtendatur, quo modo in figuram planam evadat nuſquam invenias. Globus igitur in ſempiternum tempus maneret, niſi vis extranea figuram novam imprimeret. Quare ſi figuratum, ne figuram amittat quamdiu nil obſtat, minimè veremur, cur quod movetur ut moveri pergat impedimentum abeſſe non ſufficiat, neque adjumentum adeſſe neceſſe ſit? Neque enim quod impulſu unico loca multa percurrit, vis alia præter motum impreſſa colligitur, cùm haud minùs in notione motus intima incluſum hæreat, ut mobile ſpatiis pluribus ſeriatim applicet, ac quod eidem affixum quies teneat. Quies autem eadem quamdiu per vim adverſam liceat eidem affigit, unus igitur, idemque motus per plura tranſferet neque transferre deſiſtet, quoad obſtantium occurſu paulatim labefactatus intereat. Quamque non ſponte ſed coactè decreſcat motio vel hoc exemplo perſpicias. Eſto funiculo A B pondus appenſum, qui altrorſum

1. p. q. 75. a. 6. c. lib. de long. & brevitate vitæ.



sum impulsus itu alterno, redituque vacillet. Ac primo quidem ascendit in C, tum in D, rursus ad E; deinde ad F revertitur, cumque aerem mobili aliquantulum constet obsistere, atque E intervallo minimo distet à C, nihil minus aeri resistenti tribuere æquum fuerit, ac proinde si nihil obesse fingeretur, cur motus perpetuus non sequeretur fingi nil potest. Nihilo igitur magis de de motione, quam quiete perpetuanda sollicitos esse oportet, cum utraque per se, quoad per obstantia licuerit, perseveret. Quorsum igitur qualitatem minimè necessariam, ignotam præterea, & origine insuper incerta prognatam inseras?

De ubicationibus loco, situ, motu, quiete.

§. 17. Verum quia recentiores Scholastici rem esse in loco per qualitatem quandam, quam ubicationem appellant, persuasum habent, motionem quæ mobile per loca plura transvehit serie quadam continua qualitatum incipientium, & desinentium productione constituunt, ideoque virtutem mobili inhærentem à vi motrice quam deserit impressam atque à motu distinctam excogitant, cujus efficacitate ubicationes deinceps novæ prosiliant. Id autem cùm à motus notione clara, & simplici quam plurimum abhorrere perspicuum sit, nec ubicationis illius speciem ullam animo formare, neque aliud de ea pronunciare queant, quam rem esse quandam qua in loco certo quippiam esse cognoscimus, inviti scilicet faciunt ut in tenebras tantas se conjiciant. Sed qua via hujus argumenti vim effugiant non reperiunt. Potest esse hic liber, hæc mensa, hic idem aer quo liber ambitur, tametsi nec mensæ liber incumbat, neque hoc aere, aut alio tantundem à parietibus distante cingatur, ergo librum huic mensæ insistere, aut hoc aere concludi, aliquid à libro, mensa atque aere distinctum indicat. Cujus argumenti nervos haud parum intendunt qui contra responsione debili, & enervata nituntur. Nihil enim ajunt ab istis significari diversum, sed tantum quod ista simul sint, aut, nihil eis, quod separet, interjectum intelligas. Sed hæc verba totidem verbis eludas. Nam possunt esse liber, mensa & aer, quamvis non ita simul sint, ut nihil iisdem interjaceat, non enim connata sunt, ut nequeant disjuncta subsistere, ergo quod simul sint, neque ulla re interjecta sint dissita, non rebus ipsis, sed alteri cuipiam qualiscunque sit tribuendum. Alij decreto voluntatis tribuunt, sed frustra. Quæro enim cum tu te in talem locum transferre vis, aut

aut Deus in certo mundi ſpatio terram, aut ſolem locare voluit, quid tibi, quid illi diſcernendum occurrit? Potuit Deus decreviſſe ut terra eſſet, atque itidem ut aer hic eſſet, quamvis huic aeri terra non ineſſet, tum ſi decreto extraneo res loco mota cognoſcitur, cur non eodem coloribus novis imbuta cernatur? Decretum non negatur, ſed quid decreto reſpondeat poſtulatur. Sunt qui ad Entia quædam negativa confugiunt, quæ licet ipſa nihil ſint, cum ipſiſſimum Nihil, ſeu non Eſſe rerum in ipſis ſit poſitum, ab iis tamen ſibi Nonnihil ſubſidii pollicentur. Nam ubicunque res non eſt, ibi rei *non Eſſe* ſeu *Negationem* exiſtere ſomniant. Tot igitur rei unius negationes undique diſſeminatas, quot loca ſunt quibus ipſa non inſit, numerant. Quare rem in hoc loco eſſe, nihil aliud eſſe, quam hanc negationem conculcatam extinguere arbitrantur. Mitto nunc quam ridiculum ſit hoc *Entium-non Entium*, & inane commentum. Illud urgeo. Res hæc poteſt eſſe, licet hanc Negationem haud proterat, ergo aliquid aliud quod ad hanc præ cæteris proterendam determinet inquirendum. Quamvis autem in his porro dialecticæ non deſint argutiæ, quibus argumentantem queas eludere, nemini tamen unquam perſuadebis fieri poſſe ut plura inter ſe alio, atque alio ordine diſponantur, quin vera, & rebus ipſis infixa, non mente conficta diverſitas oriatur. Id quo paucorum intuitu clariùs appareat, finge quatuor laterculos ſuo quemque termino circumſcriptum, ac proinde à ſe mutuo diſtinctos, qui vel in longum ut A, B, C, D, aut B, A, D, C, vel in quadrum ut A, C, D, B, collocari in ipſa creatione poterant. Situs autem iſte tam varius à nobis cogitando non ponitur, ſed aliunde poſitus invenitur. Non autem extenſione, vel figura varietas continetur, quippe quas ſitu variato, invariatas cernimus. Motus autem nullus in prima, & immobili productione quærendus. Hæc igitur alio, atque alio ordine ſita eſſe, aliud quoddam eſſe, præter eſſe extenſum, figuratum, motum ſignificat. Hoc quale ſit inveſtigandum ſupereſt, & aliquid quod & aptum, & notum ſit inveniendum.

a	b	c	d

b	a	c	d

a	c
d	b


§. 18. Plerique ante mundum conditum, hoc eſt antequam eſſet quidquam extenſione vera, aut expanſione diffuſum, ſpatium quoddam Chimæricum, quod & ſpatium fatentur, & reipſa nihil eſſe, ac proinde nec ſpatium eſſe, fateri coguntur, animo fingunt; aliam deinde Entitatem quam ubicationem appellant, quæ ſi extiterit, rem cui ineſt, parti cuidam certæ capacitatis illius imaginariæ non poſſit non alligatam aſtringere. Sunt qui ſpatium hoc in immenſitate divina in partes infinitas virtuali tantummodo, non reali diſcrimine diſtributa conſtituunt, & rem quidem in loco certo, certam

certam quandam virtualitatem reſpiciendo ſtatuere non licebit, quippe quæ natura ſua quamlibet perinde reſpiciat, ſed ubicatione quæ uni præ cæteris affigatur prout uſus fuerit collocare non dubitant. Aliis tandem aliquid lucis affulſit, ut quam ſit abſurdum intelligerent ubicationis vel ad nihil, ſeu ſpatium confictum, vel ad virtualitatum figmenta referendo diſtinguere, eas igitur intrinſecùs diſcolores, ac natura diſſimiles, non ut ſpatium quod non eſt reſpiciendo deſignent, ſed ſpatium quod eſt exiſtendo conſtituant, opinantur. Et quia coloris exemplo ſolet ubicationum explicari varietas. Si Londini fueris ubicationis cujuſdam flavæ te fuco illitum cogitare debes, candidæ vero ſi Lancaſtriæ, alteram enim ubicationem ab altera veluti colorem flavum à candore diſtinguunt. Cæterum ubicatio Londinenſis alia quadam à ſubjecto cui inhæſerit ſpecie varietatis imbuitur. Omnia quidem quæ Londini ſunt ubicatione flavâ pinguntur, ſed equus melleâ, Auriga citrinâ, Angelus aureâ, ſua quiſque ubicatione ſingulari flaveſcit. Nam velut inter colores flavos alius alio ſaturatior, dilutior, obſcurior, ſplendidior intelligitur, ita ubicationes Londinenſes quæ licet ejuſdem loci deſignatione conveniunt, ſubjecti tamen diſcrimine variantur. Porro ubi ambulas, *Mille trahis varios adverſo ſole colores*, ad paſſus enim ſingulos parte quaque diſſimilem ubicationem induis veſtigio proximo exuendam. Quoniam autem partium quoque ſitum ad ubicationes referunt, eò fit ut cum loco movêris, unà etiam & corporis figura mutetur. Tum ſi quicquid eſt corporum quod parietes disjunctos ſeparet ablatum, neque aliud eorum loco ſuffectum cogitetur, eoſdem tamen ubicationibus ſolis nec tenuiſſimam intervalli medii imaginem repræſentando disjungunt. Deinde Geometrarum rident inſcitiam, qui cum corpora ſe metiri putent, ubicationibus tantùm metiendis incumbunt. His etenim corporis & ſubſtantiam, & quantitatem etiam, & vero etiam qualitates cæteras vel amplè diſtendunt, vel in puncti unius, aut partis certe perexiguæ anguſtias, prout è re fuerit, in Euchariſtia compingunt. His puncta Mathematica in tumidas bullas inflantur, & rurſus facillimè detumeſcunt, his rara panduntur, denſa ſtipantur, his animæ cum corporum incremento turgeſcunt, Angelique locis eorum tutelæ commiſſis, velut alis expanſis incubant. Denique haud ſecus ac Chymici præter argentum vivum commune quod Mercurium vulgarem nuncupant, aliud quoddam Philoſophicum & arcanum venditant, ita Dialectici recentiores præter locum vulgò cognitum corporis ambientis extremitate contentum, alium quendam Philoſophicum, atque reconditum, in ubicationibus iſtis ſitum, haud mediocri, ut illis quidem videtur, ſubtilitatis Dialecticæ laude jactitant.


§. 19. Ac jamdiu, opinor, te mei miseret; qui cùm à primis libri versibus, corporis substantiam in ipsa extensione statuerim, jus utendi tam præclara suppellectile, tam commodis ad quidlibet instrumentis infelici temeritate perdiderim. Sed facti non pœnitet, nam quæ ad corporum actiones attinent, extensi figurâ motuque perfecimus, situm autem, & locum extensio, & quies dabunt. De extensione, figurâ, motu, quiete nemo dubitat. Quid incerta, & inania commenta prensamus, cum certa & comperta manibus teneamus? Ecquid autem absurdius, atque ab intelligentia communi remotius cogitari potest, quam ut ea inter se corpora distare quis asserat, quibus distantiam interjectam auferat? Quis corporum distantiam vel manu, vel mente, aliter quam lineâ, aut longitudine mensus est? Quibus autem nihil interjectum est, ea nil habent quo vel cogitando distantiam metiri liceat. Num decempedam Nihilo applicabis, ut quantum extensionis id habeat, quod, cum Nihil sit, neque extensionem, neque aliam proprietatem ullam habet, intelligas? At ubicationes habent dissimiles? cogitationes perinde, aut colores dixeris. Nam nisi distantiam, intervallum, intercapedinem notione propriâ, ac naturâ contineat ubicatio, corpora haud magis ubicatione dissimili, quam colore distabunt. Distantia porro inter binos parietes spatium indicat, spatium nullum ponis nisi imaginarium, quodque proinde Nihil omnino esse haud dubitanter affirmas, nihil autem si longum, & latum fingere libet, etiam durum, & molle, grave, leve, calidum & frigidum fingere liceat. Ergo extracto è lagenâ liquore nisi aër liquoris loco subeat latera jungentur. Ita prorsus. Quis etenim disjuncta cogitet quibus nihil quo separentur interjacet. Jungere certe nihil aliud est, quam distantiam tollere, distantia spatium aut extensionem significat interceptam, corpore omni sublato extensio nulla remanet, nulla igitur distantia, neque disjunctio. Quare laterum follis conjunctio non ex aeris expulsione sequitur, sed in ipsa consistit, cum conjunctio sit distantiæ, seu extensi disjungentis ablatio, Unde vacuum, seu spatium corporis expers tam aperte id esse quod non est, ac proinde ex iis esse quæ nulla vi possint existere comprobatur, ut gregem Chimæricum meritò ducat. Si spatium est, latera circumjecta disjungit, hæc autem non quod Nihil est, sed extensum medium, seu corpus separat. Ubicationibus enim solis distare non possunt, cum nec ubicationum ipsarum, nisi extensum medium intercedat, distantiam vel animo metiri queas. Nisi forte quispiam adversa vasis latera, laterumque ubicationes quid distent lineâ curvâ dijudicet: Veluti si quærenti quantum distent ab invicem latera A B, D C, respondeas longitudine recta A D, vel B C. Quærenti vero distantiam inter angulos adversos B, D, quid respondeas?

Vacuum est figmentum Chimericum.

Num



Num rectam BD distantiæ mensuram dabis? at hæc nulla est, quia in vase nihil est. An potius, curvam BCD? at curvâ distantiam nemo metitur, quia foret incerta, cum eadem puncta curvis inæqualibus jungi queant. Tum si fingas latera AB, DC, sublatis reliquis, permanere, nihil erit reliquum quod mensurâ rectâ, vel curvâ distantiam arguat. Quare si vasis latera nil habent quo ab invicem disjuncta cogitentur, quod tu spatium vocas, in eo nec umbra spatii cernitur, nisi velis utrem inanem insufflatis negationibus, & rerum quæ non sunt possibilitate distendere. Mittamus igitur figmenta inania, & minime necessaria, atque ab ea intelligentia omni alieniſſima, quodque nihil esse fateri cogimur, id spatium esse dicere pudeat; neque intelligendi facultatem perversis rerum notionibus depravemus, dum in ubicationibus rerum intervalla statuimus, etiam tum, cùm nihil eis intelligimus interjectum, id est cum distantiæ, disjunctionis, intercapedinis vestigium nullum appareat.



§. 20. Aliud igitur aptius & clarius investigandum, quo locus, situsque corporis innotescat, & claritatis causa diagramma descripsimus. Per quid B distat à D? per extensum C quod utrumque disjungit. Quid cogitamus cum B in hoc loco positum dicimus? Nempe quod certâ quâdam distantiâ, seu extensionis mensurâ à circumjectis corporibus ut E, F, G, H, & notis, & vel re, vel cogitatione non motis abscedat. Unde malo navis alligatus locum & servasse, & mutasse ex usu communi dicitur; servat, si ad latera navis motu eorum neglecto referas; mutat, si Polos cæli, aut maris littora spectes. Veluti si figuram hanc integram per aëra promotam finxeris, fiet ut B ad corpora E, F, G, H, cogitatione relatum in eodem loco mansisse; ulteriora spectando, in alium transiisse dicatur. Verum de situ nodus explicandus supereſt. Potuissent enim iidem laterculi, & omnes, & singuli, eâdemque extensione, & figurâ præditi etiam ante omnem motum aliter in ipsa productione disponi, ut B non esset medius inter A, & C, sed interpositio A divisus à C. hoc autem non fingimus, sed factum cernimus. Sed in hoc, ut omnia scrutêris, nil aliud quam diversum contactum inveniet, Nisi quid non factum, sed fictum, nec à te quidem ipso intellectum ponere libeat. Porrò B jam tangit A, C, I, K, tunc & alia, ut L, M, N, & idem B, sed non eodem latere tetigisset. Sed potuissent inquies hæc eadem absque hoc contactus genere extitisse, hic igitur

igitur contactus aliquam in rebus ipsis præter extensionis, figuræ & motus varietatem indicat, probè colligis. Quid igitur est? Quies. Quid vero quies sit paulatim addisces. Quoniam extensione sublata nulla corporis notio, ut supra vidimus, quâ quid sit, possit ad sciendi usum cognosci, remanet, *Esse* Extensum, cum sit incommutabile & fixum, id corporis substantiam seu *Esse* subsistens dicimus. Unde fit, ut si corpus in molem majorem raritate tumesceret, jam non idem, sed aliud extensum existeret, ac proinde nec eadem corporis substantia persisteret. Quoniam autem corpori commutabiliter accidit ut alia atque alia figura sit præditum, figura corporis accidens, sive Esse accidentarium appellatur. Et quia corpus aliter figuratum, alio modo se habere, seu esse cognoscitur, figuram vocamus Modum corporis. Corpus autem in se spectatum, nec ad alia relatum diverso modo figuratum, sive propria terminatione finitum intelligimus. At modum illum qui Motus dicitur ab aliis sejunctum habere non potest, cum in spatio imaginario quod Nihil est, quò iter dirigat non inveniat: nam qui motum in vacuo speculantur, vel vires ejus proprias impedimentum cogitatione tollendo considerant, vel si spatium inane reipsa statuunt, Phantasiam non mentem consulunt. Extensum igitur Extenso applicatum cogita: si extremitate extremitatem tangat æqualem, quiescit, si majorem, movetur. In hoc etenim contactu majoris, fluxio, successio, prius, & posterius, hoc est motionis ipsius intima natura concluditur. Finge animo laterculum O non alteri æquali P commensuratum, sed extensioni cuidam majori versus G applicatum, in hoc ipso majoris contactu progressionem, promotionem, accessionem ad eam plagam intelliges. Quietis vero & persistentiæ notionem efformas, dum laterculum O laterculo P pari conjunctum intelligis, hæc etenim æqualis cum æquali conjunctio, fluxionis tibi speciem nullam objicit. Hoc age ut animam ad fluxionem, aut successionem quam motus omnis continet diligenter attendas, eamque dum æqualia sibi congruunt cogitari non posse, dum minus majori respondet, velut à primâ & perspicuâ fluxionis origine manare perspicies. Paginam hanc manu percurre, nonne manus ut mota cognoscitur parti se majori respondet, æquali vero congruens non procedere, sed sisti intelligitur? Neque hac notione aliam vel priorem, vel simpliciorem, vel clariorem invenies, nulla igitur causa est cur aliam definitionem inquiras.

Prima & intima Quietis, & motus Notio.

§. 21. Vulgò motus loci mutatione solet explicari, locus autem extremitate corporis ambientis, sive eadem fuerit, sive diversa, modo à signis quibusdam eodem intervallo diffita. Cæterum hoc vim motus haud exprimit, nam licet navis, quæque in navi sunt accedant ad littus,

hac

hac tamen loci mutatione merces probe compactæ, ut absque successione cohæreant, neque se mutuo premant, aut radant, nullum à motu vel detrimentum, vel emolumentum accipiunt, neque alio modo se habent quam si navis immota constitisset. Ea igitur moventur tantum extrinsecus, non intrinsecus, cum nulla mutationis interioris nota cernatur. Definitio vero Aristotelis qua motum actum Entis in potentia prout in potentia dicendum putavit, verbis constat tam parum ad motum explicandum idoneis, ut ipsa per motum explicari debeant. Actus enim & potentia quod sint, nisi motu & mobili prius cognitis, ægre percipies. Porro motum perinde ac figuram, non substantiam, sed modum corporis esse, ex iis quæ de figura diximus, patet, neque ullum reperio qui in dubium vocet. Quod si extremitatem majorem contingere sit corporis quidam modus, non substantia; æqualem quoque contingere modus erit. Neque enim motum negando quietis notionem efformes, nam pari jure negatione quietis motum intelligas, cum haud minus positivum sit æquale, ac inæquale contingere. Hique modi corporis positivi inter se tantum differunt, quantum par est conjunctionem fixam à fluxa differre. Corpori autem solitario motus negatione solummodo, non autem alterius applicatione corporis, quietem tribuimus. De ea vero minime laboramus, dum corporibus intra universi ambitum arcte compactis locum quærimus. Cujus quæ notio sit, jam tibi obscurum esse nequit, nam si hoc modo se mutuo ponantur tangere, non possunt non hunc ordinem hac serie, situque dispositum habere, ac proinde nullum non hac certa intervalli distantia ab aliis quibusdam certis, ac signatis aberit. Poterit quidem laterculus B in superiore diagrammate alio translatus ab iisdem A, C, I, K, circumjectis attingi, his tamen aliorum attactu diversi modi convenient, adeo ut nunquam cogitari possint hæc corpora hoc singulorum inter se contactu prædita, quin hoc ordine, hoc singulorum ab invicem intervallo posita cogitentur. Unde etiam non modo ubicationis ignotæ, sed durationis etiam illius quæ motioni agglutinatur incommoda vitare licet. Nam si motum quemdam certum ab orbe condito fluentem, id est hos, horum, tot, & talium corporum attactus finxeris inæquales, nullum ex his ut motis prius, aut posterius existens, vel prioribus, aut posterioribus coexistens nisi alios contingentiæ fluxæ modos affingendo cognosces. Qui quidem modi non sunt ex obscuro specu deprompti, sed in medio positi, atque omnibus cogniti, cum neminem lateat, quam diverso modo se habeat corpus aliis aliter stabili, instabilique tactione conjunctum. Quæ sit modi à subjecto distinctio id nunc non quæritur, sed inferius suo loco monstrabitur.

Quid sit corpora in loco certo esse.

Quid in tempore externo quod motibus continetur.

Durationes autem quid apud alios ſint ex ubicationibus colligas, nam vel intrinſecus diſcolores, vel affixione ad tempus imaginarium, aut æternitatis divinæ ſegmenta quædam virtualia diſſimiles deſcribuntur, licet à quibusdam qui ubicationes aſſerunt, reſpuantur. Propterea quod de corporibus duobus dici nequeat quod exiſtant, quin eodem tempore cogitentur exiſtere, ſecus autem de loco. Quæ diſparitas vocum, non rerum differentia nititur. Ita enim inſtituta ſunt verba ut tempus non ſpatium præſens ſignificent, res autem ſubſtantia, & figura haud magis tempore, quam loco conjunctæ ſunt. Potuiſſet enim hæc pyramis exiſtere, hic quoque globus, nec tamen hoc tempore magis, quam hoc loco ſimul exiſtere, ergo non minus hoc tempore, quam loco coexiſtere diverſitatem aliam veram, & intraneam arguit. Neque quod huic argumento, præter inutilia verba, reponerent, hactenus excogitatum reperio. Sed de duratione poſterius, & uberius, eſt enim corpori, incorporeoque communis.

Quid unio corporum inter ſe.

§. 22. Corporum igitur contactu diverſo tempus externum ſeu motum ſitumque & locum includimus. Quid unio? Sane quorum extrema magis complicata ſunt, minuſque flexillia, ea inter ſe firmius cohæreſcent: In his præter figuram ſitumque diverſam, ſive contactum nihil apparet: E dictis etiam manifeſte colligitur, cur corpus nullum produci queat quin alicubi debeat exiſtere. Non enim poteſt exiſtere quin corporum eorum quæ producta ſunt aliquam partem attingat, nam vel intra, vel extra mundum conſiſtat. Si intra, quorundam undique contactu cingitur, ideoque in loco eſſe dicitur prout locus corporis ambientis extremitate cognoſcitur. Si extra, parti cuidam extimi mundi conjungitur, cum ſpatium imaginarium nihil ſit, neque quicquam, cum nihil interſit, ſejunctum ab altero poſſit intelligi, quare alicubi, ſeu in aliquo loco dicetur eſſe, qua locus extremitatem ſignificat ambientem, ſed qua aliquid alicubi eſſe dicimus, quod intervallo aliquo à ſignis quibuſdam cogitatione noſtra defixis removetur. Si corpus unicum fingas exiſtere ei locum, aut ſpatium aſſignare non poteris, præſertim ſi Atomum ſumi velis, nam ſi partibus conſiſtat, partim in loco poſitum diceretur, quod extimæ partes intimas comprehenderent. Cæterum qui nullum corpus eſſe poſſe, quod non alicubi ſit, olim ſenſerunt, ii ad mundum jam conditum reſpexerunt. Tu vero quid ſpectas, qui corporis ſubſtantiam ubicationibus, infimo accidentium generi neceſſitatis ſummæ vinculis aſtrictam ſtatuis, quam calore, frigore, inſtrumentis agendi: colore, ſapore, odore, nudæ indumentis atque ornamentis eſſentiæ, tum duritiei præſidio, & qualitatum moventium remigio, ipſa denique extenſione, ac tantum non ſeipſa carere poſſe non dubitas? His etenim demptis quid ipſi præter nomen

Cur nullum unquam corpus niſi in aliquo loco poſſit eſſe.

inane

inane sit reliqui, si quis unquam vidit, certè istius arcanæ naturæ scientiam cæteris invidit, quam tantum nomine tenùs notam esse voluit. Sed de hoc alias. Nunc tecum hoc reputes velim, clavi trabales postibus alte impacti, ubicationibusne illis tenuissimis furtim ablatis exilient propediem, aut in nihilum evanescunt? Forte quia substantiam corporis occultam ponis, eandem qualitatibus, & proprietatibus occultis instruere, eisdemque interitus causam occultam tribuere consentaneum esse putes. Sed credibile non est veteres in rebus tam occultis, tamque ad conservationem corporis parum necessariis, vel utilibus locum posuisse, quem corpori manifesta necessitate censuerint colligatum. In quibus *ubi* vel *locum* nos ponimus, ea sunt ejusmodi, ut quam connexa sint corpori post mundum conditum vel cum aliis corporibus producendo, nemini obscurum, aut dubium esse possit.

§. 23. Actio jam restat, & Relatio. Potest, inquiunt, hæc causa, hic effectus existere, licet hic effectus ab hac causa non procedat, aut alio efficiendi genere procedat, nam & calor, & ignis forma possunt ab hac, vel illa causa produci, & reipsa ab alia quam quæ fecerat, conservantur, tum quod è materia Deus eduxit, creatione producere potuisset, hunc igitur effectum ab hac causa, vel hac actione producere, aliquid ab utroque distinctum arguit. Invitis hæc alium modum extorquent, mihi nullam vim inferunt, qui plantarum & elementorum formas inanes, inutiles & commentitias esse, & rem omnem quæ est à Deo solo conservari, & ab eo solo, perque creationem unam esse inferius ostendam. Motus autem corpusculorum quo calor & eductio continetur, ut hoc potius quam alio agente nascatur, hujus & proximum situm, & prævium motum, vel si incorporeum sit cognitionem, & volitionem ipsi convenientem postulat, quibus positis, atque impedimentis ablatis non potest hic motus non hoc modo, & ab hoc motore præ cæteris proficiscì. Sunt qui ubicationem, & durationem in actione constituunt, resque ut sit, atque ubi, & quando sit agentis vi pariter definire volunt, atque ut Domitianum Cæsarem ad muscas configendas succisivas quotidie horas sepositisse legimus, ita isti haud exiguam in modis trucidandis operam navare solent, si quem forte ex insidiis è medio sustulerint, tanquam parta victoria non modica trophæum erigunt. Quasi vero monstrosus hic modus trium dissimillimorum compage fœde compositus minus Philosophum mole informi, quam multitudine plures terreant. Nihil agis numerum reddendo minorem, nisi naturam efficias clariorem. Doce quid actio sit, fac menti pateat hæc via, quæ ab efficiente ducitur ad effectum; planam, commodam, & si fieri potest necessariam ostende, nec quod in modo sit posita præcipitem, aut lubricam

De actione.

cam ſuſpiceris. Modus enim ſi recto ſenſu ſumatur ad veram, & veterem de Accidente ſententiam haud paulo propius, quam qualitas abſoluta recentiorum accedit. Qua de re propediem copioſe diſſerimus. Res igitur ut ab hac cauſa, vel hoc modo exiſtentiam meram accipiat modum actionis nullum in effecto requiro, an autem ad perſeverantiam infra conſtabit.

l. 2. n. 59.

De Relatione.

§. 24. Sed denſo prius relationum agmini occurrendum. Quæcunque enim mutuo comparando cognoſcimus, quamvis à ſe mutuo apta non pendeant, ea tamen plurimi modis quibuſdam relativis ſe mutuo reſpicere arbitrantur. Hoc illi eſt ſimile, diſſimile, propinquum, diſſitum, æquale, inæquale, hæc illius cauſa, vel effectus eſt, & alterum alteri unione conjunctum. De hujuſcemodi cogitantibus non rei, inquiunt, ſingularis entitas abſoluta, ſed ad aliud quippiam relata proponitur. Cum montem, ſeu molem terræ eminentem intelligis, una etiam vallem, ſeu terram infra depreſſam intelligis: Neque molam aſinariam, aut aſinum molarium abſque utriuſque tum machinæ, tum animalis repræſentatione cognoſcis. Quorum omnium relationum, reſpectum, nutumque reciprocum rebus ipſis infixa, non autem cogitationibus noſtris afficta pronunciant. Sed non de omnibus idem decernendum ſciunt. Aliam enim relationem inſeparabilem, aliam reperiunt ſeparabilem. Hanc prædicamentalem, illam vero tranſcendentalem appellant. Nam effectus ita cauſam reſpicit vel unam, vel aliquam ut hoc reſpectu carere non poſſit, quem proinde cur ab ipſius effectus entitate ſecernant rationem, ut par eſt, nullam inveniunt. Unionem itidem extrema quæ jungit non alia, ſed propria entitate reſpicere, eo quod niſi illa connecteret, eſſe nequiret, ſimili conſecutione deducunt. Haud aliter ubicatione, duratione, actione differunt, quippe quæ ad ſubjecta ſua indigentiâ prorſus inevitabili referantur. At vero Entitas cauſæ poteſt eſſe licet effectus non ſit, neque imago, Cæſaris morte, perit, neque mola deſtructa moritur aſinus, & vallem implendo non mole, ſed nomine ſolo montem ſpolias. Horum igitur ajunt ad alia relatio à ſingulorum diſtinguitur Entitate. Cæterum hæc eadem ſi non ut exiſtentia, ſed in ſtatu, quem vocant poſſibilitatis, intelligas, reſpectu quodam inſeparabili ad alia referri Philoſophorum vulgus exiſtimat, propterea quod poſſibilitas cauſæ, & imaginis ab effectus, & exemplaris poſſibilitate neceſſario pendere arbitrentur, adeo ut cujuſlibet poſſibilitate ſublata, veluti ſi formica impoſſibilis cogitetur, & Angelos, & res omnes hac clade perculſas, & exiſtentia, & vero etiam exiſtendi potentia ſpoliandas cenſeant; quamvis alii alia, Deum vero plures hac lege eximant, cujus potentiam tametſi nil fieri poſſes, illæſam, & integram ſervandam putent. Hiſque de rebus diſputationibus ſane prolixis tum in Philoſophia, tum in Theologia, ſic tanquam de

rerum

rerum ſumma contenditur. Mihi vero hic ordo Tranſcendentalis, qui cuncta tranſcendit, ac permeat, tam copioſam altercandi materiam non ſuppeditat. Nam cum ordo, reſpectus, relatio, eorum quæ invicem comparanda ſint diſtinctionem poſtulet, quam ullam, ut infra videbitur, inter Modos, & ſubjecta reperiam, neque res in poſſibilitatis ſtatu vel inter ſe, vel à cauſæ potentia ullo pacto diſtinguam, neque rem ullam fieri niſi à cauſa prima, & ſumma decernam, neque cuiquam eſſe ullum vel tenuiſſimum, priuſquam reipſa exiſtat, tribuam, hoc tantum eſt reliqui quod diſputatione, aut diſcuſſione non eget, rem creatam exiſtentem quod ens ab alio dicitur ad cauſam creantem, ſeu conſervantem, quod ens à ſe poſtea probabitur ordine cujuſdam neceſſitatis extremæ referri. Non autem hæc illam reciproca relatione reſpicit, quippe quæ creaturæ exiſtentia non egeat, neque ab ejuſdem poſſibilitate diſcrimine ullo differat. De tranſcendentali nullus diſputandi locus.

§. 25. Sed nec de Relatione prædicamentali mihi multum dicendum ſupereſt, quippe quæ Sophiſmate uno in ambigua, & fallace verborum ſignificatione poſitu nitatur. Prædicamentalem, opinior, nuncupant, eò quòd prædicatio ab enunciatione Scholaſtico ſermone non diſcrepet. Res autem prout nobis quidem notionibus, aliis vero non uno modo nominibus enunciamus, in decem genera, ſeu Prædicamenta partiti ſunt Veteres, in quibus Relatio locum occupat. In qua quidem omiſſis vocum logicatum ineptiis, præter res quæ comparantur, & cogitationem comparantem, nihil invenies. Cum Sphæram Sphæræ ſimilem vel alteram altera majorem cogitas, ecquid obſecro præter extenſionem, & figuram animo volvis? His ſolis intentus reliquorum omnium obliviſcitor: Ut figurâ ſimiles, magnitudine dignoſcas inæquales, his ſolis contentus eſſe poteris. Cum extenſum alterum, & alterum ſeorſim conſideras, globos appellas, cum utrumque figura, & mole comparas, eorundem notiones diverſas verborum, ut æquum eſt, diverſitate ſignificas. Figura conveniunt, mole diſcrepant, figuram figuræ, molem moli cogitando componis, atque hanc de his cogitationem ſimilitudinis, & inæqualitatis vocibus exprimis, non quod aliquem convenientiæ aut diſparitatis Modum ex utriuſque figura, aut magnitudine emicantem aſpicias, cum nulla ipſius cauſa, vel effectus, vel ſignum appareat, nec quod reſpectum inter ea, ſeu nutum, aut nexum diſcernas, cum à ſe invicem apta non pendeant, ſed res ipſe cogitando comparas, atque connectis, quæ proinde non aliter relatæ, & comparatæ dici debeant, quam quod intellectione comparante, atque ad ſe mutuò referente noſcantur; quare cum ſimilitudo, diſtantia, æqualitas in Relatione ſita dicuntur, locutionem parum Philoſophicam interpreteris oporteat, ut res ſimiles, diſtantes, æquales intelligantur ſe mutuo non ſuâ, ſed mentis relatione reſpicere, itidemque de De prædicamentali.

aliis judicandum, quæ licet seorsim existere queant, notione tamen una invicem aliquando comparari soleant. Veluti Dominus Servus, Mons Vallis, Pater & Filius: Petrus est homo absolutè, Pater & Dominus Relativè. Quid hic mysterij? quid nodum in scirpo quæris? Cum Petrum hominem cogitamus in eo seorsim mentem figimus, cum Patrem & Dominum ad alios etiam cogitando deflectimus. At Aristoteles dixit *Relatorum Esse ad aliud esse*, sed eo loco dixit ubi res ex notionum, & nominum varietate diversis prædicamentorum tribubus, ad Logicorum potius, quam Physicorum usum separavit. Utinam alibi tam facilem interpretationem admitteret! Fac ita locutum Aristotelem ut absque respectu, nutuque rerum intraneo vix, aut ne vix quidem explicari posset. Num illius tuendi causa rationi manifestæ bellum indices? Nonne satius esset fateri ipsum aliquando dormitasse, quam ut tu vigilans sapientibus somnia narrando non sapore, sed furore correptus videaris?

In categoriis.

§. 26. Videsis num ista sint delirantium somniis, an Philosophorum dogmatis propriora? Esse Patrem, Dominum, æqualem, similem, propinquum, aut dissitum, in quodam Esse relavato intraneo situm est. Si ita est, vel iste respectus erit Modus aliquis, aut formalitas, aut virtualitas, in eo quod ad alterum refertur emergens, vel erit ex utroque termino, tum eo qui refertur, tum altero ad quem refertur compositus. Utrum horum mavis accipito: Si prius, dum ipse has literas chartæ illino, innumerabilis vel formarum Modalium, vel formalitatum soboles ubique terrarum pullulat: si easdem delevero, quantum in rebus ductu uno calami stragem edidero! Nihil enim est inter corpora quod his literulis non sit vel æquale, vel inæquale, simile, diversum, propinquum, aut dissitum. Petrus Lancastriæ habitat, eo inscio Filij, Famuli, Milites moriuntur Londini. Quare jam non amplius est Pater, Dominus, Imperator; Formalitatum igitur, aut Modorum, veluti pilorum defluxu, sine sensu calvus efficitur. Num ex Aristotele talem, ac talium rerum ortum, & interitum, sine causa, sine contrario, sine applicatione, aut præparatione uspiam didicisti? Hæsitantem quidem sæpe, & vacillantem, ac sibi haud satis consentientem quandoque cernimus, at tam pueriliter nugas agentem, & secum tam temere, & aperte pugnantem, necessitate præsertim nulla coactum nunquam videbis. Quòd si Patrem, & Dominum ex utroque termino conflatum statuis, Syllogysmo te Logici confestim illaqueant. Priamum esse Patrem, est Priamus, & Hector; Hectorem esse Filium, est Hector & Priamus; at à parte rei, ut loquuntur, eadem sunt Priamus, Hector; & Hector, Priamus. Itaque reipsa idem est Patrem, & Filium esse. Similiter idem est Mons & Vallis, Servus & Dominus, atque ut exemplum tam subtili sententiæ accom-

accommodatum adhibeam, Asinus molarius ab Asinaria Mola non differet. Versant se in omnem partem, ut hoc laqueo se exuant. Pater, inquiunt, est Priamus in recto, Hector in obliquo, vel horum capacitas, ut in recto vel obliquo sumantur, vel cogitationem in recto, & obliquo accipientem includunt, vel aliam quæ sic possit accipere complectuntur. De his jure reliqui, ut solent, triumphum agerent, si res tantula triumpho digna foret. Nam rectum, & obliquum, vel recti, & obliqui capacitas præter hos duos homines nihil prorsus in rebus, & extra mentem indicat. Cogitatio verò quæ sic accipiat, vel possit accipere, neque Patrem, aut Filium ullo modo constituit. Priamum Hectoris Patrem scies, si hunc ab illo genitum scias. Cogitatio tua vel aliena quid ad Hectoris à Priamo generationem contulit? Nempe Dialecticorum somniis tumescit in Montes, & in Valles terra subsidit. Vulnus hoc, adhibitis tot frustra remediis, visum est reliquis insanabile, nisi forte Modi, vel formalitatis emplastro curari queat, quod quam salutare sit supra vidimus. Sed mirum est quid tantas in re facili, & nihili turbas excierit? Si Priamus Hectorem genuit, aut jure emptionis Pamphilo Davus servit, generatio, & pactum facit ut Patrem ad Filium, Herum ad Famulum cogitando referas; neque est cur alia notionum harum, aut nominum origo quæratur, quamvis autem Patrem, & Herum nominando, Filij quoque & Famuli imago mentem subeat, non tamen idcirco id quod est Pater, aut Herus, Filium, aut Famulum tanquam alteram sui partem reipsâ continet, cum notione, & appellatione una non modo plures totius partes, sed & plura tota aliquando signentur. Neque Pater est Priamus & Hector, sed Priamus solus: Verum quia nomina sunt notionum notæ, ille vero & seorsim, & comparatim nosci queat, cognitioni cuique proprium signum aptamus, & priori quidem Priami, posteriori vero Patris nomen substituimus & alterum quidem absolutum, relativum alterum, à cognitionibus quarum vice substituta sunt appellantur. Id vero quod est Pater non aliter relativum dicitur, quam quod generatione Filij det ansam ut cognitione quâdam ad alterum id referente noscatur. Hanc autem, ut ita dicam, Referibilitatem cur plurimi Relationem nuncupent objectivam, qui distinguibilitatem inter gradus Metaphysicos distinctionem objectivam esse pernegent, divinare non possum. Alia multa de Relatione fusissime disputantur, sed quæ in sententiâ nostrâ locum non habent. Atque ex iis quæ de Relatione aliisque modis diximus liquet, præter figuram, quietem, & motum, nullius alterius quæ naturæ corporeæ propria sit cerni vestigium. Hæc autem & esse, & corporis etiam modos esse dubitari non potest, sed Modorum à subjecto modificato discrimen investigandum supereſt. Nam quæ de distin-

Tres solũ corporum Modi.

distinctione Modali Recentiores differunt, nec tenuissimam quidem vel utilitatis spem, vel veritatis speciem ostendunt. Hoc igitur agamus. Quo probè perspecto multò plura, & majora, quam ex hoc loco prævideas, in posterum explanata comperies.

Modus à subjecto divulsus nec cogitari quidē potest.

§. 27. Principio quidem constat Extensum quandoque abstrahi cogitando à Modis illis quos figuram, quietem, & motum vocamus: Horum enim immemores quid Extensio, merè quà Extensio est, mente volvimus. Contra verò haud minore perspicuitate cognoscimus figuræ, quietis, aut motus notionem effingi non posse, quin eadem si penitus inspiciatur extensi species inclusa compareat. Ecquid enim absurdum magis, ac ineptum, quàm rotunditatem à rotundo, sessionem à sedente, ambulationem ab ambulante vel mente præcisam in seipsâ spectare? Quamvis enim formarum instar animo obversentur, & vocibus abstractis efferantur, non tamen idcirco ut formæ à seipsis suspensæ atque à subjectis divulsæ considerantur. Eodem enim argumento à Deo sapiente distinguas sapientiam, quæ ad similitudinem formæ & menti objicitur, & voce profertur. Sanè. D. Thomas ex sua, & Aristotelis sententia sic loquitur: *Forma non dicitur Ens quasi ipsa sit, sed sicut quo aliquid est*, id quod de Modis, saltem quæ nisi Formæ sint, esse non possunt, interpretandum. Idem alibi accidens Ens esse dicit, quia eo aliquid est; rursus alio loco *Accidentis est Ens, verum, bonum, ut quo, non ut quod.* Tum recentiores etiam passim pronunciatum hoc vetus, & verum asciscunt; *Accidentis esse est inesse.* Cujus autem Esse est inesse, id non magis ab Inesse, quam Essentia propria præscinditur. Accidens igitur vel re, vel cogitatione Esse, & non inesse, haud aliud est, quam absque Essentia cogitari, vel esse. Iam vero si non est aliquid *ut Quot*, sed tantum *ut Quo*, non est id quod in se cogitando signetur, sed quo aliquid ita est, ut quo modo sit cognosci queat. Sepone tantisper Eucharistiæ mysterium, & quid ratio, quid communis intelligentia, quid veterum sensus de accidente nos doceat intuere. Iam tibi prædico nihil inde periculi imminere, ne fides à ratione dissentiat. Quo metu si D. Thomas & alij caruissent, nunquam hæc tam clara, & Antiquorum sententiæ consentanea restrictis, & confictis interpretationibus obscurassent. Ex his itaque satis apparet formas accidentarias ne notione quidem, nedum reipsâ à subjectis posse abstrahi: immo si notione possunt, cur reipsâ non possent causam nullam invenies. Quid enim vetat, quod suum *Esse* ab altero distinctione interiore, ac proinde vera, non ficta, discriminatum habeat, quin aliquâ saltem præpotente virtute separatim ab alio sustentari queat. Nemini verò unquam in mentem venit ut motionem sejunctam à mobili existere posse censeret. Quamvis enim Recentiorum nescio

1. p. q. 10. a. 2. c

1. p. q. 104. a. 4.

2. q. 55.

qui

qui Ubicationes quas mobile mota colligit, novâ quadam divini existimatione dominii, à subjectis avulsas existere posse autument, Motum tamen haud separant, quippe quem in ubicationibus unionum quarundam vinculis subjecto constrictis statuant. Porro quæ de corporis figura, & motu protulimus, eadem intellectioni & volitioni perinde congruere neminem latet, cum facultati intelligenti, & volenti peræque conjunctas esse pateat.

§. 28. Quæres opinior, quid nam sit accidens si nullum esse ab ejus cui accidit essentia distinctum obtineat, quove pacto corpus aliis atque aliis figuris & motibus obnoxium, nisi diversorum entium amissione, atque adjunctione noscamus? Respondeo quovis modo potiùs, quam, illo quem fingis. Quid enim magis pugnans, quam ut quod suum esse non habet, id ad alterius esse cogitetur adjunctum. *Accidens* autem ait D. Thomas *non habet esse, sed eo aliquid est, sicut albedo dicitur ens quia eâ aliquid est album.* 1. p. q. 90. a. 2. c. Hoc si de albedine dixit quam in qualitate quadam constituit absoluta, quanto magis de figura, quiete, motu, cognitione, volitione, duratione, quibus ego solis accidentibus utar, dicendum esse censuisset. Nihil enim horum ut quid, sed ut quo quid alterum figuratum, quietum, motum intelligens, volens & manens noscitur. Magistro suo Bannez & alii Thomistæ non pauci consentiunt, qui accidentia propriis spoliari non dubitant existentiis. Esse autem ab existere antiquorum nemo distinxit, neque Recentiorum quisquam distinguendum ullatenus censuisset, nisi longis disputationum dialecticarum erroribus in eas sensim angustias nec opinantes veniissent, ut absque essentiis quibusdam objectivis evadendi spem nullam cernerent. Neque D. Thomam aut discipulos fugit quam parum consentanea loqueretur, cum à quibus hi Existentiam, ille etiam Essentiam ademisset, neque alias quam quæ substantiæ sint tribuissent, ea tamen, sublata substantia, in Eucharista & esse, & existere faterentur. Quod perinde est, ac si quis accidens sine essentia esse, & sine existentia existere arbitretur. Nam essentiæ, & existentiæ quæ alienæ sunt, nullæ sunt, cum ei cui propriæ non sunt utilitati nulli esse queant. Facilius est enim alterius sapientia sapere, quàm essentia esse, aut existentia existere aliena: quæ cum singulis, si quid aliud, identitate summa sunt intimæ, iis aliunde emendicatis si vivere liceat, nihil uspiam est quod sibi quisquam ut proprium, & peculiare vendicet. Cæterum præsidium Eucharistiæ propugnandæ quærentibus cum haud aliud occurreret, maluerunt viri pii à scientiæ claritate, quam à fidei sanctitate recedere. Quorum ut laudanda pietas, ita non spernenda subtilitas, quod tam acutè perspexerint quam esse accidentarium in ipso

esse substantiali sit absque distinctione penitus inclusum, atque adeo si salva fide licitum putavissent, nunquam accidens ut aliquid substantiæ conjunctum, vel cum eo compositum, nedum ab eo ulla vi existendo sepositum judicavissent.

Qualis-nam accidentis, aut Modi formanda Notio?

§. 29. Sed ne diutius teneam. Hanc animo cum de accidente cogitas informationem habeto. Cera cum quiescit, movetur vel in formas varias manu fingitur, non aliquid ab eo distinctum eidem accedit, aut accidit, aut adjungitur. Nam ubi ceræ quietem, motum aut figuram ab ipsius ceræ extensione separatim animo volutare cœperis, mox te velut umbras inanes prensando frustratum senties, & quo magis eas captare perrexeris, eo magis captum omnem effugere persentisces. Author igitur tibi sum ut quid sit Quiescere, moveri, quid figuratum esse, veluti quid rotundum, quadratum, cylindricum, id est ut quid quodque sit non in abstracto, ut loquuntur, sed in concreto consideres. Tum te ex tenebris emersisse gaudebis, neque Magistrum qui quid ista sint docear, postulabis, quippe quæ clariùs ipse mente exprimas, quam sermone quispiam explicare queat. Atque ex aliis etiam, si libuerit, experimentum capias. Nam si quæras à quopiam, cui mens recta, & integra, & nondum disciplina prava distorta, quid sit quiescere, moveri, quid rotundum, aut angulosum, contumeliam sibi factam queretur, quasi fatuum putes, quem earum ignarum quæ neminem fugiant, suspiceris. Sin motus ut à mobili vel re, vel mente distractus quid vel quale sit percuncteris, non modo percunctatorem molestum, sed nugatorem ridiculum aspernabitur. Unde tibi facilè persuadebis corpus quietum, figuratum, aut motum non ut à Quiete, figura, motu compositum, sed ut quidpiam simplex, & incompositum intuendum. Nam quod ex pluribus conflatum est, id partes singulas contemplando seorsim, magis accuratè, & distinctè cognoscimus. Sed hac in re contra factum scias, cum Quietem, motum, figuram sigillatim intueri conanti, confestim ex oculis, oborta menti caligine, evanuerint. Tum demum veteris te haud leviter pœnitebit erroris, quem à primis Philosophiæ cunabulis à præceptoribus hauseras, cum corpus esse rotundum, animam esse intelligentem audires, corpus habere rotunditatem, animam habere intellectionem falsa distinctionis, & compositionis imagine cogitares. Et nutricem Magistra doctiorem fuisse miraberis. Hæc etenim ad rei naturam congruentiùs loqui docuit. Hoc pomum est rotundum, & rubrum. Age quid tristis es? Esto potius hilaris, eris aliquando vir felix, & magnus. Ille tibi contra rotunditatem à rotundo, ruborem à rubro, tristitiam à tristi distingui, præpostero *habendi* vocabulo quæ rectè dideras perperam dedocendo persuasit. Nam rotundum esse, rubicundum

dum esse, tristem, lætum, felicem esse, est ipsum rei esse id quod tunc est, cum ita est; illud autem si ex varijs Entibus conflatum esse finxeris, *esse* illud quid, vel quale sit nunquam capies, sed magis, minus, aliter esse ejusdem Esse mutatione, non alterius esse accumulatione cognosces.

§. 30. Augustinum audi quo nemo subtilius, & felicius verba rebus accomodat, *Si magis, magisque esse volueris ei quod summè est propinquabis*, alibi dicit Deum vocari Qui-Est quia immutabilis est, *Quod enim mutatur non servat suum Esse*. Itaque accidentarium *Esse*, rei ipsius est *Esse*, nihil autem à suo *Esse* distinguitur, nullo igitur limite *Esse* substantiale ab accidentario discriminatur. Sed cum Esse quoddam rei, quod quamdiu illa est, semper est, atque esse necesse est, mente revolvimus, huic cognitioni Hypostatis, substantiæ, vel subsistentiæ vocabulum sane proprium subrogamus: quod quia à stando derivatum est, esse quoddam stabile repræsentat; sed cum eo modo quid esse cognoscimus, quo possit non esse, scilicet hoc esse quasi fluxum, & instabile, minimeque consistens, haud immerito adventitium accidens, (quippe quod non sit fixum & permanens) appellatur. Ita Esse extensum, substantiam corporis, figuram, quietem, motionem Accidentia Vocamus, non ut tria quædam Entia Extenso affixa, infixa, adhærentia, vel inhærentia cogites, verum ut Extensum modo quodam commutabili non uno, sed Trino esse cognoscas. Atque hæc quidem tam clara sunt, atque facilia ut tot verbis inculcari minimè debuissent, si principia quædam perperam intellecta, sed longo usu, & communi consensu Logicorum mentibus altè infixa exculcari, aut extundi facili negotio potuissent.

de lib. arb. c. 8. l. de Trin. c. 2.

§. 31. Separationem enim veluti distinctionis notam certissimam jam tum à primo Philosophiæ vestibulo didicerunt, quoniam vero corpus potest esse nec tamen hoc motu cieri, aut hac figura terminari, idcirco hos modos à corpore separari posse judicant, non igitur sunt idem cum corpore, alioqui etiam idem à seipso separari posset. Verum aliud longé est non amplius se habere corpus hoc modo, & hunc modum à corpore separari. Namque ut aliquid ab aliquo separatum intelligas, aliquid & aliquid, intelligendum occurrat necesse est; Modus autem, ut satis ex ipsius notione, & antiquorum opinione jam constat, non aliquid est, sed quo aliquid est, à quo proinde nec separatim esse, nec sciri queat. Quare licet corpus, & corporis modum distinctio nulla discriminet, non tamen propterea corpus alio modò se habens, quàm prius habuerat, à seipso sejunctum dici potest, Nomina quippe rebus, ut notionibus subjectæ sunt, imponuntur; corpus igitur appellatur quà notioni respondet quæ extensionem illius solam notam faciat; modificatum dicitur veluti quando tali modo extensionem se habere cognoscimus; corpus igitur à seipso ut sejunctum probetur, extensum

tenſum non hâc figurâ, vel motu ſed ſui ipſius extenſione carere probandum. Cæterum ipſum eſſe motionis, inquies, à corporis eſſe non diſtinguitur, corpus igitur ſuum eſſe, ideoque & eſſentiam poteſt amittere. Fateor corpus non modo aliter eſſe, ſed & aliud eſſe quam fuerat, non tamen ſubſtantialiter, aut eſſentialiter, ſed accidentaliter tantum, propterea quod ut ſuperius eſt dictum ſubſtantiæ vel eſſentiæ nomen extenſioni ſoli quâ carere non poteſt ſignificandæ tribuitur, Quare non amittit eſſentiam, immo nec Modum, ſi amiſſo rem diſtinctam demonſtret ablatam. Tametſi Modum amitti, acquiri, ſeparari, haberi dicentem patiar, dummodo rem tantum hoc vel illo modo, eſſe, vel fuiſſe ſignificet; neque acquirendi, aut amittendi vocabula, quod haud amplius habet quam ut quo Aliquid ſit, illud ipſum ut Aliquid alteri adjunctum, aut avulſum indicent: loquendi namque uſum, cum in Philoſophorum poteſtate non ſit, etiam tum cum Philoſophiæ minus aptè conveniat, immutare non poſſumus; explicatione tamen ad rerum naturas accommodatum ſine noxâ poſſumus tolerare.

Quonam modo è ſeparatione & productione colligenda diſtinctio.

§. 32. At ſeparatio ſi hoc loco non valet, ubinam diſtinctionis argumentum erit? Ibi ſcilicet diſtinctionem notabit, ubi cum notione diſcriminis cohærebit. diſtincta vero quis cogitet, niſi unum, & unum. Hoc, & illud cogitari queant? Modus autem ut Hoc aliquid, aut unum intelligendo, non amplius Rei modum ſed rem ipſam falſo Modi nomine deformatam intelligis. Propone tibi Philoſophum qui partes extenſi ante diviſionem ſtatuat indiſtinctas, hunc partium earundem ſeparabilitate coarguas. Hæc etenim extenſi ſemiſſis, ab alterâ tanquam hoc unum, & Aliquid ſeparatim loco, vel tempore poteſt exiſtere, hæc igitur ab illâ etiam prius quam ſeparata ſit, diſtincta cognoſcitur. Haud aliter quæ à productione diſcriminis Nota deducitur exponenda. Hoc producens, & illud productum vel Hunc Genitorem, & illum genitum, id eſt, unum, & unum, oſtendas oporteat, ut ens vel duplex, vel Binum appareat, alioqui diſtinctionis Notam à Notione finxeris alienam. Quare licet à voluntate noſtrâ fieri volitio dicatur, ab eâ tamen propterea diſtincta non dicitur, quia volitio non ut quid ipſum ſed ut quo quid aliud, ſine quo voluntas modo quodam ſe habeat, non ut unitas, ſed ut unitatis affectio, attentè cogitantibus obverſatur. Verùm ſermone magis ad Philoſophiæ normam exacta locutus fueris, ſi voluntatem potius ſe ad volendum inflectere, aut mutare, quam volitionem efficere, aut procreare dixeris, voluntatem item ut volentem, à voluntate nolente congruentiùs, quam volitionem à nolitione diſtinxeris. Similiter voluntatem ipſam volentem, & nolentem accidentaliter binam, quam volitionem & nolitionem accidentia bina dici malim. Hâc etenim

etenim loquendi formâ ei quod tantum est ut Quo suum quoddam Esse avulsum à subjecto tribuitur, illâ vero subjectum idem haud eodem modo, ut par est, se habere cognoscitur. Extensum itidem potius accidentaliter trinum, seu modo triplici se habere, quam tres modos figuræ, quietis, & motionis habere dicendum. Quamvis & hanc locutionem evitâre vix poteris, neque affectatâ curâ anxiè declinare debeas, cum re jam probe cognitâ errandi periculum nullum adeas. Securè quoque vocibus tum in concreto, tum in abstracto uti licebit, dummodò subjectum à forma non dividas, aut distinguas, sed idem tantummodo, aliter cognosci memineris, veluti cum rotundum, & rotunditatem adhibes, priore quidem vocabulo audientis animum magis ad extensum quod sic se habet, quam ad modum quo sic se habet considerandum applicas, posteriore autem vice versa, neutro verò modificatum à modo dirimis, aut alterum ab altero seorsim intuendum exponis.

De verbis contradicentibus.

§. 33. Sed & in verbis contradicentibus *Est*, & *Non* in rebus à se mutuò distinguendis plurimum momenti statuunt Dialectici, Quos tamen monitos velim ut à verbis quibus nihil magis ambiguum, neque à rebus quas significant magis remotum, ad certa, & propinqua distinctionis signa deflectant. Modus est amissibilis, substantia non, modus perit, substantia non perit, voluntas est id quod vult, volitio non est id quod vult, sed id quo volendi facultas velit. Quid inde? ergo Modus à substantiâ distinguitur? Unde id colligis? Ecquid ex his voculis tibi lucis affulget, quâ tenuem illam lineam quæ modum à modificа disterminet, prius inconspicuam, nunc tandem in conspectum venisse gaudeas? Num ei quod tantum est ut *Quo*, suum esse à subjecto vel re, vel cogitatione distractum verborum duorum testimonio testantibus contra tot aliis argumentis adjudicas? At axioma est inter Dialecticos *Idem de Eodem affirmari non posse, & negari*, at Dialectici si Philosophis annumerari velint, & rerum naturam perscrutari, quam ludicro verborum aucupio nugari malint, res ipsas, & quod cuique conjunctum est diligenter inspiciant, neque in verbis quæ rerum signa & extranea, & ambigua sunt indormitent, potiusque ex rerum distinctione de verborum significatione, quam ex hac de illa sententiam ferant. Quoniam autem res ipsas contemplando apertissime constitit substantiam inter, & accidens distinctionis vestigium nullum conspici, iniquum plane esset, ne dicam insanum, paucorum verborum argutiis, tot, ac tanta rerum argumenta postponere. Rem quidem ipsam secum pugnare si videris distinguas licet in plures, nihil enim sibi contradicit, pugnantia autem verba, ubi repugnantia rerum nulla cernitur, impune contemnas. Accidens perit, substantia non perit,

id est voluntas vi suâ, corpus alienâ aliter se nunc habet quam prius habuerat, vel aliud est accidentaliter, non substantialiter quàm ante fuerat, licet esse suum proprium à substantia distinctum accidenti non congruat, hoc adeo non pugnare cum ratione perspeximus, ut nihil ei consentaneum magis cogitari potuerit. Res igitur affirmata, & negata sibi probe consentit, neque mens affirmans, & negans à seipsa dissentit. Namque ubi in reipsa nil obstat quin corpus extensum maneat, licet rotundum esse desinat, quamvis rotunditatem tanquam vestimentum exuere non fingatur, mens certe notionibus exprimendo quæ rebus nullo pacto repugnant, secum ipsa pugnare non poterit. Notiones igitur, seu nomina rerum archetypa ubi rectè conveniunt quid simulachra vocalia rudi imperitorum opificio ad notionum similitudinem malè conformata significent, levius putandum est quam ut ad intima rerum discrimina discernenda momentum habeat. Quare rerum & notionum convenientia perspecta verborum pugna vel contemnenda Philosopho, vel ex rebus & notionibus dirimenda. Veluti in hoc syllogismo de sphærâ in pyramidem versa extensio & figura sunt idem, extensio manet, figura non manet, idem ergo manet, & non manet, idem igitur de eodem affirmatur pariter & negatur. esto, quid deinde? Axiomati ergo probato tollitur veritas. Probatum ais? quæro à quibus, & in quibus probatum, & quod caput est, unde derivatum? Authores sunt Logici qui in Verborum interpretatione versantur, neque res aliter quam ut verbis subjacent contemplantur. Axioma igitur Logicum ad sensum, & usum Logicum accommodandum. Idem autem apud Logicos est, quod significatione idem est, nam in Logicâ de rerum identitate nisi quantum ad verborum signa refertur haud cogitant, atque utinam alibi cogitarent. Extensio itaque & figura sunt idem, significatione nego, entitate concedo, vel Logicè sunt idem, nego, Physicè concedo, quare axioma Logicum apud Logicos vim suam obtinet, cum Affirmatio, & Negatio eidem Logicè sumpto non quadrent. Hique contenti esse debent cum à contradicentibus signis immunes fuerint, signa porro vocalia non nisi ex notionum, aut rerum quæ notionibus subjectæ sunt pugnâ confligunt, quæ quam inter se benè conveniant supra vidimus Quod si primam hujus axiomatis spectes originem, è rerum esse, & non esse fluxisse comperies, ex eo enim quod aliquid est, aut non est, affirmandum, aut negandum esse constat. Posse quippiam extensum esse, licet nunc quod prius fuerat, non sit rotundum, neque reipsa ab extensione rotunditas distinguatur, adeo obscurum non esse jam patuit, ut distinctionem intrinsecus cogitando è luce clarissimâ in densissimas tenebras incurrisse te semper memineris. Verum quia Dialectici quid dicant, modo à verbis contradicentibus caveant,

nil

nil penſi habent, eos ab hoc ictu, quem unicum reformidant, alia quoque arte tutaberis. Nam cum extenſio manere, figura dicitur non manere, extenſio cognoſci, figura non cognoſci, figura tunc ratione nulla manere, aut cognoſci ex uſu communi intelligitur. Falſum porrò eſſe fateberis nulla ratione manere, & cognoſci figuram, ſi quod reipſa à figura non diſtinguitur, id tum manere, tum cognoſci non dubites. Quòd autem res aliqua ſimplex, atque omnis è partibus diſtinctis compoſitionis expers aliter & cognoſci, & eſſe dicatur, in eo nihil quod vel re, vel mente pugnet aſſeritur. Sin ſphæram in pyramidem verti nulla rei mutatione, ſed ſola mentis fictione quis diceret, eum ad verba contradicentia haud magno labore redigeres, cum reipſa ſphæram à Pyramide non diſtingueret: eſſet enim Pyramis ex hypotheſi, deinde non eſſet, quia nihil ab eo quod fuerat, variata ponitur; immo nullo modo eſſet, quia extenſio mutationis omnis expers in aliam, atque aliam figuram ratione nulla mutabilis eſſe poteſt.

De axiomate Eadem eidem itidem convenire.

§. 34. Ecce tibi aliud axioma ex altiore ut putant fonte deductum, in rebus, non in verbis poſitum. *Eidem & eadem & eodem modo conveniunt*, cui igitur non eadem, itidemque quadrant, ſive ea intranea ſint ſive extranea, id utique non unum & idem, ſed in plura reipſa diſtinctum eſſe debet. Porro huic hujus ſphæræ extenſioni convenit manere, huic autem figuræ ſphæricæ non idem, aut ſaltem non eodem modo convenit: quamvis enim figura aliquo modo maneat, propterea quod extenſio non pereat quam prius identitate intima complexa fuerat, attamen converſa in pyramidem ſphæra eandem plane molem tum pondere tum menſura competies, figuram autem non eandem, ſed plane diſſimilem & viſu, & uſu dicernes. Hoc intranenm, illud extraneum. Turri è longinquo, vel in obſcuro conſpecta, extenſionem ſcio, figuram neſcio, aut certe non itidem ſcio, aliter igitur extenſioni, aliter figuræ ſciri convenit, ac proinde aliud, & aliud eſſe congruit. Congruit hoc axioma, ſi verbis repoſitis res ipſæ ſpectentur, nemini moleſtum eſſe poteſt, ideoque in rebus ſolis fundatum cenſeri non poteſt. Ubi ceram cogitas modo in ſphæram, modo in Pyramidem figuratam illius molem & extenſionem nullius entis diſtincti amiſſione, vel acquiſitione mutatam cogitas, neque aliud habere, ſed aliter ſe habere cognoſcis: in hoc igitur nihil non intellectu facillimum atque clariſſimum: contra ſi figuram velut ens aliud diverſum cum extenſo compingas, quid, vel quale ſit nunquam intelliges. Cognitione vero imperfecta, & obſcura haud ita rem ſimplicem explanari, neque mentem illius tam plenè compotem fieri, quin aliis, atque aliis cognitionibus plenius de ea judicare, & clarius pronnnciare poſſit, nemo dubitat. Num ſingulis tota

noſcatur litigant? quæ lis ambiguitate vocum nititur. Nam ſi rem totam noſcere ſit eandem plene pernoſcere, neque à ſingulis, neque etiam à pluribus tota cognoſcitur, ſin totam percipi ſit ita percipi, ut partes percipiendo nec facias, nec invenias, perceptionem totius cuilibet jure conceſſeris. Si quærat an cognitio totam attingat? Docebitur cognitionem non rem attingendo, ſed ad rem dirigendo ſcientem reddere, ad eandem vero diverſis ſignis dirigi, nullius in eâ diviſitatis indicium eſſe: neque quod extenſum aliter ac figura ſciatur, aut maneat, diſtinctionis in reipſa limitem ullum oſtendi, cum nihil rei uni & ſimplici repugnans appareat, quæ tamen ut cognitione multiplici conſiderata, & varietate nominum ſignificata, non eadem ſibi tribui patiatur. Ad ſummam. Hoc huic re, vel verbo convenit, illi non convenit, vim nullam habet, uni hæc, & illa unitas non comparet, ideoque ad diſtinctionem modi à ſubjecto non valet, ſed de diſtinctione alii ſæpe, nam ſæpius occurrit, & plura continet quæ res nondum expoſitas ſciri poſtulant.

I. 1. n. 25.

De axiomate, Quæ ſunt eadem uni tertio.

§. 35. Illud tamen haud differendum ulterius, quod ratiocinationis omnis humanæ firmamentum, & vero etiam fundamentum unicum arbitrantur. *Quæ ſunt eadem uni tertio ſunt eadem inter ſe*, figura porro ex noſtrâ ſententiâ eſt idem cum extenſo, motus itidem, idem igitur figura, & motus eſt. Tum volitio à voluntate non diſtinguitur, pariterque nolitio, neque igitur volitio à nolitione diſtinguitur, Idem itaque eſt velle, & nolle, cum utrumque à voluntate non differat. Sed hæc verbo uno disjicias. Figura non eſt *Quid*, ſed *Quo aliquid eſt*, motus itidem, figura igitur & motus non ſunt ex iis *Quæ* eadem uni tertio eſſe dicantur: Hæc igitur rebus, non rerum modis, & affectionibus applicanda, veluti omnis homo eſt animal, Socrates eſt homo, ergo Socrates eſt animal. Nonne animal eſt Quid? Socrates item? quæ quidem Homini, quod eſt Tertium Quid, eadem apparent. Habes hoc, illud, aliud, ex his filis Syllogiſmos intexas, niſi Aranearum telas texere velis. Nihil hîc obſcuri, nihil non cum rebus, rerumque Modis, atque adeo cum ipſius Pronunciati verbis ſummè conſentiens. Nihil igitur eſt cur iſta repudies, niſi quod olim incautè didiceras, atque imperitè docueras, dedoceri nunc forſan pudeat. Ac de modorum notione qualis ſit ſatis expoſitum. Extenſione vero corporis triplici ſe modo per figuram, quietem, & motum habente qualitatum omnium iniquum, & inutile pondus excuſſimus.

Vis magnetica non qualitate, ſed motu continetur.

§. 36. Niſi ſorte quis vim Magneris quâ ferrum allicit, & ſeptentrionem aſpicit, ad Qualitatem occultam revocet. Quam tamen ita præ cæteris non obſcuram modo, ſed abſurdam exiſtimo, ut licet alias aſciſcerem, hanc ab earum cætu proſcriberem, uſque adeo à cæterarum naturâ diſcrepat. Cur globus magneticus igne ardens calorem pari vi quoquoverſus effundit, & quali-

qualitatem istam per polos uberius, & fortius emittit? Qualitas certe densissima pervadit corpora, quibus igitur repagulis vel egressio vel actio coercetur? Tum in corpore unius modi quid in hac parte magis, quam alia obsistat invenias? Sin autem meatibus in partes oppositas perforatum intelligas, qua via corpuscula ferantur haud ambiges, quæ si non temere circumvolitent, sed ad aliquam mundi plagam itinere certo pertendant, obversis meatuum orificiis viam perfacilem obtinebunt, sed dum ingressum ad latera offensando moliuntur obliquum, tum magnetem ad situm rectum paulatim inflectunt; neque quicquam est quod vel magneticæ, vel alteri cuipiam arcanæ qualitati tribuitur, seu sympathiæ aut antipathiæ vocabulis celebratis eluditur, quod corpuscula mole tenuissima, motu celerrima, figura diversissima per corporum poros aliis recipiendis, aliis repellendis aptatos multiplici occursu, & commixtione delata non faciant: singula persequi, ad hujus libri institutum non pertinet. Quæque alii de plurimis ac difficillimis magneticorum proprietatibus differuerunt, hoc saltem evincunt, eas omnes si minus illis quas statuunt, aliquibus tamen figuris, & motibus jure optimo, nullo certe qualitatibus adjudicandas. Tum quæ à medicamentis trahendo, pellendo, laxando, stringendo, aperiendo, stipando, corrodendo, incidendo, vellicando fiunt, ea longe facilius ad notissimam figurarum, & motuum varietatem, quam ad incognitam qualitatis efficacitatem referas. Eoque magis quod tractio, pulsio, & reliqua, si stipationem excipias, apertissime motum involvant, hæc autem ad partium quietem manifesto pertineat, quæ cum vel mole, vel figura meatibus perrumpendis ineptæ sunt, hærent infixæ, & vias obstruunt.

§. 37. Neque mihi opus est motus quadruplex quem alii adhibent atque Aristoteli tribuunt. Primus est ad locum, & latio vocatur. Secundus ad qualitatem, & alteratio dicitur. Tertius ad quantitatem, quem accretionem nominant. Quartus ad substantiam & generationem nuncupant. Latio quippe sola mihi sufficit quam Aristoteles ex antiquorum omnium sententia motuum primum ostendit, omniumque potissimum nemo non videt. Hoc enim alterationem, & qualitatum omnium munia contineri docuimus. Quantitas autem alia præter ipsam corporis extensionem substantialem nusquam occurrit, quare corpusculis motu coacervatis accretio fit. Nisi forte quia eadem corporis substantia in amplitudinem majorem vel calefactione, vel fermentatione, vel congelatione videatur expandi, idcirco substantiæ corporeæ quantitatem, id est Entitatem quandam nomine tantum notam, quæ substantiam in extensam laxet, & ampliet, affundere quispiam velit. Id quod imprimis Scoto placuit, qui quantitate producta distendi, destructa densari censet corpora.

Motus omnis in latione situs.

8. Phys. tex. 54.

Quantitas est substantia.


De raro, denso, & vacuo.

Quem, qui quantitatem à corpore distinctam ponunt, immerito reprehendunt, nullum enim illi munus congruentius assignes. Hoc certe melius quantitas quam ubicatio fungetur, cum rarum, & densum loco nulli certo cogitentur affixa, sed loco mutato, incommutata permaneant. Poris autem vacuis modo contractis, modo diductis negotium hoc longe facilius quam ubicatione aut quantitate transigi posset, nisi spatium vacuum figmentis Chimæricis annumerandum esset. Nam si quoquo modo posset intelligi meatuum latera interjectione nihili esse disjuncta, eique quod nihil applicari mensuram qua distantiæ longitudo patesceret, proclive foret omnium quæ ad rarum, & densum attinent rationem reddere manifestam. Neminem lateret, cur densa solidiora, graviora, cur minus alienæ substantiæ quam rara arctioribus poris imbiberent, cur sub dimensionibus parvis materiæ multum includerent. Quamvis enim pars quælibet sigillatim accepta spatio semper æquali respondeat, dimensio tamen totius non solum ad partes singulas, sed ad spatia interjecta partibus adhibetur. Ita cum textum rarum, ut vocat Quintilianus, aut Retia rara, ut Virgilius appellat, ulna metimur, non filimenta tantummodo, sed & spatia filis intercepta metimur. Quare qui in vulgatæ atque ad vulgi sensum accommodatæ definitionis verbis vehementer incumbunt, ut partes singulas plus spatii in raro, quam denso arguant occupari, in argumento Grammatico puerilem in modum nugas agunt. Rebus ipsis probandum erat hos poros vacuos fingi non posse, si quidem se Philosophos probare vellent, sed neque se Grammaticos peritos ostendunt, cum verba contra probatissimorum Authorum sententiam interpretantur. Quando Tacitus aciem raram, Ovidius cribrum rarum, Virgilius raris habitata mapalia tectis, quando textum rarum Quintilianus dixit, num illis in mentem veniisse putas, ut homines, tecta, vel fila intumuisse, aut aliud quam spatiis majoribus disjuncta fuisse dicerent?

§. 38. Sed neque rebus, quam verbis felicius pugnant. Quid enim? Spatium nempe vacuum actiones corporum intercluderet. Esto, si magnum fuerit, quamvis neque hoc quidem recusare debent, qui motum in vacuo non rejiciant. Spatia vero perexigua quid obstant, nisi forte lumini ne tantilla quidem deflexio à tramite recto congruat, quæ cum sensum fugiat, unde illius notitiam hauseris, augurari non licet. At natura vacuum aversatur. Quamobrem? Quia tanti mali formidine aqua etiam sponte ascendit in antliis. Ain vero sponte? Cur igitur tanta potentia opus est quanta pari ponderi vi attollendo sit satis? Non igitur sequitur, sed trahitur. Ut omnia undique argumenta corradas, nullum invenies, quo spatiola vacua ei esse possent, reipsa non esse convincas. Sed neque reipsa esse evincunt

alii

alii, licet Heron Alexandrinus in experimentis plurimis colligendis permultum operæ posuerit. Nam quod corpora quædam aliud infusum bibant, id Atomorum è poris exclusione percommode explicatur ; nihil vetat etiam in argenti vivi meatibus contineri corpuscula, sed tam arcte concluſa ut non nisi magna vi, quam certa quædam hydrargyri altitudo præstiterit, exprimantur. Unde nupero experimento facillime respondetur. Unum acrius premit, quod Democritum adegit ut Atomis inane spatium intexeret. Nempe si plena sint omnia, fore quoque immobilia. Quid ita? Quoniam Atomos multiformes & rigidas, neque ulla vi in aliam figuram flexibiles existimavit, quo fiebat ut situ variato per motum, repentini Atomorum hiatus figuris haud inter se congruentibus nascerentur, tum una promota futurum ut reliquæ usque ad extremum universi ambitum protuderentur, atque hinc lacuna vacua, inde collis extuberans oritur. Veluti si A propellat C, & trahat B. relinquetur in B hiatus inanis, tumor autem in E forinsecus eminebit. Cæterum in has se Democritus angustias sine causa conjecit. Atomos enim non inextensos & Mathematicos, sed extensos posuit quamvis individuos esse censeret. Extensum autem uni figuræ affixum ratio nulla aut cogit aut suadet asserere; perinde sane eidem motui, quam figuræ eidem alligatum statuas, quique ei diversas qualitates infundunt, ii haud gravate, opinor, variis eandem figuris induent, neque præter Democriti Scholam inter recentiores, aut veteres quemquam reperio, qui Atomi, seu corpusculi figuram incommutabilem esse censeat, cum figuram omnes modum corporis accidentarium, ideoque variabilem, non autem essentiam fixam, & substantiam immobilem arbitrentur. Atomi igitur compressione mutua in figuram omnem flexibiles, nihil à motu patientur quo rimis inanibus distracti fatiscant, vel quo universi extremitas deformi gibbo protuberat, cum aliis in rectum protrusis, in orbem alii circumacti succedant. Nihil igitur apparet cur spatium vacuum, quod figmentis Chimæricis superius ascribendum esse docuimus, in rerum natura collocemus.




Atomi in omnem figuram flexibiles.

§. 38. Neque etiam cur extensionem aliam præter ipsam corporis substantiam excogitemus, quamvis experimenta alia alii passim obtrudant, quibus idem corpus modo in angustum cogi, modo in latum expandi, id est plus vel minus extendi, ac proinde extensionem à corporis substantiâ distingui probent. Id si effecerint, scientiam omnem de corpore funditus everterint, cum notio illius unica & sua claritate, & veterum authoritate reliquarum omnium fundamentum, ex animis eruatur. Quamobrem haud indiligenter inspicienda sunt exempla quæ afferunt. Aqua in Thermosco-

Eadem ejusdem corporis retinetur extensio non obstantibus experimentis.

pio

pio hyeme aſcendit ad A, æſtate ſubſidit ad B, aer igitur aquæ ſupernatans modo minorem, modo majorem locum occupat, illius igitur extenſio diverſa non ſubſtantiæ incommutabili, ſed quantitati, aut ubicationi accidentibus adventitiis tribuenda. Chirurgus vitrum, aut cucurbitam accenſa intus ſtuppa dorſo applicat, accurrit paulatim ſanguis, & tumorem excitat, ſcilicet extincta flamma corpuſcula ſeu ignea, ſeu aërea contrahuntur, alioqui cur raro tumeſceret, niſi ut ſpatium ab eis defertum impleret? Congelata in vaſe fictili aqua ubi glacies increverit vas ipſum rumpitur, neque aliam cauſam inveniunt, niſi quod frigus in anguſtum conſtringat aquam, qua conſtrictione vacuitas ſequeretur, niſi aëri, fracto vaſe, aditus aperiretur. Accepi à viro in experimentis nauticis probe verſato vas metalli cum bene obturatum in mare pondere appenſo demiſſum (uti fieri ſolet à curioſis cum profunditatem bolide explorare non licet) poſtquam alliſione ad fundum pondus excuſſit, compreſſis intorſum lateribus ſemper emergere; hocque haud dubie, ut alia ad aeris conſtipationem, vacuique formidinem referendum putabunt. Cæterum hæc, atque alia hujus generis quam parum iis proſunt qui corpuſculum idem, haud ejuſdem omni tempore molis eſſe contendunt, manifeſto conſtabit, ſi quod Aer vocabulo communi dicitur, id ex corpuſculis tum figura, tum motu, tum mole diverſis conflatum eſſe cogites. Eſt etenim indigeſta colluvies è particulis æthereis, igneis, aqueis, iiſque quas terra nitroſa, aluminoſa, ſalſa, ſulphurea, bituminoſa, metallica, variiſque plantarum ſeminibus fœta vi caloris aut luminis ſurſum exhalat. Porro ex his particulis, licet aliæ tenuitate facillime per vitri aut metalli poros evadere poſſint, fieri tamen poteſt ut ab aliis majoribus cohibeantur, quæ & flexibilitate minores implicent, & volutatione in gyrum compellant, atque coerceant. Idque cum intellectu facillimum, tum experimento vulgari ſuaderi poteſt. Liquores etenim vi caloris elicitos in cavea vel arena frigida Pharmacopæi ſeponunt, ut empyreuma dimittant, id eſt ut corpuſcula ignea è partibus aqueis, frigore earum motum hebetante, ſe explicent, atque extrorſum effugiant.



§. 39. Unde proclive ſit colligere, nihil è ſupradictis effici experimentis, quo particulæ ejuſdem extenſio inæqualis appareat; namque ubi frigore partes aeris majuſculæ atque flexibiles lentius agitari cœperint, & tenuiores evolant, & ipſæ craſſiores arctiore gyro circumvolant,

lant; nam quò motus in orbem citatior fuerit, eò corpuscula mota longiore ambitu circumferantur oportet, Cumque agitatione paulatim languescente in angustum derepente non coeant; in promptu est ratio cur sensim, non subito ascendat aqua in Thermoscopio, & caro in cucurbita intumescat. Quæ vero vis aquam & sanguinem attollat, imperitissimè declarant, qui vacui metum inculcant. Hoc etenim causam finalem, non efficientem indicat; præterquam quod absurdissimum sit quibus sensum mali adimunt, iis odium, aut metum tribuere, curamque boni universalis iis rebus addicere, quæ nec commodum quidem proprium persentiscant; tum sollicitas fingere, ne id eveniat, quod cum impossibile sit, evenire nec casu, nec consilio possit. Quid igitur aquam & sanguinem sursum attrahit? Quicquid sit, haud nostra magis interest, quam illorum exponere; nam quod pars eadem aut ubicatione, aut quantitate modo tumescat, mox detumescat, nihil ad virtutem quæ res alias partibus densatis, aut rarefactis agglomeret demonstrandum adjuvat: Quæ proinde licet omnino lateret, nec in lucem arte ulla proferri posset, haud tamen inde conficias, contra id quod nunc agimus, ut corporis ejusdem sit alias minor, alias major extensio, hac quippe extensionis varietate concessa, nihilo propius ad veræ causæ cognitionem accedimus. Neque eam, qua par est claritate conspicuam reddere licebit, priusquam in Hygrostaticis multa hujus generis experimenta protulerim, atque inter se accuratè contulerim, quibus manifestum fiet aerem corporibus aliis tenaciter adhærescere; deinde quæ gravia censentur facillime attolli, cum sensim & sine sensu trahuntur, & nonunquam etiam vi levissima, atque ictu unico, motuque perceleri sursum efferri, quando arcentur extranea quæ deorsum premant, & urgeant; adeo ut res nulla sit levis aut gravis quæ nutu suo sursum, aut deorsum feratur, sed quælibet tam ut motum ullum habeat, quam ut metam certam appetat impulsioni extraneæ, & directioni debeat. Unde minimè mirum videbitur, si sanguis, aut aqua aerem partium implexione trahentem sequatur. At vas fictile congelatum frangitur, metallicum in mare demissum stringitur. An vacui formidine tremit, & tremore dissilit? aut eodem metu, Erinacei instar, se colligit, atque constringit? Huc sane spectant, si quò spectant, quæ Philosophi de vacui metu disserunt. Ecce tibi causam haud paulo, ni fallor, apitorem. Aqua in tubo plumbeo congelata usque adeo tumescit, ut tubum etiam apertum magnopere laxet atque distendat, quid ni igitur vas fictile quod laxari nequeat plane disrumpat? præsertim cum frigore,

quod infixa parietibus marmora quandoque discindit, fragilius redditum fuerit. Iam corpuscula frigida tanta vi in saxa, & glaciem impinguntur, ut illa discerpat, hanc in molem durissimam inflet, haud magno tibi negotio persuaderi sinas vas metallicum longo per mare profundissimum descensu atque ascensu constrictione frigoris comprimi posse, eoque magis quod aqua sit salsa, nam ex glacie arte facta cognoscimus quantum particulæ salsæ aut nitrosæ vim constringentem frigoris intendant. Quare quæ ex vacuo argumenta ducuntur, nihil habent solidi quo corporis ejusdem inæqualis extensio fundari queat, quamvis partes aquæ in vaporem, & pulveris nitrati in flammam conversæ motu celerrimo visum fallant, spatiumque longè amplius, quam revera ocupent, videantur implere, neque si omnia scruteris quicquam invenias, quod expansione majore diffusum appareat, quin expansionem illam facillime, vel ad errorem visus ex motu, vel ad corpuscula referas interjecta, neque rursum absque motu imminuto, aut corpusculis expulsis contractius factum aspicias.

§. 40. Vinum ergo inquies, admixta aqua fit rarius, nam interjectis aquæ corpusculis spatium occupare majus videtur. Certe interjectis igneis aerisque corpusculis lac aut vinum rarefactum, atque aqua infusa dilutum dicimus. Jam quod dilutius esse dicitur, si rarius factum non dicatur, vel quod quorundam, non quorumcunque corpusculorum admixtionem rarefactionis vocabula indicemus, id tantummodo ad usum Grammaticum, non ad scientiam attinet Philosophicam. Plerumque id dicimus rarefactum quod corporis levioris, & inconspicui admixtione in molem majorem tumefactum appareat, neque pondus moli respondeat. At si tantundem substantiæ corporeæ globo aëreo, & aureo magnitudinis æqualis inesse ponatur, neque qualitatum diversitati inæqualitas ponderis assignetur, cur globus aureus, bulla vel pila quæ in molem æqualem aëre inflatæ turgeant gravior existit? Responsio perfacilis. Partes enim inter se mutuo nexu conjunctæ, & compage firma invicem cohærentes eodem impetu pelluntur omnes, & in eundem motum conspirant, secus autem si ab invicem solutæ, & suis quæque motibus agitatæ circumvolent; quare cum graviora existimentur quæ majore vi deorsum incumbant, seu vi propellenti deorsum magis obtemperent, id utique rei cui pauciores sint partes solutæ, & liberæ convenire dubium esse nequit. Quam etiam aliis solidiorem, non quod materiæ amplius contineat, sed quod sustinentem vehementius premat intelligas. Quid autem uniusmodi corporis figura, vel magnitudo ad descensum conferat, aliaque permulta quæ ad gravitatem pertinent, & levitatem, in Stere ostaticis uberius exponenda relinquimus. Hoc loco sat fuerit veram,

Unde exrensorum æqualium gravitas inæqualis.

ram, & veterem, penitusque perſpicuam definitionem corporis ab extenſione deductam ſartam tectam, & integram conſervaſſe, & viam quaſi digito demonſtraſſe, qua ſummotis rebus obſcuris, ignotis, atque ad ſcientiam ineptis, non minus firma, quam facilis naturæ corporeæ notitia quæri poſſit, atque ex eâ non incertis erroribus, ſed recta, & clara ſemita ad incorporei contemplationem eniti. Quam fides præcipuè ſpectat, nosque in hâc fidei cum Philoſophiâ concordiâ ſpectandam præ cæteris eſſe duximus.

Generatio corporum tribus extenſi Modis abſque ullius ſubſtantiæ ortu, vel interitu declaratur.

§. 41. Iam vero quia motus ad qualitatem, & quantitatem nihil à motu ad locum, qui primus eſt, & notiſſimus, diverſum cogit, aut ſuadet inducere: Videamus an motus ad ſubſtantiam ad obſcura, & ignota concedenda propellat. Cum lignum vireſcit, & augeſcit, ligni tamen nomen non amittit, atque illius proinde qualitas ſolum, & quantitas non autem ſubſtantia mutari dicitur. Quærenti enim quid ſit, etiam tum eſſe lignum non abnuimus, quamvis alium calorem, & molem aliam intuentibus oſtentet. Igne vero admoto ubi in fumum, flammam, cinerem adijt, jam lignum appellari non ſolet, ſed quærenti quid ſit, reſpondemus, eſt fumus, flamma, vel cinis. Quoniam autem quæſtioni Quid ſubſtantia reſpondet, ideo his nominibus ligni ſubſtantiam non modo mutatam, ſed plane deſtructam, atque in alias ſubſtantias converſam eſſe ſignificamus. Atque hæc quidem de voce, quid vero deſtruatur, & generatur, ad rem ipſam attinet, magisque ex rerum experientiâ, quàm loquendi uſu de corporum ortu, & interitu judicandum. Age ſenſus omnes explora; cum lignum igne comburitur, quid vides, audis, tangis, guſtas, aut olfacis quod aliud arguat, quam quod partium extenſione, figura, motu, quiete explicari percommodé poſſit? Corpuſcula ignea magnâ vi, & celeritate maximâ in viſcera ligni impreſſa, undequaque diſcurrunt, cuncta rimantur, & permeant, dumque partes ſingulas tundunt, agitant, dividunt, diſcerpunt, ac diſſipant, nonne eas tantâ figurarum, & motuum diſſimilitudine variant, ut nulla ſit tam diverſa ſenſuum affectio, quam tam innumerabilis varietas non contineat? Ecquod hic ſubſtantiæ pereuntis, aut naſcentis indicium, vel leviſſimum ſignum apparet? Aliter ſe habere partes magnitudine, motu, figurâ ſentio, aliud aliquid in nihilum evaneſcere, vel ex Nihilo emergere cur ſuſpicer nihil invenio. Educitur, vel extruditur liquor, vapor, fumus è ligno, id eſt quod latebat oſtenditur, & veluti in ſcenam aliâ figurâ, alioque motu, perſonâ quodammodo commutatâ producitur; eductionem vero, aut productionem quâ quippiam quod non erat incipiat eſſe, nulla nota ſignificat. Neque magis in alijs corporum tranſmutationibus, veluti cum ſemen, & humor, in herbam; herbæ liquor cum arenâ in vitrum vertitur.

Succus enim terræ corpuſculis luminosis, aut calidis extenuatus ſemen influit, & inflat, ipſeque pro varietate partium quas continet, & meatuum quos permeat, variis figuris, & motibus foras erumpit, quem calor intus agitatione fingit, & fabricat. Ex herbâ quâdam liquor igne prolicitus in maſſam concreſcit duram, & ſiccam; hanc contritam, & cum arena commiſtam calenti furno ſicciorem reddunt, quæ dira alibi & diuturna tandem flamma liqueſcit in vitrum. Viridiſſima quoque lini ſeges in telam albiſſimam arte mutatur, hæc quoque macerata, & contuſa ſit charta, quam ignis in flammam, & cinerem atrum redigit. In his quidem transformationes maximas intueris, ſubſtantiæ productæ veſtigium nullum conſpicis. niſi forte quia nominibus ſubſtantivis appellari audis, novarum ſubſtantiarum progeniem mente fingas. Proprietas certe nulla quæ nota ſit aliud quicquam præter extenſionem, extenſioniſque notiſſimos modos indicat. Res ipſa conſidera, nihil occurret. Verba Grammaticis exponenda rejicias. Nam quod alia converſio accidentalis, ut cum lignum areſcit, aut caleſcit, alia vero dicatur ſubſtantialis, veluti cum in fumum, aut flammam abit, mutationis tantum parvæ, & magnæ differentiam oſtendit, creſcente quippe calore fumus, & flamma gignitur, quæ quia à ligno non parum, ſed plurimum differunt, ſubſtantialiter differre vulgò dicuntur.

Quid converſio ſubſtantialis, & accidentalis.

§. 42. Sed jam diu mira quædam ſcholas invaſit opinio. Putant in quolibet corpore latere ſubſtantiam duplicem, alteram materiam, & primum ſubjectum vocant, eamque neque quid, neque quantum, neque quale, neque aliquid eorum quibus Ens determinatur eſſe pronunciant; quique veterum Scholaſticorum veſtigiis firmiùs inhærent, neque exiſtentiam ei propriam tribuendam cenſent. Altera ſubſtantia actus, ἐντελέχεια forma dicitur, hæc corporis cujuſque pars potior, & nobilior cujus exiſtentia, è veterum ſententia, exiſtit pars altera, & ſine qua è communi naturæ lege ex omnium ſententia, nequit exiſtere, ſed neque forma ſine materia, ſi animam humanam formas inter omnes unam excipies. Has quidem ſubſtantias arcanas fatentur & ſenſui nulli conſpicuas, tùm adeo ſubtiles, & tenues ut ſpatium nullum occupent, donec infuſa quantitate craſſeſcant, quæ licet extenſionem, quæ ſummè, & intimè corporis naturam videatur attingere largiatur, eam tamen inter accidentia retruſam à ſubſtantiâ corporeâ ſecernunt. Porro vel in Quantitatem ſolam Qualitatum omnium colluvies influit, neque enim abſque eâ patentem ſinum explicat inextenſa ſubſtantia, neque per eam ita explicat, ut recipiendis ſpatium laxet, cuncta quippe, & materia, & forma, & Quantitas, & qualitatum innumerabilis turba, in ſe mutuo penetrant, & in idem ſpatium confluunt, cumque corporea ſint omnia

Explicatur, & rejicitura materia, & forma vulgaris. Thomiſtæ.

omnia, haud tamen magis se invicem premunt, aut trudunt, quam si umbræ essent, aut *tenues sine corpore vitæ*, vel ea subtilitate prædita quam incorporeis maximam solent ascribere. Hæc si subtiliora dixeris, quam ut crassæ corporis indoli apte conveniant, tardum, & hebetem appellabunt. Sin anceps hæsites, atque omnia cautè circumspicias, ne forte in tantam caliginem temere te præcipitem feras, cum alibi viam claram, & planam invenias, mirabuntur te pariter, & miserabuntur, quod in luce meridiana cæcutias. Nam Materiam, & Formam, quas haud aliter ac binas umbras quæ se miro amore invicem complectantur, & foveant, animo, non oculis spectandas exhibent, quasque multiplici qualitatum involucro ab aspectu reconditas esse fatentur, argumentis evidentibus evinci posse contendent. Eadem omnes afferunt, sed breviùs cæteris Comptonus expressit, quem propterea selegi, ex quo tibi totidem verbis descripta proponerem, vereor enim si meis verbis hæc argumenta proferam, ne fortè per calumniam enervata quispiam suspicetur. Vix enim credibile videri poterit conjecturis tam frivolis demonstrationum à Philosophis nomen imponi.

§. 43. Ausculta nunc, & ex uno disce omnes. *Dicendum præter materiam admittendam necessario esse hujuscemodi formam quæ velut alterum comprincipium substantiale res naturales constituat. Ita Auctores paulo ante citati, & est res certissima. Probatur primò ex communi mutatione rerum quæ sicut requirit subjectum aliquod commune, ita & terminos diversos qui producantur. Secundò ex tam variâ serie accidentium quæ diversa videmus in diversis, ut in igne, aqua, flore, lapide, & reliquis, ergo in aliquod principium debet hæc diversitas refundi, sed non in materiam, hæc enim ejusdem speciei est in omnibus, ergo in formam. Tertiò videmus aquam calefactam ad pristinam se frigiditatem reducere, & ferrum candens ad prius temperamentum redire, ergo aliquid in his compositis reperitur, quod hoc exigit. Quartò peculiariter probatur in homine ex nobilibus illis operationibus, quas ab homine elici videmus, intellectus scilicet, & voluntatis, hæ autem in materiam refundi nequeunt ut patet. Quintò quia alioqui composita omnia naturalia essent ejusdem speciei substantialis, cum materia sit ejusdem speciei. Sextò non est ad quem finem materia prima sit quid incompletum substantialiter, nisi ut per compartem aliquam substantialem compleatur, non enim completur substantialiter per accidentia.* Iam tibi Lector haud dubiè sex argumentis tam evidentibus, veluti totidem collucentibus tædis substantiæ istæ tenebricosæ clara luce conspicuæ patuerunt. Author tibi sum ut singulorum vim expendas diligenter. Ex iis enim disces qualia nam sint præclara illa argumenta quæ vocant *Apodictica*, quibus res occultissimæ, atque intellectu plane difficillimæ fiant certissimæ, ut mens affixa *Vero* sine motu, seu metu consistat, neque dubitando fluctuet, aut

aut erroris ullâ ſuſpicione vacillet. Hinc ſcies, quo equuleo mentem Philoſophi noſtri torqueant, invitæque & reluctanti veritatis arcanæ profeſſionem extorqueant, atque argumentis neceſſariis quaſi vinculis quibuſdam refractariam doment, & cogant. Hæc tibi inſpicienda ſunt velut abſoluta Demonſtrationis Phyſicæ exemplaria. Quam Philoſophiæ partem demonſtrationibus haud magnopere abundare fatentur, atque eò tantum ſcientiis annumerandam, quod demonſtrationes ſedulò inveſtiget, licet perpaucas inveniat, in quibus quæ de materia & forma cuduntur præ cæteris eminere cenſentur. Authori quidem ex quo argumenta ſuperiora deſcripſi tam prompta videtur & obvia materiæ, formæque notitia, ut Philoſophiæ rudibus anticipatam tribuat, alioqui parum ex arte Philoſophiæ rudimentum his verbis inchoaſſet. *Ut compoſitum Phyſicum materiâ, formâ & unione, ita Logicum tribus conſtat, ſubjecto, prædicato, & copulâ.* Scilicet adeo non modo prænotam, ſed penitus notam exiſtimat corporis è materiâ, & formâ ſtructuram, ut ad trium vocularum conſtructionem minimè obſcuram illuſtrandam adhibeat. Certe qui ſubſtantias illas umbraticas veluti ſpectra ignota, & informia contuetur atronitus, is ei in mandatis hoc datum putabit. *Pinge duos angues*, ut pueros à Phiioſophiæ acceſſu terticulamentis abigeret.

Perſius. ſat. 1.

§. 44. Verum ad argumenta quamvis leviſſima, atque ex iisquæ huc uſque diximus ſæpiſſime, & pleniſſime refutata reſponſiones ex more ſigillatim aptemus. Ad primum, non abnuo ſubjectum aliquod commune ponendum, ſed illud cur ab extenſo diſtinguas nihil video: hoc enim à modis cogitatione præciſum corporibus cunctis aſſignes, atque ut ſic abſtractum nihil omnino determinatum, ſeu quid, ſeu quale, ſeu quantum oſtendit, eâ quippe cognitione neque quid ſit, lapis ne, an lignum, neque qualem figura, & motu ſpeciem ſenſibus objiciat, neque extremitate latente quantum quoquoverſus extendatur apparet; ſed indeterminatum, incompletum, cujuslibet figuræ, aut formæ patiens, nihil autem agens intelligitur: tum incorruptibile quoque, & per formam exiſtens, non modo non ſine formâ exiſtens planè cognoſcitur. Nullâ quippe corporis tranſmutatione perit extenſio, neque extenſum abſque terminatione omni, ſeu figurâ, aut formâ, poteſt exiſtere, immo per ipſam eſt ens, aut exiſtens, vel Hoc Aliquid, ut ignis, aqua, metallum. Quare quæ ſubjecto primo, & communi tribui ſolent, extenſioni tam manifeſtò conveniunt, ut nihil de his in controverſiam duci queat. Eadem autem Materiæ illi mirificæ applicata, diſceptationes immenſas, & lites excitant innumerabiles. Habes igitur ſubjectum commune quod poſtulas, ſed diverſos quoque terminos qui mutatione corporum producantur flagitas. Quo jure? Nam quæ in ſe-

mine

mine & ſucco converſis in plantam cernimus, ea præter figuræ ſitus motuſque diverſitatem ut ſupra vidimus nihil vendicant, certe terminum ſubſtantialem qui in hujuſcemodi mutationibus recens emergat, ne conjectura quidem leviſſima argumentum hoc primum indicat. Procedamus igitur ad ſecundum. Nempe qualitatum varietas alicui aſcribenda, non autem ſubjecto, formæ igitur. Feſtinanti credo excidit cauſa efficiens. Quod pictura, aut Pharmacum ea habeant quibus peculiari quodam modo ſenſus afficiant, id artifici res diverſas componenti, ni fallor, aſſignabis. Compoſitionem autem naturalem ad Artis exemplum explicat Ariſtoteles, neque aliud diſcrimen requirendum, quam quod opera naturæ ſubtilitate, & varietate præſtent, atque è ratis univerſi motibus, & ſtructura procedant: quamobrem uti veſtem pictam verſicoloribus filis Artifex concinnat, ita calor florem corpuſcula diſſimilia compingendo diſtinguit, & variat. Neque eſt cur quicquam hæc petat fieri, modo deſit quod fieri vetet. Itidemque aqua, & ferrum amiſſo calore facile refrigeſcent, quamvis nulla intus forma frigoris appetens deliteſcat, evolabunt etenim paulatim corpuſcula ignea, quæque in vas clauſum confertim invaſerant, haud ægre ex aqua calida per vaſis etiam obturati meatus ſenſim evadent. Unde argumenti tertij vanitas elucet. Quartum vero non modo inane, ſed abſurdum, nam idipſum confirmat, ad quod infirmandum adducitur. Nego formam ſaxis, aut plantis ineſſe, quia nihil appareret quod extenſo, extenſioniſque modis notiſſimis non conveniat, at his aliquid in homine excellentius, in homine igitur aliquid Extenſo nobilius: Rectiſſime: ergo, inquis, in ſaxis. Immo potius, ergo non in ſaxis, nam in his nil cernimus, quod extenſum extenſioniſque Modos ſuperet. An quia ex herba ſuccum exprimis, idcirco ſperes è pumice eliquare? In homine alterius ſubſtantiæ manifeſta ſigna conſpicimus, in ſaxis & plantis veſtigium nullum exſtat. Hoc argumento ſaxa animata perinde, atque informata concludas. Quintum eſt Grammaticum, & ſuperiùs excuſſum.

§. 45. Sextum & ultimum plane ridiculum, probatum enim ponit quod probandum proponit. Nempe materiam eſſe incompletam ſubſtantialiter, id eſt rem ejuſcemodi quæ per alterius ſubſtantiæ nexum compleri debeat. Vnde hoc tibi innotuit? Vbinam extra animalia ſubſtantiam illam alteram inveniſti? At ex animalibus conſtat materiam informari, compleri, perfici poſſe, quare ſi forma careat, informis, incompleta, imperfecta, manca denique & miſera, ſibi gravis, univerſo inutilis contabeſcet, Sane quid corpori præſtet anima, præterquam quod modos illos notiſſimos, figuræ, motus, & quietis imprimat, divinare nequeo. His enim ſolis quicquid ad corpus pertinet continetur. Hoſque abſque anima, aut forma ſuccedanea obtinere poteſt: neque eoſdem ab omnibus formis accipit, neque ut aliquos n. 42.

habeat

habeat ovi jugulatæ formam ingerere cadaverosam oportet. Non quæro unde illa venerit, quæ causa produxerit, sed quâ necessitate, aut utilitate produci debuerit? num putredinem arcet? aut arceri putredinem quæ animalibus aljis gignendis conferat necesse fuit? Ecquid hæc corpori tribuit, quo carere non possit, vel quod eidem acceptum referat? At absque formâ substantiali non erit cadaver *Unum per se*, sed tantum *per accidens*. Quasi vero id sit per accidens quod ex stata causarum serie, & dispositione consequitur, & non præter hunc ordinem, & statum accidit. Arborem faber decorticat, & in trabem dedolat, alia sibi corticem exuit, vel extrudit. Hæc Ens per se, & naturale, illa per accidens, & Artificiale dicitur, utraque tamen cortice spoliata. Non igitur ex partibus, sed causis derivantur hæc nomina. Voluntas humana è nexu causarum necessario quo corporeæ naturæ universitas gubernatur communi sentiendi, & loquendi usu solet eximi, quare quod inde provenit, id naturæ non per se, sed per accidens ex sententia vulgari convenit. Piget ultra res inanes & verbis inanissimis subnixas persequi. His tamen plena sunt Philosophorum pariter, & Theologorum volumina, è quibus si quæ de materia & forma, earumque proprietatibus, deque verbis ambiguis fusissimè & futilissimè disputantur abscindas, longe plus quam dimidia mole decrescent. Sed ex mole decus accersunt. Atque ut pueri certant quis plures, & majores ex aqua bullas possit inflare, ita illi de librorum multitudine & magnitudine, quos vanissimis inferciunt quæstionibus, sic tanquam de ingenij, & doctrinæ palma contendunt. Nobis non licet esse tam copiosè diserti qui ad extensionem unam tribus modis affectam corporea cuncta reducimus. Nihil enim aliud quod de corpore percipi possit occurrit, neque de conjecturis ambiguis augurari delectat. Illis, ut in rebus & incertis, & multis, & multifarjis immensum in utramvis partem differendi proponitur argumentum. Longum esset quæstionum de Materia, & Forma vel titulos recensere.

Sylva rerum ignotarum quas philosophi tractant.

§. 46. Recole deinde multiplicem qualitatum progeniem. Primæ sunt calor, frigus, humiditas, & siccitas, hasque unciatim appensas binas elementis singulis portione non æqua, summa tamen, ut putant, æquitate distribuunt. Qua combinatione, si superis placet, elementorum numerum admirabili arte subducunt. Porro è primarum varia commixtione nascitur partu primo gravitas, & levitas, altero autem multiplex, & multiformis colorum, sonorum, odorum soboles. Ex his proles alia exilis, & macra quasi naturâ jam effætâ specierum quas vocant intentionalium gignitur. Accedit qualitatum impellentium, tum actionum, durationum, ubicationum, & relationum præcipue, momentis singulis orientium, & occidentium innumeberabilis multitudo. Est & aliud genus & indolis,

&

& originis prorſus occultæ, quod debellatis cæteris Philoſophi è latibulis, velut ex inſiduis producunt in aciem. Quid eſt in Magnete quo ferrum attrahit? Qualitas occulta. Quæ vis eundem Polis obvertit? eadem, aut altera qualitas occulta. Quid oſſibus Sirenis, & Hippopotami ineſt quo ſanguinis fluxum inhibeant? Occulta nimirum qualitas. Tum ſpeciales Aſtrorum virtutes, herbarumque quas vocant proprietates ſpecificas occultis annumerant qualitatibus. Quaſi vero & reliquiæ haud perinde occultæ eſſent. Quid de candore ſcis præterquam quod viſum diſſipet? aut de frigore, quàm ſenſum pungere, & corpora frigefacta conſtringere? Tantundem certe de qualitate Magnetica, nam ferrum trahit & dirigit. Quid faciant ſingulæ noſti, quid ipſæ ſint pariter ignoras. Effecta ſenſibus experiris, cauſæ ſpeciem animo nequis effingere. Amplam itaque litibus & obſcuritate, & multiplicitate materiam ſuggerunt, ſciendi vero nec ſuavitatem, neque utilitatem minimam pollicentur.

Quid Authorem à Via Philoſophandi communi deflexerit.

§. 47. Eo factum eſt, ut cum haud modico ſciendi ſtudio à prima tenerer adoleſcentia, & quam primum liceret diligentem in ea quæ paſſim invaluit Philoſophiam operam collocarem, neque quicquam in ea dilucidum, ſolidum, aut ſapidum quod animum ſcientiæ cupidum ullatenus illuſtraret, ſtabiliret, aut paſceret, reperirem; cumque ad incorporea cognoſcenda maximè propenderem, neque eorum notitiam corporibus ignotis tentandam eſſe pernoſcerem; de his autem, quæ ut in medio poſita, & ſenſibus obvia deberent eſſe notiſſima, nil clarum, & liquidum audiendo, aut legendo perciperem, de incorporeis vero notiones non incertas, modo & obſcuras, ſed craſſas etiam, atque ad naturæ corporeæ indolem depreſſas haurirem; quæque de corporeis, incorporeiſque didiceram, cum iis quæ fide Magiſtra crederem eſſe veriſſima, vix, aut ne vix quidem conciliari poſſe cernerem, & verum vero congruere non neſcirem, facile mihi perſuaſi vel aliam viam quærendam, vel de inveſtiganda ſcientia deſperandum. Neque tamen mihi tam facile perſuadere potui, ut ab incæpto deſiſterem, & deſperatione modum cupiditati ponerem, neque ſi viæ tritæ inſiſterem quod ſperarem habebam. E Geometricis de extenſo figurato, è Staticis de motu, ex Opticis de luce, ex Anatomicis de ſenſuum organis, & functionibus haud pauca didiceram; quodque præ cæteris maximi faciebam, è Mathematicis experientia, & uſu cognoveram, non modo quid perſpicuum, ſimplex, & notum eſſet, quid contra obſcurum, implexum, & incognitum, verum etiam quo artificio nota notis annectendo ſcientiæ telam texeram. Tum è Lucretii verſibus, & quibuſdam Ciceronis operibus, de corpuſculis, ſeu Atomis quæ aliæ alias apprehendentes continuentur, incidit cogitatio. Mox corpuſculorum figuris,

& motibus quod ſenſu percipimus explicatu facillimum occurrebat, atque excuſsâ qualitatum innumerabili, & inutili, & ignotâ farragine pauciſſimis omnia, & notiſſimis complectebar; deinde ad exemplum corporum, perpaucis, minimeque dubiis quæ ad incorporea attinent concludebam. Utraque vero ad fidei doctrinam velut ad lapidem lydium examinata veriſſima apparebant. Cumque ea Myſteriis haud modicam lucem affunderent, tum ab iiſdem firmitatis plurimum referebant.

§. 48. Biennio circiter poſt in opuſcula quædam incidi Renati Carteſii magna vi ingenii, & induſtriæ cura maxima elaborata. In his de incorporeis quidem nonnulla non infeliciter inchoata, de corporibus vero permulta feliciſſime explicata reperi. Sed quod ego minime deſiderabam, in eo ille maxime laborabat, ut qua quidque figura, & motione fieret minutatim oſtenderet; quæ maximè quærebam ea ipſe aliis intentus vel invenire non potuit, vel prodere noluit, vel indagare neglexit. In primis Modorum à ſubjectis diſtinctionem intactam, aut certe inexplicatam reliquit: Quamvis illius accuratiſſima explicatio ad Myſteria omnium maxima evolvenda, atque à contradicentium conflictu liberanda non modo ſit utilis, ſed penitus, ut alibi conſtabit, neceſſaria, qua nec Philoſophus quoque nedum Theologus carere queat; herebit enim anxius ecquam motus, & figuræ notionem efformet, neque eam levi operâ efformare docebitur, eoque difficilius, quo ei ſubjectorum, & formarum definitiones Scholaſticæ altiùs inſederint. Deinde Infinitum, & Continuum quamvis ſcitu & difficillima, & digniſſima ſint, veluti candentem favillam tranſilit. Neque argumentum minimè contemnendum, quo ubicationes jam diu nituntur, ullo modo diſſolvit, vel ſolvendo manum porrigit, quibus reſiduis de qualitatibus aliis profligatis immeritò triumphatur, quippe quas haud magis obſcuras, & ineptas, quam illæ ſint, poſſis evincere. Durationis autem & temporis arcanam indolem nuſquam explorat. Neque Relationes, & actiones prætermittendæ ſilentio fuerant, nedum Corporis & animæ nexus, aut unio, qua ad arcanam unionis hypoſtaticæ aditum pateret acceſſus. Formam animalis tentatam ſæpius, in medio relinquit. *Ter conatus erat*, ſed *Ter fruſtra comprenſa effugit imago*, ſublatam tamen cupere ſuſpiceris. Qui vero ad incorporea adſpirat, illius incertus eſſe non debet. Jam vero quæ de corpore diſſeruit cum iis quæ de Euchariſtia credidit ne conjectura quidem probabili conciliavit. Lucis actionem in actu primo conſtituit, propenſioni ad motum tribuens, quod motioni debetur. Neque ea attulit quibus de raro, & denſo Quantitatis, aut ubicationis opinionem evelleret. De cognitionum veritate & falſitate, deque objectis negativis, poſſibilibus, impoſſibilibus hactenus, haud extricatis tacuit. Plurima quæ Theologiæ conducerent, quam vel parum calluiſſe, vel in ſcriptis mini-

minimum ſpectaſſe videtur, nuſquam attingit. Sed ei quod multa præclara ſcripſerit gratiæ agendæ, quod multa prætermiſerit venia danda. Neque enim ab uno poſtulanda ſunt omnia. Nempe in Philoſophia, ait Seneca, *re maxima & involutiſſima cum etiam multum actum fuerit, omnis tamen ætas quod agat inveniet.*

§. 49. Sed plerique nunc temporis actum agunt, nihil ipſi inveniunt, ſed inventa aliena vel ex animi ſtupore repetunt, vel livore corrodunt. Vulgata, futilia, jam pridem cognita, tametſi vix ſcitu digna, certe quæ ſcientiæ cumulo nihil adjungunt, cramben denique centies recoctam, atque indies magis inſulsè conditam apponunt, & vaſtis librorum molibus Philoſophiam, quam erigere deberent, obruunt; quæ cum inſtabili verborum ſubſtructione nitatur, tot rerum male cohærentium pondere rimas agit quotidie, & ruinam minatur; quique ſibi robuſti videntur Telamones, & Atlantes fatiſcenti humeros fruſtrà ſupponunt. Utinam qui in hunc Authorem vix lectum, certe non intellectum verbis & ſcriptis haud minore faſtidio, quam fatuitate declamitant, illius exemplo ſcientiæ hæreditatem quam à Majoribus acceperant, ampliorem, & cultiorem reddere conarentur; neque Tricis Logicis, velut exortis ſpinis ſylveſcere paterentur. Ille quæ à Gilberto, Verulamio, Keplero, Galilæo, Herveo, & Democriti fragmentis hauſerat, pulchrè digeſſit, acutè correxit, amplè cumulavit, inſigniter illuſtravit. An quia in paucis aberravit à ſcopo, doctrinam ejus univerſam, ab iis etiam qui in nulla re ipſi collineent maledictis inceſſi, ſcommatis eludi, calumniis iniquiſsimis agitari convenit? Sed lucem nempe novam oderunt, qua ipſorum inveterata patefiat inſcitia; cumque in obſcuro Dialecticæ facultatis ergaſtulo certis Authoribus, & erroribus mancipati ingenii vires in ſervitutem abjectas fregerint, illuſtrem ſcientiæ libertatem, claritatemque non ferunt. Sed ne quis forte quæ huic loco, & aliis identidem inſeruntur, invidiosè traducat, quaſi Dialecticam nihili, & Theologiam Scholaſticam haud magni facerem, dicam apertè quæ ſentio. Dialecticæ uſum omnem Clemens Alexandrinus paucis verbis expreſsit. *Eſt veluti vallus quidem ne veritas conculcetur à Sophiſtis.* Nam verba interpretando, atque in diſinitiones, deviſiones, & argumentationes varias concinnando, captioſum, tortuoſumque Sophiſtam verborum tendiculas nectentem, atque eorum uſu lubrico fugæ ſecurum, nec opinantem illaqueat, atque conſtringit, Hoc unum agit quæ vulgò nunc Logica, & Dialectica vocatur, hoc autem agendo, quia veritatem tuetur, illius quidam vallus, & propagnaculum dicitur, & neceſſarium quidem non Ariſtotelis tantum ævo, quod Sophiſtis quidlibet impugandi, & propugnandi peritiam laudis, & lucri cupiditate profitentibus ſcatebat, ſed noſtro magis quo Hæretici *non acquieſcunt ſanis ſermonibus Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſed ſuper-*

5. Strom.

Quid de Philoſophiâ, & Theologiâ vulgati ſentiat.

1. Tim. 6. 4.

ſuperbi, nihil ſcientes languent circa quæſtiones, & pugnas verborum, ex quibus oriuntur invidiæ, contentiones, blaſphemiæ, ſuſpitiones malæ, conflictationes hominum mente corruptorum, & qui veritate privati ſunt exiſtimantium quæſtum eſſe pietatem, ſed ambulantes in aſtutiâ, & adulterantes Verbum Dei, neque habentes formam ſanorum verborum, plurimos ſeducunt verbis inanibus. Ex quibus aliiſq; ſcripturæ locis, & longâ ſæculorum experientiâ liquet, quantum veritati periculum à fallacibus verbis immineat, quamque ars aliqua περὶ ἑρμενείας ſeu de vocum interpretatione omni ope quærenda ſit, quæ ex Idiotiſmis ſcripturæ, varioque Patrum, Conciliorumque ſermone diverſis ætatibus uſitato contexta Theologiæ candidatos ad eam diſciplinam quæ non ex rerum inſpectione, ſed Scriptorum narratione diſcitur, non imparatos admoneat. Quem ad finem vix quidquam magis ineptum excogitari potuit, quam quod ex Ariſtotelis ejuſq; interpretum præſertim Arabum ſcriptis conſuitur Vocabularium *Summularum* nomine celebratum. Haud alios facilè ſcriptores inveneris, qui minùs cum Eccleſiæ Doctoribus vel cenſendo, vel loquendo conveniant. Quodque Juriſconſulti fecerunt, ut de verborum ſignificationibus ex Authorum ſuorum uſu differerent, idem à Theologis factum oportuit. Neque enim magis leges, & pacta quam Canones, & dogmata verborum ſenſu nituntur.

2 Cor. 4. 2. 2. Tim. 1. 13. Eph. 5. 6.

§. 50. Quæ verò pars dialecticæ diſtinctè, & definitè loqui docet, atque alterum quidem cogit ut argumentum certo breviq; orationis circuitu comprehendat, alterum vero reſtitnatem, & tergiverſantem, ut Concedo, Nego, Diſtinguo diſertè reſpondeat, mirum in modum ad vagos, & verſipelles Hæreticos intra gyrum rationis compellendos adjuvat. Quamvis jam nimiâ diſtinguendi licentia non tam explanantur ambigua, quam quæ ſunt planiſſima eluduntur. Pars autem Topica in ſcholis perraro tradita Dialecticæ, & Logicæ nomen amiſit, tametſi ad Dialecticam & Logicam, ſeu differendi & ratiocinandi artem apprimé, argumentorum fontes aperiendo, conducat; quæ quia plerumque opinione magis populari, quam ſcientiâ certâ nitantur, ad uſum forenſem, atque oratoris attinent facultatem. Sed quæ vix unquam in Philoſophia docetur, ea ſemper & ubique à Philoſophis exercetur. Percurre ſi lubet qua latè patent ea larga volumina, quæ *Philoſophiæ Curſus* inſcribunt, haud aliud quam argumenta Topica, Dialectica, popularia, incerta reperies; quibus haud minore copiâ, ſed damno majore prægrandes illos, & tumidos Theologiæ Tomos inflant, & inquinant: unde plures tum Philoſophos, tum etiam Theologos recentiores Dialecticorum quandoque nomine deſignamus. In parte vero Analyticâ neſcio quid de primis, veris, neceſſariis, propriis, notis per ſe, & concluſionis cauſis ſtrictim attingũt, dum demonſtrationi ſtruendæ materiam, quâ nunquam utuntur, colligunt: ſed demonſtrandi artem neque Ariſtoteles abſque exemplis Geometricis docere potuit, neque ipſe aliunde didicit, & quiſque facilius, atq; felicius Geometrarum Theoremata & Problemata

blemata percallendo, quam jejunas aliorum regulas perlegendo didicerit. Jam quod Logicam ſciendi Modum, ſeu ſcientiarum Clavem, & veri inveniendi viam appellitent, vehemẽter errant, dum veri tutelam à cultura non ſeparant. Sepes eſt, non ſol, aut ſarculum. Neque ſolum ipſum ſubigit, neq; veritatis ſegetem producit, aut purgat; Sophiſtas ne natam proterant, aut halitus impuri faſcino afflando perimant, acceſſu prohibet. Ecquis ex iis regulis quibus in varios Modos, & Figuras argumenta tornantur, & inventio Medii termini arcana præſcribitur, vel demonſtrationis ſtructura ſplendida deſignatur, ſubtile quicquam, aut ſolidum excogitavit, quo locum ullum in Philoſophia, aut Theologia difficilem explanaret; vel cum id tentaret, ad eas unquam regulas reſpiciendum putaret. Si quid hac arte præclarum fieri potuiſſet, jam pridem aliquid haud vulgare tot annis, tot animis in eam unã intentis factum fuiſſet, vel ſi in eam mentis aciem non intenderant, quam parum juvaret uſu perſpexerant. Quibus autem Sophiſtarũ aſtutiam arguit, petulantiamque caſtigat, ea paucorum menſium ſpatio, ſi diſputationes inutiles, alienæ, prolixæ fuiſſent prætermiſſæ, haud paulo quam nunc fieri ſoleat, tum ad captum facilius, tum ad uſum aptius doceri haud dubie potuiſſent. Quamvis autem in Dialecticæ & Philoſophiæ quoque curriculo conſertationibus privatis, & publicis adoleſcentum acuatur ingenium, & ſtimuletur induſtria, non tamen idcirco diſputandi ardori eatenus indulgendum fuerat, ut parte maxima temporis, & operis ad inutilia, incerta, conficta, & litibus tantum fovendis idonea ventilanda jurgiis, abuterentur, ac ſi meta ſciendi ultima in altercando conſiſteret. Habes itaque quid in Dialectica, & Philoſophia Dialecticis intexta probem, aut improbem.

§. 51. Theologiam vero Scholaſticam, id eſt doctrinam à Deo proditã in certos locos ex verbo ſcripto, & tradito, Conciliis, & Patribus Petri Lombardi opera aliquot ab hinc ſæculis diſtributam, doctiſſimiſq; & ſubtiliſſimis Halenſis, Alberti, Aquinatis, Bonaventuræ, Scoti, Ochami, & aliorum commentationibus illuſtratam, è quibus eruditionis antiquæ florem delibatum excerpas, nemo niſi vel inſcitia, vel invidia cæcus accuſet. Illud vero miſerãdum quod viri ſummis ingeniis præditi in eam ætatem, & calamitatem inciderint, ut quam ad Theologica excolenda Philoſophiam afferrent, eam è cæ- Ariſtot.
noſo fonte Authoris incerti, ſed certiſſime corrupti, & dubiis, intortis, truncatiſq; ſententiis Lectoris animum fallentis pariter, & fatigantis haurirent; & ſagacitatẽ eximiam qua pollebant, non tam in libera naturę univerſę contemplatione, & veritatis è rebus ipſis inveſtigatione perficerent, quam Philoſophi unius omniũ obſcuriſſimi, opinionibuſq; primariis ab iis quæ Chriſtiana fide credimus alieniſſimi ſenſa rimando, & conjectando retunderẽt, & aſſiduis de male cohærentium conciliatione vigiliis propemodũ exhaurirẽt. Acceſſit etiam aliud haud leve ex Averrois interpretis Barbari, agreſtis, & impii

impii commentis incommodum, cujus eâ ætate maxime vigebat authoritas. Ex his itaque, ut alia omittam, factum cernimus, ut quod in Theologia Philosophicis ornari & illustrari debuerat argumentis, id incultius, & obscurius evaderet, quam ut reliquis plene, & cumulate perfectis, atque omni laude dignissimis responderet. Quam vero partem veteres mancam, & debilem reliquerunt, sed extra modum crescere noluerunt, eam Recentiores innumerabilium de rebus leviſſimis dubitationum alluvie in molem immensum auxerunt, & monstrosam, non modo molestam, & morbidam, & corpori toti noxiam reddiderunt. Si quid illi ut incertum, & inutile negligendum, vel paucis verbis attingendum censuerint, hoc isti, ut fœcundam altercandi materiâ avide arripiunt, tractant, versant, volvunt, revolvunt, mille nodis implicant, ac mille modis urgendo, instando, probando, probationesque alienas, & proprias diffuendo, & resarciendo diffutas omnia turbant, iterumque discindunt, & denuo reparant, interpolant, & cuncta consarcinant, & centonem versicoloribus nugis contextum exhibent. Deque his in concertationibus publicis, non clamore tantum, sed & furore pæne tragico debacchantur, de quibus fere solis etiam discipuli examinantur, cum de Philosophiâ, & Theologiâ quid calleant explorantur; quo fit ut in hujuscemodi operam prope omnem, reliquis per transennam aspectis, Discipuli pariter, ac Magistri collocent, quanta maximorum & utilissimorum ignorantia, & Religionis Christianæ jactura, neque pro rei claritate quicquam dicere opus fuerit, neque pro gravitate sat multa dici poterunt. Hac tamen qualicunque arte feroculi non modo quidlibet quantumvis firmum, & evidens disputando temere, & petulanter impetunt, atque eo vel maxime quod firmitate, & evidentia loquacitatem Dialecticam velut injecto fræno coerceat, aversantur; sed si ipsis novum aut inauditum fuerit, vel Authori quem quisque consilio, vel instituto tuendum susceperit dissentaneum, primo argutiis vellicant, deinde conviciis lacerant, denique censuris fulminant, ac veluti temerarium, periculosum, hæreticum execrantur. Quantum indies glisçat hæc verbosa, captiosa, & factiosa inter Scholasticos disciplina nemo nisi in scholâ peregrinus ignorat, jamque è gymnasio in forum, in populi conspectum, & offensionem flamma prorupit, discordiaque, & invidia in rabiem versa non amplius de veritate, aut victoriâ etiam, sed de vindicta, neque jam argumentis, sed calumniis, probris, & maledictis agitur. Adeo nimirum altercando non modo Veritas amittitur, sed Charitas extinguitur, & disputandi modum Majorum exemplo statutum egressos nulla vel modestiæ repagula, vel famæ cohibent. Sed de his hactenus, & de Corpore quoque, quod huic loco conveniat, satis expositum. Deinceps quærimus an incorporeum aliquid concedendum, & quale sit idem cogitandum.

LIBER

LIBER SECUNDUS,

DE

INCORPOREO.

§. 1.

CORPUS & Extensum idem esse supra haud obscurè, ni fallor, declaravimus. Nihil autem vel ex perspicuâ extensionis notione, vel è continua Extensorum experientia colligitur, quo suspicari liceat vim illis ineſſe semet movendi, vel in varias figuras transformandi. Antiquorum etiam omnium consensu receptum, Materiam, ex quâ res, quæ sub sensum cadunt, conflatæ sint, merè passivam esse; hanc autem materiam idem planè esse quod nos Corpus, aut extensum mobile, & figurabile appellamus, ex eo patuit quod nulla re alia tam clarè explicentur quæ de corpore sensu percipimus. Accedit Academicorum authoritas qui Materiam, *Magnum*, & *Parvum*, quæ extensioni sunt propria, nuncupaverunt. Adde axioma passim à veteribus inculcatum, Omne quod movetur ab alio moveri, quod de corporum motu intellexisse constat, alioqui in propositione per se notâ, obscurum quippiam & ambiguum, nempe incorporei motum posuissent, Quæ corporis inertia Augustinum haud latuit. *In rebus*, inquit, *invenitur aliquid actum, & non agens, sicut sunt corpora; aliquid Agens, & non actum sicut est Deus, aliquid Agens, & actum sicut sunt substantiæ spirituales.* Certè corporis conspicui ignaviam clarius cernimus, quam materiæ illius abditæ, & ab omni sensu reconditæ puram potentiam actionis omnis expertem Philosophi recentiores ostendant. Est igitur aliquid qnod corpori motum, & figuram imprimat, eoque activum, ac proinde Passivi natura longe superius. Neque licet cogitare aliud extensum ab alio tam discrepans, ut uni vis agendi, alteri tantum patiendi conveniat. Unde enim extenso uni præ altero tanta perfectio? an quia alia magnitudine & figura præditum? At hæc tantum magis, aut minus mobile repræsentant. Quare cum corporum motum negare non liceat, Activum aliquid, seu virtus motiva concedenda. Hæc quia à corporis natura passiva longissime distat, incorporeum esse constat; qua voce non tam quid sit, quam quid non sit exprimitur.

Vix motrix corporum est incorporea.

3. contr. c. 69.

tur. Activum autem nominando ipsam ejus naturam penitius inspicimus, quantoque sit corpore passivo excellentius intelligimus. Quoniam vero corpus est extensum, incorporeum utique inextensum esse debet. Non ea tamen ratione qua Punctum in Geometria Inextensum diminutivè, quasi extenso minus dicitur, sed exaggerativè, veluti extensi naturam nobiliore quodam amplitudinis genere supergrediens, ideoque superextensum melius vocari possit, vel Inextensum Metaphysicum, ut ab altero Geometrico distinguatur nomine, à quo longissimè natura disjungitur.

§. 2. Porro cum in corporibus partes subtiliores, quarum motu crassiores agitantur, spiritus dici soleant; idcirco incorporea movendorum corporum virtute prædita, Metaphora accommodata appellantur spiritus, Corpus igitur mobile spiritum motivum arguit, quippe quod sibi motum imprimere nequeat. Quod si minus appareat quid ignem sursum, saxa deorsum impellat, non continuo à seipsis ferri censendum est. Nam si artifex vim motivam Automati sollerter absconderit, num sponte sua rotulas volvi putabimus? Quid æstuantis Oceani undas exagitet, plurimis nondum exploratum est, iidem tamen pro comperto habent hunc motum non ab aquis ipsis sed aliunde petendum. Satius enim existimant causæ appositæ ignorationem fateri, quam causam penitus ineptam, & inertem apponere. Sane Aristoteles, quem Scholastici Magistrum habent, palam profitetur, impossibile esse à se moveri gravia & levia, hoc enim esse vitæ, & animantium proprium. Præclara enimvero ratio, si paulò explicatius exponatur. Animantium enim est, cognoscere, cognitio formaliter directio est, uti postea videbimus; motu res ad terminum diriguntur, vis igitur movendi directionem seu cognitionem involvit, quam saxis, & truncis nemo sanæ mentis addixerit. Quare nil mirum si Philosophis autiquis communi suffragio fuerit recepta sententia, Suprema corpora à substantiis spiritualibus motum accipere, quem in corpora inferiora derivent. Neque enim viri summa ingenii perspicuitate præditi tam turbidas rerum notiones imbiberant, ut corpus passivum, & virtutem activam, res intelligentia disjunctissimas natura confunderent. Mihi quidem certe non minor in oculo ad audiendum quam in mole corporis ad agendum, seque ad certum terminum dirigendum aptitudo discernitur. Neque ullam rationem invenio, cur non cuilibet rei quamlibet virtutem adjudicem, ubi turpidam molis corporeæ naturam semet ciendi, & locum sibi commodum inquirendi facultate donavero. Et nisi ex ipsius Extensi consideratione manifeste pateret ejusdem inertia, nunquam Vete-

8. Phys. c. 4.

n. 25.

Vide S. Tho. 1. p. q. 110. a. 1. ad 1. & a. 3. c. & alibi sæpe.

res

res Aſtrorum corpora, de quibus etiam magnificentiùs quam par erat ſentiebant, motoribus egere incorporeis, tanto conſenſu judicaſſent; quibus etiam omnes Recentiores accedunt, præter admodum paucos, eâ ratione nixos quod vis innata Lapidi ſemetipſum movendi à multis admiſſa, à nemine probata, potiore jure ſyderibus debeatur. Niſi forte probari putent vim internam in Lapide ad ſemet incitandum, quòd oculis haud cernant impulſorem externum. Mente quidem certe perfacile intelligimus corpuſcula quæ terram circumvolitent, quorumque compreſſione terreſtria terram appetant. Quo vero id pacto fiat, quibuſque corpuſculis, in Aſtronomiâ dicemus, ubi Mundi noſtri Planetarii Fabricam, atque adeo ipſius univerſi Syſtema conjecturis omnibus indagabimus.

§. 3. Hinc patet animam humanam, hoc eſt, vim illam quâ ſcimus, & volumus, non eſſe corpus, ſed incorporeum, quippe quæ vi ſuâ corpus moveat, nam cum id expedire judicamus, fierique decernimus, ambulamus, & currimus, aut alios motus corporis exercemus. Immò licet corpori quis vim movendi ſe tribuat, non tamen hunc motum præ illo, aut alium, atque alium pro arbitrio eligendi conceſſerit. Igni ſurſum, Lapidi deorſum, Aſtris in orbem, ſuo quodque motu ſingulari & certo cieri dicunt, Mens autem non unam certam, ſed diverſas, ut libitum fuerit, motiones efficit, variatque. Non igitur eſt corpus, etiamſi corporibus actionem affinxeris, ſed naturâ corporeâ, propter liberam agendi poteſtatem, longe ſublimior. Anima ergo noſtra eſt incorporea. Eoque magis quod morum alium præ alio eligat.

§. 4. Accedit etiam quod animus intro in ſemetipſum reflectitur, dum cogitationes ſuas recolligens recognoſcit, & reminiſcendo revolvit, id autem extenſione non fieret, niſi Extenſum in ſeipſum reflexum ſe ſibi vi ſuâ ſuperimponeret, id autem ut virtute propria, vel etiam aliena contingat, ab omni intelligentia alieniſſimum eſſe conſtat. Quamobrem non poteſt non eſſe Animus ab Extenſi natura plurimum diverſus. Deinde propter actus reflexos.

§. 5. Præterea ſi Extenſi naturam, vel ex claris cognitionibus, vel certis experientiis perſcrutari velimus, nihil ei præter figuram, quietem, & motum tribuemus. Mens itaque ſi Extenſa ſit, quicquid cognoſcit, id extenſione figurâ, quiete, vel motu, ſimul aut ſeorſim ſumptis exprimit. Age nunc, qua figura, quiete, quo motu, qua extenſionis magnitudine, rei cujuſpiam figuræ, motus, extenſionis expertis notionem efformes? Si rem talem neges, cognitionem illius negare non poteris, cognoſcendo enim negas, niſi forte quid neges, ac proinde cur neges ipſe neſcias. Dixerit forte quiſpiam, ſi mente nec extenſa, nec figurata, nec mobili res Tum quia alias cognitiones habet proprietate nulla corporum explicabiles.

extensa, figuratas, & motas exprimimus, cur non è contra extensio inextensi imaginem referat? eadem enim reciprocè dissimilitudo procedit. Est quidem hæc haud gravis objectio, sed non leviter nos tangit qui cognitionem in similitudine quadam, & repræsentatione, seu conformitatem cum cognito statuendam putant. Nullam etenim cognitionem futuram ostendit, nisi omnia vel simul extensa; vel simul inextensa ponantur, ecquæ enim inextensi, informis, immobilis, cum extenso, figurato, moto conformitas? Quò factum est ut veterum nonnulli apud Aristotelem ex rebus omnibus conflarent Animam, quippe quibus & animum cuncta cognoscere, & simile simili cognosci persuasum fuerat. Recentioribus autem Philosophis non fuit satis cum Antiquis errare, nisi etiam secum ipsi aperte pugnarent. Similitudinem enim quandam (quam quia explicare nequeunt, *intentionalem*, ignoto vocabulo pro more nuncupant) cognitionis cum cognito servant, quamvis similitudinis omnia fundamenta subvertant; quippe qui cognitioni extensionis omnis, figuræ, & motus experti, cum extensione, figura, motu cognitis nescio quam similitudinis speciem affingant. Mihi vero, qui cognitionem in nullius similitudinis repræsentatione, sed in sola directione constituam, nil officit argumentum allatum. Non enim inquiro, ecqua effigie Extensum Notionem exprimat Inextensi? Sed ecqua via ad illud dirigat cognoscentem? sane vel figura, vel motu, vel nullo modo dirigit. Figura verò mente concepta haud aliter quam assimilatione ad alteram, scientem dirigit, quam germanam & propriam extensum inter & inextensum nemo finxerit. Motus autem ad certum tempus, locumque deducit, ideoque ad plurima à nobis cognita ducere nequit, quippe quæ non ut definito tempori, aut spatio affixa, sed ut ab ijsdem abstracta, & avulsa noscuntur. Ita Ens à se existens, & in se solo subsistens, tum Verum, Bonum, Aliquid, aliaque permulta, absque ulla loci, vel temporis cogitatione cognoscimus. Ipsum etiam inextensum Metaphysicum quod in animo cogitando revolvimus, cum loco, & tempore, quæ extensione non careant affinitatem nullam habere potest. Vis igitur illa qua incorporea, & universalia à tempore, spatioque aliisque singularium Notis abducta, extensione neutiquam continetur.

Dubitatur an sentiendi vis incorporea sit.

§. 6. Sed num vis altera, qua corpora singularia certo temporis, loci, motus, & figuræ discrimine designantur, extensa sit, disquirendum. Quid cuique conveniat ex singulorum notionibus inter se sedulò comparatis apparet. Porrò quid sit visu rem objectam agnoscere, agnitam appetere, adepta cum gaudio frui, intima affectionum harum experientia didicimus. Extensio quid sit, propter rei claritatem neminem latet. Confer hæc animo,

mo, & quid utrique congruat diligenter attende. Extensum haud agit, sed patitur tantum, sentire etiam est pati & non agere, uti docet Aristoteles, nosque alibi suo loco docebimus; quod si cupiditate rei visæ, ad ipsam accessu feramur, nisi sponte id, atque arbitratu nostro agamus, quod frequenter non agimus, non à nobis notionem illam promimus, sed appetitu aliunde moto corpus impellitur; neque hoc Extensioni non congruit: Globus enim manu dejectus propellit alium. Deinde visionem absque motu nervorum opticorum haud fieri, neque sine rei visæ delineatione in tunica retiformi, qua oculi fundus sternitur, in Opticis clare monstrabimus; quid ni igitur in ipsa motione, & delineatione consistat Visio, sitque proinde non aliud quam Extensum quippiam videndi facultas, cum visio figura, motuque, quæ Extenso sunt propria, contineatur? Cæterum non quia sensus, & Extensum quædam utrique communia sortiantur, idcirco in reliquis discrepare negandum. Patitur sensus, patiturque extensum, sed sensus patiendo fit videns, dolens, gaudens, appetens; extensum patiendo non aliud quam figuram, quietem aut motum acquirit, sed ista quam disparia, ac diversa sint, nulla mens perspicuis assueta notionibus ignorabit. Quid tam dissimile, quam merum motum recipere, & motu recepto dolorem, aut molestiæ sensum capere: figuratum esse, & figuræ conspectu delectari, & delectationis illecebra trahi. Qui talium rerum discrimen haud percipit, & extensi, quod videt, inscius; nec ipsius qua videt, sensionis conscius videri potest. Quod autem sine figura, motumque nihil aspectu sentias, id tantum efficit, ut ad visionem efficiendam, vel constituendam requirantur, non ut ex ijsdem solis constituatur visio. Quibus autem opinationes vulgares, non claræ notiones fidem faciunt, iis argumento quod sequitur persuaderi poterit. Omnia Extensa non sentiunt: Nulla igitur; nihil enim est in uno præ altero quod tantam inæqualitatem virtutis afferat. Ecquid in saxea pyramide, vel mota vel immota, vel aucta, vel deminuta, atque adeo in pulverem comminuta, vel in aliam quamcunque figuram transmutata reperias quod eam ante sensus omnis vacuam, postmodò sentientem efficiat. Thales quidem Milesius sensum quidem, sed inchoatum illum, & habetem rebus inesse omnibus arbitratus est; sed ipsum extensum suâpte vi sentire nunquam docuisse arbitror, neque enim hoc de eo proditum lego. Poterat enim existimare corporibus cunctis sensum inesse, quòd vis quædam incorporea universum mundum permearet, à qua sententia non abludit Virgilius, *Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.* Quod autem Thalem adduxit ut corporibus sensum tribueret, id mihi nullum faceſſit negotium. Putabat enim absque sensu boni, & mali, concursus Magneticorum, & conflictis contrariorum rationem reddi non posse, quam equi-

Concluditur esse incorpoream.

Ænead. l. 6.

dem in Motorem extraneum collidentem, aut convellentem partes extensi conjicio.

Exemplo docetur quam ineptè plerique de rerum causis differant.

§. 7. Recentiores quoque Philosophi calidorum cum frigidis pugnam agnoscunt, sin autem causam interroges: ita esse à natura comparata respondent: si rursus institeris, ut naturas illas explicent quales sint, ut tanti disidii aperiatur origo. Nil sibi de rerum naturis constare ajunt, nisi quod experientia aliis alias infensas esse didicerint. At pueris tantundem exploratum fuerat. Philosophorum esse putaveram ut experimentorum causas inquirerent; Quæsitum, inquiunt, sedulò, sed nihil inventum. Ecquod igitur operæ pretium faciunt qui tantum in talibus operæ ponunt? aut cur abditorum scientiam venditant, qui in rebus obviis nil ultra experientiam puerilem proferunt? Tandem ex imis Philosophiæ adytis responsum accipies, calidorum cum frigidis pugnam nequaquam è nocumenti alicujus sensu, sed ex *appetitu quodam innato* proficisci. Si porro persistas ut Monstrum hoc novum *Appetitus sensu destituti*, quæque Notio nomini tam exquisito subjiciatur intelligas, veluti Percunctatorem molestum clamoribus ejicient. Ad hoc exemplum alibi passim responsionem expectes, ubi causam ex rei naturâ petitam exquisieris. Aliud enim non audies, quam eam esse naturam caloris, coloris, saporis, odoris, ut eo modo sensus afficiant, quo vel pueri se affici persentiscunt. Qualia autem sint, unde talia procedunt explicari non audies, sed non vulgari plerumque vocabulo, vulgaribus ut plurimum minus idoneo, magnificè donatum, & ditatum è longa disputatione dimittent. Veluti hoc loco, cur corpora confligant, repudiato Motore extraneo, & sensu intraneo, præter *Appetitus innati* inane nomen, rationem nullam extorqueas. Sed ad instituta redeamus. Cum Extenso vis sentiendi, non modo intelligendi non congruat, erit etiam omnis sentiendi facultas incorporea. Animalium igitur formæ incorporeæ sunt? Plane. Spirituales ergo? Minime. Incorporeum enim in Animale, & Spirituale, & ex utroque mixtum dividi potest. Vi sentiendi primum, intelligendi secundum, facultati mixtæ tertium assigna. Sed de his infra fusius agendum.

Incorporeũ etiam ex vi creatrice deducitur.

§. 8. Restat alia via quæ ad incorporei notitiam ducat. Extensum etenim quod ne sui quidem movendi vim habet, à seipso existendi virtutem habere non potuit. Esse enim à se activitatem summam arguit, perinde ac si suum sibi Esse efficiendo tribueret, quippe quod sibi non alteri, acceptum referat. Amplius autem quippiam est ipsum Esse, quam Existendi quilibet modus: Extensum itaque quod figuram, & motum alteri debet, suum sibi Esse arrogare non debet, quamobrem

obrem quod Extenſo dat Eſſe, id ſuperiori quodam rerum ordine contineri neceſſe eſt.

§. 9. Incorporeum igitur ex vi movendi, percipiendi, (id eſt intelligendi, volendi, ſentiendi) poſtremo creandi, ſeu ipſum Eſſe ex Nihilo producendi deteximus. Ex his itaque ejuſdem Incorporei inveſtiganda natura: quæ quia his omnibus conſentanea eſſe debet, hæc quoque inter ſe mutuo conſentire, & neceſſitudinis quodam nexu conjuncta eſſe convenit. Et movere quidem cum ſit mobile ad metam certam dirigere, directio vero ad finem ſit cognitio, liquet vim moventem à cognoſcente ſeparari non poſſe. Quoniam autem quod à ſe non emergit cauſam habere debet quæ tempus, locum, vel alium exiſtendi modum aſſignet, atque definiat, neque id ſine cognitione poſſit intelligi, palam eſt non modo vi movendi, ſed multo magis creandi cognitionem involvi. Et quia generalis Incorporei notio, ut nulli non congruat, naturam indicare debet, quam incorporeis omnibus iiſque ſolis ineſſe deprehendimus, eam in vi percipiendi conſtituo, in quam ad ſingula ſigna incurrimus, quibus ad incorporei notitiam inveſtigando devenimus. Ea quippe vel in virtute movendi, vel creandi, vel intimo perceptionum ipſarum experimento conſiſtunt. In quibus ſingulis percipiendi vis cernitur, eademque à corporibus diſcrimine proprio, & patente diſcernitur. Quodque notioni primigeniæ, ſeu definitioni apprime convenit, ex percipiendi vi incorporeorum proprietates elucent, quâ dirigente vis creandi, movendi, aliterque mutandi ad opus accedet, ſecus autem incerta, & iners hæreat, torpeatque neceſſe eſt.

Incorporeum è notione primariâ eſt vis percipiendi.

§. 10. Atque hîc etiam obſervaſſe non pigeat, quam obſtructa ſit via quærentibus incorporeum, qui corporei ſemet ad certum terminum vi motrice intima dirigendi, vique productrice, utraque tamen cæca, exiſtentiam aliis tribuendi, tum formis animalium tametſi corporeis etiam percipiendi facultatem adjudicant. Solam etenim eligendi & abſtractè intelligendi viam quâ incorporea rimentur apertam invenient; ac ne illam quidem planam, & perviam, ubi in movendi, efficiendi, percipiendi denique, quam corporibus aſſignant, virtutem impegerint. Nam ſi corpus aliquod, etiam ex iis quæ cognoſcendi vi careant, tantâ vi præditum ut ſibi motum, aliis inſuper exiſtentiam largiatur, quæ ſine cognitione ad metam propoſitam dirigente, atque opus impoſitum præmonſtrante, quo pacto contingant nemo cogitare, nedum explicare ullo modo poſſit. Eandemque naturam corpoream, in quâ nullam niſi ad motum, quietem & figuram diſcernimus aptitudinem, eò opinando efferas, ut ipſa quandoque cognoſcentibus aſcribatur, jam claræ notitiæ limites prætervecto quà fere libuerit vagari licebit, In his

Pleriſque haud expedita eſt naturæ incorporeæ demonſtratio.

itaque tenebris si alteri occurras qui corpora ad genus etiam abstractum intelligendi & liberè movendi promoveat, cum eo quidem Andabatarum more conjecturis Dialecticis digladiari poteris, ratione vero dilucidâ à susceptâ sententiâ dimovere non poteris. Sin autem corpori id tantum tribuas quod de eo haud obscurè cognoscimus, reliqua præter figuram quietem & motum inficiando; in altiorem rerum ordinem, motione, effectione, & cognitione facem præferentibus, sine erroris aut offensionis periculo rectâ progrederis, & Religionis Christianæ fundamenta, quæ incorporeorum notitiâ innituntur, locata in solido intueberis.

Ad perceptionem omnis incorporei proprietas revocanda

§. 11. Incorporeum porro cum percipiendi facultate contineatur, ei sane nihil à perceptione alienum ascribere oportebit; alioquin ignota fingendo perversissima sciendi methodo, ulteriorem rei notitiam quæremus. Quicquid enim ad perceptionem haud attinet, si ad incorporeum applicetur, confictum, non cognitum esse debet, cum vestigiis omnibus quibus latentem incorporei naturam indagare potuimus ad percipiendi metam ultimam, & unicam duceremur. Perceptionis autem amplius quam genera duo, sentiendi, & appetendi, seu cognoscendi, & volendi, neque intima animarum nostrarum experientia, neque aliunde, quocunque cogitationem circumferre velimus, excogitare omnino possumus; utrumque vero tum in nobis ipsi sentimus, tum in agendi virtute, qua incorporea deteximus, clarè conspicimus; neque enim absque scientia poteris velle agere, neque ipsa scientia, nisi voluntas accedat, per se sola ad agendum valebit. Quamobrem uti ad naturam corpoream explicandam. solis figuræ, quietis, & motis poprietatibus utimur; ita arcanam incorporei indolem multiplici sensionum varietate, atque appetitionum implicitam haud aliis adhibitis explicare conabimur. A quibus si vel latum unguem discesseris, scientiæ limites transilieris, atque inter obscura, & incognita, itineris ubique anceps, & anxius per loca avia, & inamæna vagaberis, & ubique cum Dialecticorum turba in tenebris occursante rixaberis. Quid tenebricosa sectaris, cùm in claris figuræ, quietis, motus, sentiendi, & appetendi notionibus, sit tanta varietas ut ad omnia quæ de corporeis, incorporeisque fas sit mortalibus indagando cognoscere, de illarum penuria nullibi queri possis. Sin autem Philosophiæ, vel Theologiæ locum ullum his vacuum fortè compêreris, ei per me licet, res negativas, & objectivas, diminutas, & inflatas, qualitatum insuper absolutarum pariter, atque Modalium quantumlibet obturamentum infercias, modò res ignotas, ac proinde scientibus ineptas inculcari memineris, teque Dialecticos tantùm ad altercandum acuere, non autem Philosophos ad intelligendum instruere fatearis.

§. 12. Illud

§. 12. Illud autem nullo modo conceſſerim, ut vaſtam naturæ corporeæ, incorporeæque diſtantiam, confuſis utriuſque proprietatibus, quaſi conjunctis limitibus, è medio tollas; vel tam exiguo diſtinguas interſtitio, ut altera alteri quid interſit, ægre diſpicias, nedum, ut, quod à multis haud rarò factum in loco monebimus, utramque ita opinando fædè permiſceas, adeoque inquinatam, ac turbidam reddas, ut neutrius pura, diſcriminata, ac defæcata notio ullius animo formari queat. Cæterum in his rebus licet diſſimillimis Analogiam quandam admirabilem cernere licet; Figurationi quippe cognitio, volitio motui, non aſſimilatione quidem, proportione autem perpulchrâ reſpondet. Cognitione quippe incorporeum ad appetendum, haud ſecus ac figuratione corpus præparatur ad motum. Tum motus quo corporis quidem egreſſus efficitur, cum eo modo tendendi quem anima volendo obtinet mirè congruit, ita enim amando ad rem amatam quodammodo extra ſe fertur, ut affectus hic paulo vehementior haud aliâ quam Ectaſis, ſeu egreſſus appellatione ſignetur: cognitio contra rei cognitæ intentionale quâdam in animam receptione deſcribitur, atque Analogiâ inſigni corporis figurationi reſpondet, quam impreſſione ſigilli cera recipit. Deinde cum ad animæ ſtatum exprimendum verba, quam fieri poſſit, aptiſſima accuratè ſeligimus, à figuræ motuſque rectitudine vel curvitate Metaphoras mutuamur. Ita animam rectam dicimus, cum intellectus cognitio, & voluntatis affectio in ultimum finem dirigitur, veluti ſagitta quæ figuræ motuſque rectitudine ad ſcopum rectà pertendit. Neque mentis humanæ pravitatem quiſquam magis ad vivum expreſſit, quam qui, *ô curvæ in terras animæ*, exclamavit. Cogitatione quippe & affectione terrenâ quaſi in curvum inclinata mens hominis à ſupernâ metâ deflectitur. Poſtremò notitiæ argumentatione natæ, quas ex ſe mutuò aptas, atque invicem quaſi junctas anima, quoad per contrarias licet, ſemper retinet cum partium inter ſe complicatione, ſeu Quiete conſentiunt. Atque hæc quidem obiter adnotaſſe juverit, tum quia rerum ſcientia non tam ſingularum conſideratione quam plurium comparatione perficitur, tum quia argumenta cætera quibus corporei, incorporeique naturas ac proprietates oſtendimus, vires haud paulo majores ad perſuadendum habebant, cum rerum diſſimilium diſcrimen maximum, confuſio nulla, & proportio ſumma conſtiterit. Nam cum animus noſter Symmetria rerum ac concentu mirifice capiatur, iiſdem etiam delectari mentem illam artificem atque Architectricem, eademque ſpectaſſe in univerſi fabrica haud vana exiſtimatione conjicimus. Sed de mundi Conditore poſterius. Hîc lubet ſcrupulum qui de natura incorporea cogitantem haud immeritò angat eximere.

Corporis & incorporei Analogia.

§. 13. Si

Animalibus sensus non tamen è persuasione vulgari tribuitur.

§. 13. Si vis sentiendi sit incorporea, vel animalia non sentiunt, vel sortita sunt animas incorporeas. Utrumque difficile, & tamen alterutrum eligendum. Neque enim par est ut corporei, incorporeique notiones tam claræ, tam faciles, tam distinctæ turbentur, Equidem animalibus sensum adimere non dubitarem, si nihil aliud cogitanti succurreret quam quo plerisque persuasum est ut animalibus sensum tribuant. Hoc tantummodo argumentum, si percuncteris, extorqueas. Eadem faciunt, ad quæ nos facienda sensu movemur, eadem igitur & illa causa moventur. Canis enim minitantem fugit, aut mordet, pastum quærit, & vorat, læsus vulneri curando operam dat; talia nos timoris, iræ, famis & doloris sensu facimus, easdem itaque cani affectiones adjudicant: sed quam dubia, quam futili conjectura! Nonne eadem, quantum nos quidem sensu dijudicare possimus, à diversis sæpenumero causis fiunt? Index horologij rato motu volubilis modò aquæ defluxu, modò chalybis intorti renisu, modò ponderis appensi nutu circumactus signat tempora. Canem fugere, mordere, mandere, aut plagam lingere, quid quæso præter motus diversos indicant? Sensum certè non arguunt, nisi causam aliam excogitari non posse docueris. Quam fatuum putares qui hoc uteretur enthyemate: Mihi domi famulus machina versatili frumentum molit, nullibi ergo aqua, vel vento, sed manibus hominum ubique molitur. Si corpus animalis ut telam nervis, fibrisque contextam flexibilibus, quam particulæ subtiles & mobiles permeent, agitentq; consideres, facile tibi in mentem veniet quo pacto partium quarundam motu, non quaslibet, sed quasdam alias connexionis majoris necessitudine cieri contingat. Contractis siccitate, vel acris humoris punctione quæ in ventriculi orificio sont fibris, qui rictum aperiant musculos moveri nil vetat. Corpusculis nares intrantibus, & nervorum fibras vellicantibus, aut spiritus qui fibris innatant impellentibus, quid ni absque sensu, sed solo membrorum nexu alia corporis instrumenta quibus cursum canis incitet, commoveantur? Acus certè chalybea cum ad Magnetem propinquum vel soluta advolat, vel ligata adtremit, tum sine sensu, tum sine causa conspicua, motus explicatu difficiliores edit. Neque cum oscitante uno, alter oscitat, oscitationem hujus semper præcedit sensio, neque alterius halitus, alteri qua ratione maxillæ musculos stringat, aut laxet evolvere promptum sit. Verum enimvero nonnulla ab animalibus fieri experimur, quæ citra perceptionem aliquam dirigentem, appetitionemque pellentem, unde proveniant argumento nullo probabili indicare queam. Avis è nido in silvam pabulatum evolat, & sæpius ab aucupe, & aliorum occursu territa, quaquaversum temerè quo ferat impetus circumvolitat, è longinquo tamen ad nidum revertitur, quam nulla

nulla rerum ſeries, & ordo reducit, neque eadem relegendo veſtigia iiſdem, aut ullo modo ſimilibus impulſionibus cietur; & niſi recordatio, & affectio quæpiam moneat, excitetque, quid peregrinam, & errabundam revocet, domumve requirere cogat, aut doceat extranea cuncta, & intranea luſtrando non video. Alia non pauca quæ Plutarchus & plurimi de animalium ſolertia ſcripſerunt, quæque paſſim ab omnibus obſervata commemorare neceſſe non habeo, rationis quibuſdam Philoſophis umbram, aut inchoatam etiam imaginem perſuaſerunt; ſenſionem certe non imperfectam, appetitionemque cuilibet perſuadere poterunt. Quas quidem ſi cuipiam tollere viſum fuerit, is viam aperiat, qua de experimentis notiſſimis enucleate dicere liceat, meque haud reluctantem ſecum adducet. Cæterùm nihil eſt cur quempiam incorporei natura, aut nomen terreat. Namque inter naturas incorporeas tantum diſcriminis elucebit, ut ex eo quod his animalium formas accenſeam, Angelorum dignitas, aut animæ noſtræ immortalitas periculum nullum adeat. Æquius etiam fuerit incorporeas vocari, quæ à corpore, id eſt Extenſo, extenſioniſque modis, ſentiendi, atque appetendi viribus longe diſſident; quam quæ Thomiſtis individuæ, pleriſque inextenſæ, omnibus inconſpicuæ, atque à reliquorum ſenſuum captu, non partium tenuitate, ſed ſubtilitate naturæ remotæ cenſentur, ſubſtantiis nihilominus annumerari corporeis. Plura de his formis dicenda reſtant, ſed huic loco minime inſerenda. Prius enim de formæ humanæ indole diſquirendum, quæ licet in rebus incorporeis dignitatis ordine nec primum, nec ultimum locum vendicet, ſciendi tamen methodo cuncta præcedit. Ab hac etenim ut notiſſima ad reliquorum notitiam progrediendum, quodque de eadem intimo ſenſu diſcitur, atque inde deducitur argumentis, id cæteris addendo, demendo ac diverſimodis aptando, ſcientiæ de incorporeis ſtructura perficitur.

§. 14. Multa de docendi methodo è multorum præceptis, atque omnium ſcriptis obſervare licet. Alii gradatim ab infimis ad ſumma nituntur, veluti ſi quis primo loco omnia quæ ad animalium formas pertinent, deinde de anima humana ſimiliter, tum de Angelis, poſtremo de Deo traderet. Alii via quam vocant Analytica à generalibus ad particularia, vel à cauſis ad effecta; alii vero Synthetica contra procedunt; univerſis autem perſuaſum eſt nihil ordinate fieri, niſi quæ generis unius ſunt, in locum unum omnia congerantur, quo tamen nihil perturbatius excogitari poteſt. Nam rarò accidit, quin quæ diverſorum ſunt generum à ſe mutuò apta pendeant, adeoque cognitionis ordine permixta ſint invicem, ut à diverſis generibus delibanda ſint plurima quæ ad cognitionem unius apprimè conducant, quodque ſine illis ſæpe cognoſci nullo modo poteſt. Exemplum è Geometria De Methodo.

demonſtrationum, & evidentia, & ordine ſcientiarum omnium exemplare ſumendum. Quæ de linea recta ſcienda ſunt, non modo à lineis curvis ſed & à figuris petimus. Neque omnia quæ ad trigonum pertinent abſque tetragonis, & pentagonis, & circulis expedias. Quare docendi Methodum paucis, minimeque dubiis illigare præceptis proclive fuerit. Principio ut ab iis quæ per ſe nota ſint, vel aliunde prænota ſint auſpicandum, perpetuoque à notis ad ignota progreſſu deinceps procedendum: deinde utiliora, ſubtiliora, & illuſtriora neglectis conſulto cæteris ſeligenda, æquum enim eſt ut rerum delectu vitæ brevitati conſulas, atque utilitati ſervias. Tum ſi quid ita à captu remotum, penituſque reconditum, ut de eo nihil præter conjecturas leves proferre liceat, neque aliud quam miſcendis implicandiſque tricis Dialecticis ſuppeditet argumentum, id vanis, atque otioſis nugivendulis relinquendum. Neque ſolum à rebus incertis animus avocandus, ſed neque in iis quæ certi quippiam & clari continent defatigandus, dum præter firma & ſolida, quorum in utramque partem pauca afferri queant, alia multa incerta, & inutilia, in verborum captiunculis, iiſque ratiunculis quas *convenientias* nuncupant ſita corradunt, in quibus non modo ut inanibus opera perditur, & nihil ſcitu dignum addiſcitur, ſed quæ ſcire operæ pretium fuerit, aliorum congeſtis ruderibus obruta, ac ſepulta vix erui, & in lucem efferri poterunt. Quo quidque loco ponatur, modo ab his regulis non recedatur haud multum intereſt. Jam quæ Tironibus delibanda traduntur, ea non incommodè argumentis in utramque partem ſigillatim, & numeratò propoſitis diſputantur, ac minutatim conciſa veluti manſum in os pueris ingeruntur; de quibus autem doctis perſuaſionem facere laboramus, ea oratione perpetua, & continua à rerum ſerie, nexuque deducimus: nam ſuaviùs influunt, fortiùs impellunt, atque altiùs inhærent. Utriuſque viæ documentum à D. Thoma datum accepimus. Summam rudibus in quæſtiones, articulos, & argumenta comminuit. Quæ facile Magiſtro diſcipulus juſſus annumerat. Sed rei totius ſtructuram, & ordinem, quid primum, notiſſimum, aut certiſſimum, quo tanquam jacto fundamento cætera innitantur, quid primum excipiat, proximoque deinceps adhæreat, niſi eadem iterato, & ſæpius relegat, atque in methodum diverſam redigat, vix unquam animo comprehendat. Quamque de ſententiarum varietate cum aliis promptè diſſerit, tam de rerum varietate nil aliis, vel ſibi perſuadet. Perſuaſio quippe non è rebus ſingulis membratim diſputando diſſectis, ſed ex omnium compage, & reſponſu naſcitur. Idque in pleriſque D. Thomæ opuſculis cernere licet, quorum methodum lectores ingenioſi, & ſciendi potius, quam altercandi cupidi ſummæ præferunt: Eamque à veteribus obſervari ſolitam

Vide Prologum, in quo ſe lac parvulis dare fatetur.

ex

ex eorum libris apparet. Postea vero quam Academiæ non modo indoctos, sed indociles, hebetesque doctrina susceperant imbuendos, inventa est hæc concisa, & minuta articulorum, argumentorumque distinctio, tam ingrata sollertibus, & acutis, quam tardis, & inertibus necessaria. Hisque in hunc modum obiter perstrictis rursus ad incorporeum quod tractandum suscepimus redeamus.

Diversa incorporeorum Genera.

§. 15. Atque ex iis quæ de anima nostra experiendo didicimus clarè constat, tantam esse incorpoream inter corporeamque naturam cum dissimilitudine summa conjunctam necessitudinem, ut ex corporis motibus anima afficiatur, pariterque corpus animæ vicissim affectionibus agitetur. Cæterum ut incorporeis omnibus eadem cum corpore intercedat affinitas necesse non est; nihil enim est cur omne Nosse, & Velle in quibus incorporei naturam constituimus, & simili planè respectu referatur ad corpora. Quid igitur vetat quin incorporeum alquod ita sublime sit, atque adeo aptum ex sese, ut à corpore, vel etiam incorporeo pati nil possit? Idque naturæ illi supremæ reliquarum opifici convenire docebimus, quæ cum à nullo quidem pati, in omnia vero possit agere *Actus purus* merito appelletur. Aliud autem incorperei genus quod in corpus, & incorporea quædam agere possit, sed corporis neque subsidio egeat, neque impressiones metuat cogitare licet. Cæterùm quod existat è Philosophia mera probare non licet, sin aliunde de eo certior factus fueris, nil habet cur incredibile videatur. Aliud contra tam corpori affixum occurrit ut absque eo neque agere aut pati quicquam possit, atque ut illud iis quæ de Angelis traduntur haud male congruit; ita hoc animalium formis, quoad de earum natura ex effectis conspicuis conjectare liceat, apprimè convenit. Quas quidem incorporeas ex sentiendi facultate probabimus, affixas autem corpori inde colligimus, quod sola vitæ corporeæ utilitate ducantur. Nihil enim agunt unde aliud ab iis cogitari aut affectari judices. Contra autem de anima nostra censendum, quæ cum & corporis tangatur commodo, & sublimiora præterea sæpissimè intueatur, eodem & egere sentimus, & carere posse conjicimus. Sed prius de conjunctionis, quam separationis statu quærendum. E priore quippe ut noto, posterioris notitiam indagamus.

De præsentia rei incorporeæ.

§. 16. Incorporeum autem corpori dupliciter conjunctum intelligimus, vel ut loco uno sint ambo, vel ut ex ambobus unum fiat. Quid illud sit, quidque hoc illi addat deinceps inquirimus. Scholasticorum plerique qualitate quadam seu absoluta, seu Modali, quam ubicationem appellant, incorporeum corpori vel applicant, vel immergunt, vel etiamsi corpora nulla existerent, in spatio inani suspensum collocare neutiquam dubi-

dubitarent. Animam crescente corpore ubicatione distendunt, Angelum urbe tota, vel Provincia quam tuetur expandunt; quærenti quo pacto hæc rebus congruant inextensis; respondent tum animum, tum Angelum esse totum in toto, & totum in qualibet parte corporum; cumque responsionem vel ipsa quæstione difficiliorem afferant, negotium tamen quantumvis implicatum ubicationibus totalibus, & partialibus expediunt. Frustra sis ultra premendo. Aliud enim haud auferes, quam talem esse talium ubicationum indolem. At vel partes corporum minimæ sunt extensæ, quod igitur vel uni respondet, id extensione carere non potest, si ubicationis admotu respondere fingatur. Neque valet exceptio quod ubicatio sit spiritualis; nam differentia naturam generis haud perimit; si rem loco affigit, si corpori extenso admovet, si spatio certo complectitur, si figuræ modo quadratæ, modo oblongæ, modo rotundæ ambitu præsentiam Angeli, animæve definiat, si has, inquam, notiones retines, extensionis imaginem obliterare non poteris. Si extensionem abnuas, eò quod incorporeo repugnet extensio, cavere oportet, ne quid incorporeo tribuas quod extensionis ingerat notionem. Meminisse quoque oportebat corpus Christi in Eucharistia à te statui extense: quod si cum corpore non pugnet non extendi, incorporeum extendi quid prohibet? Nihil est cur plura vel pluribus ubicationum incommoda referam, quas cum à corporibus ut ignotas, & ineptas inclusserim, incorporeis adscribere dissentaneum foret. Atque ut de corpore nil sciri posse docuerim, quod Extensi figuram, quietem, motum excedat, eo quod haud alia sint de eo liquida notione comperta, ita quæ de incorporeis declaranda sunt, ad nosse & velle revocanda sunt omnia, cum præterea nihil in natura incorporea perscrutanda detexerim. Quam proinde cognitione vel volitione vel utraque corpori seu præsentia, seu unione, seu actione conjunctam statuat necesse est, qui è notis notitiam fabricare suscipiat; neque quispiam mentis compos alia aut penitus ignota, aut nomine tantum nota adhibere suaserit, quoad his quæ sunt notissima uti liceat. Actio vero præter cognitionem dirigentem, & volitionem applicantem originem nullam postulat. Ecquam enim aliam agendi vim in re cognoscente & volente requiras, vel ut maxime quæras invenias. Hæc quid ad agendum conferant clarè perspicimus, neque cum nos ipsi agimus, aliud quam scire quid, & quomodo agendum, & agere velle experiendo sentimus, neque si quam aliam facultatem fingimus, quid, vel quale sit intelligimus. Porro incorporeum in aliud seu incorporeum, seu corpus agendo, eidem præsens dicitur. Ita Deum aut Angelos cum adesse nobis

bis precibus obsecramus, eorundem auxilium postulamus. Cumque *Pater noster qui es in Cælis* oratione quotidiana dicimus, locum ei proprium in cælis addicimus, ubi admirabiliores exerit actiones. Neque vero quia in corporibus præsentia operationi præcedit, idcirco idem incorporeis ascribendum; Corpora quippe premendo, aut impellendo agunt, contactu vero situm, & locum obtinet, prius autem tactio, quam pressio, aut impulsio intelligitur. Cæterum si quis incorporeo cum corpore, contactum, commensionem, aut configurationem affingat, is ei pari jure colorem, calorem, aut frigus assignet. Nec dum notionum Metaphysicarum vel rudem animo adumbrationem expressit, neque Nosse, & Velle ab extensi proprietatibus, quam immenso discrepent intervallo dicit. Cogita facultatem intelligentem, atque volentem non tam impulsu, quam imperio corpori motum imprimere, ideoque non loci propinquitate, sed inclinatione voluntatis applicare virtutem, atque in corpus ut in naturam inferiorem dominari potius, quam ut in rem leviorem incumbere; Non præponderatione trudit, sed præpollentiâ vincit. Apage crassa phantasmata admotionis, affixionis, immersionis, cum incorporeum corpori adesse, vel inesse audis. Directione, dominio, energia, imperio rei cognoscentis atque volentis corpora moveri, cohiberi, formari cogites, hancque virtutis applicationem præsentiæ sæpe nomine appellari scias, quamvis cum præsentia corporum inter se, quæ contactu mutuo continetur, similitudinem nullam habeat. Angelis enim S. Thomas locum, & motum æquivoce tantum tribuit, & Boëtius apud Sapientes axioma vult esse, Incorporea in loco non esse, idque à S. Thoma persæpe repetitur. Nam qui incorporei notionem in facultate cognoscente, & volente sitam animo informaverit, is plane perspicit haud esse ejusmodi ut ubicationibus loco vel vero, vel ficto affigi, iisdemque per spatia regionum possit expandi.

1. q. 52. a. & 53. a. 1.

1. p. q. 2. a. 1. & alibi.

§. 17. Aliam igitur incorporeorum præsentiam attuli, quæ cum eorum evidenti notioni, & excellenti naturæ & sententiæ antiquæ conveniat, tum à recentioris opinationis incommodis longè recedit. Corpus ubicationibus laxioribus rarefieri, contractioribus densari autumant, similes animæ, Angelisque tribuunt, ideoque raritatem, & densitatem negare non possunt; eoque minus quo nonnulli etiam ex iis qui subtiliores habentur, ad exemplum animæ licet inextensæ & individuæ cum incremento corporis dilatatæ, punctorum Mathematicorum inflationem explicandam esse contendant. Mihi nulla contractionis, aut dilatationis species occurrit, cum Angelum in corpora minora, aut majora agentem intel-

intelligo, non enim ſtrictiorem aut laxiorem ubicationem affingo, ſed aliam atque aliam volitionem conſidero, voluntatis autem imperio commovere corpora aut cohibere extenſionis nihil oſtendit. Quantis deinde ſpinetis ſe induunt vulgo Scholaſtici dum de Angelorum motu diſputant, num continuo quaſi tranando, an interrupto ſaltitando per æthera deſcendant in terram? an forte etiam huc æthere medio haud trajecto è cælis commeent? num ut hîc ſint, illic eſſe deſinant? temporis ne momento unico è regione longinqua ſe ſiſtant? De his dubio Marte certatur. Hinc etenim incorporeæ naturæ dignitas ne corporum legibus aſtringatur enititur, illinc ubicationum vinculis irretita deprimitur, ut ægre atque intervallo modico ſupra naturæ corporeæ conditionem abjectam evolet. Sin Angelus agendo ſit præſens, volendo vero agat, atque objecta boni ſpecie velle poſſit, bonum autem ei videri queat, ut pluribus corporibus vel conjunctis, vel diſſitis ſimul, aut deinceps, prout uſus fuerit, figuram, quietem, aut motum impertiat, nihil eſt hîc quod cuiquam dubitationem afferat. Si in locis duobus diſſitis corpus extendas, duplici extenſione & circumſcriptione definis, ideoque non unum ſed duo corpora fingis, non enim corpus unum in duobus locis collocas, cum ſpatium à corpore, ſeu extenſione non differat. Incorporeum autem non extenſionis magnitudine, ſed efficacitate virtutis circumſcribitur, hanc paulatim, aut ſubito, in remota vel proxima ut velit exerat, nequaquam duplicatum intelligas, quod in disjuncta volendo operetur, niſi duplo plus effici fingas quam quod tali virtuti conveniat, idque peræque ſequitur ſi vires duplicatas in conjuncta fingas expromi. Nam quod anima noſtra in remota non agat corpora, id ei non qua incorporea eſt, ſed qua corpori ut inſtrumento actionis aſtricta congruit. Fac eam aliquando vel naturâ ſuâ, vel alienâ vi ſolutam, liberam, ſuæque voluntatis aut virtutis plene compotem, ad remota & propinqua pari facultatis nutu feretur.

Corpori, non incorporeo repugnat rebus disjunctis inesse.

§. 18. At Angeli animæque ſunt in cœlo empyreo, in quo tamen quid agant nihil invenias. Ideoque nihil eſſe conficis, quia locum ignotum, & luce inacceſſibili caliginoſum ſcrutando nil invenis? Si in cælis inferioribus, aliiſque corporibus Angelis quod agant aſſignas, num indecorum putabis in ſupremo navare operam, quos ab operibus infimis vacare non ſinis? Si nihil eſt in Empyreo quod commoveant, quod tamen contineant nunquam deerit, Spiritualia autem D. Thomas locum continere teſtatur. Sed non operatio tantum, verum etiam cognitio quoque modò clara ſit, quali rem præſentem clara luce coram aſpicimus, præſentiæ ſæpe vocabulo indicatur; hoc pacto Deum rebus ineſſe non modo per potentiam ſeu operando, ſed per præſentiam quoque ſeu intuendo Theologi paſſim aſſerunt, quem

Cur Angeli dicuntur in cælis eſſe, vel alibi.

quem tamen fruſtra tertio modo per Eſſentiam ineſſe docent cum Eſſentiam per actionem rebus quas conſervat intimè, & maxime ineſſe conſtet. Primamque Hierarchiam dum Areopahita in veſtibulo Dei collocat, claritatem ſcientiæ loci vicinitate ſignificat; Angelum igitur in cælis eſſe locutione & aptâ, & uſitatâ dixeris, eo quod Deum qui in cælis ſingulari quodam modo eſſe dicitur, non obſcure veluti procul, ſed clare, quaſi præſens, & coram videat. Cui etiam cum amore intimo, quo amans amato non adeſſe modo, ſed ineſſe putatur, inhæreat, etiam hoc nomine ibi eſſe ubi Dei quaſi Thalamus eſt, rectè cenſetur. Satan autem terram perambulare dicetur operationes varias tum in rebus, tum in hominibus ubique terrarum habitantibus exercendo. Angelum quoque cuſtodem nonnunquam præſentem, quando in nobis aliquid operatur, habemus, ſed nunquam non propinquum, id eſt ad auxiliandum propenſa voluntate paratum. Nam ut voluntate operante præſentia, ita voluntate ad operationem inclinante propinquitas continetur. Quanquam aliter quoque Angelum vicinum intelligas, ſi quid in vicinis corporibus agat. Dæmonibus autem apud inferos & ignis materiam, & furor agendi impetum ſubminiſtrat. Sibi vero mutuo præſentes ſunt Angeli cum in eadem aut conjuncta vires exercent, maxime vero cum in ſe invicem actiones edunt.

Hier. cæl. c. 7.

Job.

Congreſſus, & collocutio Angelorũ.

§. 19. Neque alium inter eos congreſſum, aut colloquium commiſci oportet, quam quod alter alterius intellectum volendo moveat, eoque pacto de quibus certiorem fieri velit moneat, non quod in eum veluti diſtantem radios emittat, ſed quod eundem voluntatis efficientiâ ad cogitata, & optata mentis aſpicienda convertat. Unde quæ celãta velit, cur alteri non pateant cauſam manifeſtam in promptu habes, quam alii in ſpeciebus ignotis & inutilibus, atque abſque alieno conſenſu torpentibus fruſtra conſtituunt. Quare mortalium preces ſpiritus cæleſtes facilius audient, quam nos ipſi colloquentes invicem audiamus. Aeris enim interjecti torpor organique ſenſorii moles auditum obtundit, intelligentia vero pura, & parata, neque ulla diſtantia ſeparata cur impreſſionem facillime non ſuſcipiat impedimentum nullum occurrit. Velut animalia rationis expertia procul à Metaphyſicæ finibus abigenda, qui cum de incorporeis cogitant locorum ſpatia obſtaculis actionum annumerant. Nempe Raphael quem Spiritum purum, neque vel minima naturæ corporeæ admixtione concretum afferis, Tobiam itineris comes loquentem intelliget, alio aliis rebus agendis ablegatus à Deo, neque mentis ſenſa cognoſcet, nec vocem audiet, ac ſi aerem ſeu undatim, ſeu vibratim excuſſum auribus excipere oporteret. Hæccine hominum errorem, an pecudum ſtuporem appellem? Certè multi in pecudum prope ſtuporem Philoſophorum quo-

Angeli nos audiunt.

Summi ſtuporis eſt diſtantiam locorum opponere.

quorundam erroribus imbuti degenerant. Ubi primum iis perſuaſum eſt vim agendi corporibus tribuendam, hancque ubicationis quaſi aſſiſtentis præſentia, non adjuvantis auxilio indigere; id eſt ut conditionis quam vocant, non cauſæ, aut inſtrumenti vice fungatur, (quamvis quid ubicatio illa ad actionem conferat explicare non poſſint) cumque ubicatione quoque Angelum in loco conſtituant, eum etiam ab eadem operando pendere conſentaneum eſſe judicant, licet quam operam præſtet, ne conjectura quidem tenuiſſima aſſequantur, cum ne corpori quidem agenti quid profit intelligant. Nam qui corpus in aliud diſſitum vim ſuam, licet in corporibus interjectis nihil efficiat, exercere poſſe non dubitant, hi quid ubicatio propinqua longinquæ præcellat ne ſomniando quidem fingere quicquam potuerunt. Plerique ſpatio medio fieri quippiam poſtulant, tametſi actionem in rem diſtantem per corpora media trajectam fateri nolint. Eſto hoc loco ignis, & in propinquo ſtuppa, in hac formam ſubſtantialem ille producit, quam productionem per aërem negant tranſvehi, ſed in ſtuppa remota ſine motu ſiſti, medioque intacto metam attingere. Jam ſi corpora interjecta non trajicit, ſed tranſilit, in nullum impingit, ac proinde neque ullum obſiſtit, ideoque perinde ſe habet intervallum ſeu paucorum, ſeu multorum interpoſitione protenſum. At in aëre calor producitur, atque ad ſtuppam inde proſerpit, quo formæ recipiendæ fiat idonea, At caloris productio ſi non ſaltuatim, ſed ſeriatim ad remota transfertur, cur non pari ſerie, non ſaltu generatio formæ propagatur? deinde cum calefactio aëris eo tantum proſit quo ſtuppa calefacta ad formam igneam præparetur, finge ſtuppam frigeſcente aëre aliunde calorem accepiſſe, hinc fiet ut ignis remotus cum propinquo æquo jure de formæ in ſtuppa productione contendat. Neque enim formam tranare per aërem; ſed in ſtuppa emergere arbitrare. Denique multi opinantur etiam caloris partem aliquam in ſtuppa productam non ab aere contiguo, ſed ab igne remoto procedere, quam partes quoque alias paulatim aggerere poſſe liquet, quare nec ad generationem formæ, neque etiam ad præparationem materiæ, ſi conſentanea loquantur, propinquitatem cauſæ poſtulent. Cum ubicationem igitur Scholaſtici actionibus corporum abſque ulla vel utilitatis ſpecie neceſſariam eſſe ſtatuant, minime mirandum ſi ratione ſimili, id eſt nulla perſuaſi, cauſas etiam incorporeas neceſſitatis ejuſdem legibus haud quaquam neceſſariis aſtringant.

Neque ad actiones corporeas quid propinquitas juvet Philoſophia vulgaris docet;

§. 20. Illud autem maximè miſerandum quod hoc loco, ut alibi ſæpe perverſiſſimo Philoſophandi genere tot & tanta ſubſidia hæreticis, infeſtiſſimis fidei hoſtibus, alioquin non authoritate modo divina, verum

rum etiam & ratione humanâ facillimè debellandis, præbeant. Arripiunt avidè quod detur, & ubicationis longinquæ impedimentum exaggerant, ut Angelos in cælis ad vota mortalium surdos evincant. Arreptam tergiversandi ansam, si lubet, invitis mecum extorqueas. Nam si à naturâ corporeâ res nulla uspiam, nedum forma substantialis in loco diffito producatur, neque alia vis corpori tribuatur quam ut aliena vi pulsum aut pressum alteri figuram, motum, aut quietem impertiet, idque sine contactu præstare nequeat, eâque re in rem loco disjunctam actionem edere nullo modo possit; Angelorum autem natura ut incorporea, & inextensa, atque in sciendi, & volendi facultate posita cum contactu, situ, distantia nihil aut consentaneum, aut commune possideat, sed notione & natura diversissima ab iisdem quam cogitari queat longe diffideat, nullo sane rationis indicio, sed solo phantasiæ ludibrio Angelum loco vicinum, qui obsecranti auscultet flagites, nisi aures admovendo susurros fingas excipere, ideoque perinde interjecta muri opacitate, vel duritie, quam loci distantia voluntatis nostræ in mentem Angelicam operationem intercipi arbitreris. Habes igitur non ex fide modò, sed Philosophiâ etiam, unde quæ patere velimus cogitata, substantiis illis incorporeis innotescant, quæ naturæ dignitate, vel status, obnoxiæ corpori non censentur, Habes unde rerum omnium Conditorem intima perfectissimaque præsentia cunctis inesse consideres, non eo tantum quò veluti præsens omnia scientia clarissima intuetur, sed quò naturæ incorporeæ præsentia operatione consistit, nam quanto plus agit, tanto magis inest, quanto verò amplius sit ipsum esse dare, quam existendi modum variare, vel per te ipse cognoscas, vel ex iis quæ postea dicentur addiscas. Quare cum ad Deum orandum accedens ipsum tibi præsentem cogitatione sistis, intuentem, amantem, sed operantem præcipuè contemplare; neque te ipsi veluti spongiam Oceano immersam fingito, fallit enim ementito ubicationum fuco illita Phantasia, expansionis tibi species illud à natura spiritus alienissima; neque totum tibi inesse, quem exundantem, & circumfluentem fingis, cogitatione liquida, facilique perpendes. Cæterum absque Phantasiæ vel ludibrio, vel labore, spiritum rebus, & singulis & cunctis totum actuosa voluntate intentum agnoscas, neque multiplicatis implicatisque præsentiis, animo & caliginem effundes, & nauseam paries. Cum spititum singulis totum infundis, eundemque totum per plura diffundis, hoc imaginationis genere, spiritum & in singulis, & in cunctis cum seipso confundis: obliterata vero penitus extensionis omnis imagine, si

Sed vera docet, atque ad incorporeas stultissimè ab Hæreticis transferri demonstrat.

Deus rebus omnibus maximè præsens.

Et quomodo ab orantibus cogitandus adesse.

tecum reputes, Deus totus me videt, amat, conſervat; neque alius, vel alia ejuſdem pars, ſed idem ipſe totus videt, amat, conſervat cætera, totumque & ſingulis, & cunctis ineſſe notione facili, minimèque fallace percipies. Tum inani multorum labore ſuperſedeas qui fusè diſputant, num quia Deus ubique, ſaltem conſervando res, operatur, idcirco ubique præſens argumento perſpicuo comprobetur? Et de loco quidem hactenus, deinceps de incorporei cum corpore unione quærendum.

De Uuione incorporei cum corpore.

§. 21. Quoniam vero rerum nexus atque conjunctio fixam quandam ad invicem, ſtabilemque præſentiam continet, liquet incorporeum ei corpori copulatum eſſe, in quod operatione conſtante influit. Non tamen nexus omnis appellatur Unio, ſed cum ejuſmodi fuerit, ut ex pluribus unum efficiat, eo quod uſum unum, ſeu functionem unam habeat, ita rebus ſervandis arca, ſcindendis aſcia formatur. Id ſi contingat non ex adventitia artificis induſtria, ſed nativa rerum ad invicem aptitudine, tum unum per ſe, non per accidens, ſeu compoſitum naturale propignitur. Ecquæ tamen habitudo incorporei ad corpus, inextenſi ad extenſum coaptatio? Nulla ſane, ſi ad configurationem, commenſionem, aut coextenſionem attendas. Cogita vim movendi, motumque patiendi potentiam, Activum cum Paſſivo compara: quamque aptè conveniant, ſeque mutuo reſpiciant, exigantque cognoſces. Tanquam de re in medio poſita quærendum negat Ariſtoteles, curè potentia & actu fiat unum per ſe. Vim corpora movendi in facultate cognoſcente & volente poſitam, neque contactu neque impulſu, ſed directione & imperio metiaris oportet. Hâc intelligentia imbutus ſupraque extenſi indolem altè ſublatus incorporei cum corpore affinitatem cum diſparitate ſumma conjunctam intelliges. Incorporeum enim in corpus agendi virtute dominatur, hocque licet natura ſua torpeat, aliunde tamen excitatum in illud viciſſim vires exeret. Nihil enim obſtat quin ab imperfectiore perfectum & affici atque etiam amplius perfici queat, niſi ſumma quædam naturæ ſublimitas, quam incorporeis omnibus adjudicare ratione nulla cogimur.

l. 2. de anim. tex. 7.

Vera & clara unio.

Animam certe ſuam corpori obnoxiam nemo non ſentit, cujus vel invita impetus patiatur; quare cum ad affectiones mutuò communicandas aptitudo non deſit, nihil amplius ad unionem requiras quam præſentiam ſtabilem, muneriſque utrique communis functionem: Incorporeum autem corpori actione ſit præſens, voluntate vero agit, agendi porro voluntas haud aberit quamdiu inſtrumentum ad agendum idoneum, atque agenti utile non defuerit. Anima igitur indigentiæ ſuæ conſcia non quodlibet ſed habile corpus appetit, idque jam paratum appetitione quadam actuoſa corri-

corripit, atque complectitur, ab eoque & aliunde moto, motumque ab anima impressum reflectente vicissim afficitur, & notitiâ rerum paulatim imbuitur, eique proinde voluntate constanti adhærebit, quoad aliquando tandem instrumentum idoneum esse desierit. Ecquid hîc vel ut ignotum repudies, vel ut uniones aut partium naturæ dissentaneum? Non ego tibi unci, nodi, vinculi notiones crassas ingero, quibus uti coguntur qui unionem in re quadam statuunt, de qua haud aliud docent quam quod animæ id est facultati intelligenti atque volenti corpus annectat, licet ipsa longissimè ab intellectionis & volitionis naturâ dissideat, eaque proinde haud aptiùs animam adjungunt corpori, quam si clavis affixam, aut rudentibus alligatam somnient: ubi enim incorporea lustrando à sensione & appetitione discesseris, nihil non ignotum & peregrinum occurrit, interque inepta, & aliena per me licet aut glutem, aut ferrumen, aut Chrysocollam arripias, atque unionis vice substituas. Nihilo enim subtiliorem illius exhibent notionem. Quid unio? Modus inquiunt: num ad genus aliquod cognitionis aut volitionis attinet? Nullo modo. Non est itaque incorporeæ substantiæ modus. Corporeæ igitur, eòque magis quod ubicationes exigat quibus anima eidem ubique cum corpore spatio respondeat, eamque per membra diffusam cuique parti copulet, atque opinor, ut symphyti succus agglutinet, appellatione quidem spiritualibus accensent, explicatione autem inter corporeas proprietates abjiciunt. Verum ut animus hoc visco expeditus ad altiora redeat contemplanda, animadvertendum est inprimis, licet incorporeum corpori voluntate jungatur, non tamen idcirco pro arbitrio voluntatis abjungi; nam ut vel hoc ipsum velit, subsidio corporis uti debet, cui primæ volitionis operatione, ac passionis primæ receptione implicatur adeo, ut propter innatam delibitatem suis sese viribus explicare nequeat. Incorporeum autem quod corporis adjumento non indiget, sed ex seipso aptum suæque per se voluntatis, & potestatis est compos, neque incursu corporeo quatitur, premiturve, prout lubet adest, aut abest, & voluntate nequaquam obnoxia, sed soluta, & libera actionem promit, & condit.

Vulgaris obscura & inepta.

§. 22. Forte quis importunus occurrat, & unione quæ intellectione, aut volitione modis accidentariis contineatur compositum substantiale fieri non posse contendat. Quem facile repellas, si nullum non compositum substantiale dicendum esse convincas. Compositio quippe partium discrimen postulat, accidens autem seu modum à subjecto neque reipsa distingui, neque etiam vel mente dirimi posse docuimus; Nullum igitur est accidentale, ac proinde nullum non substantiale compositum. Poterit au-

Compositum substantiale.

autem compositum aliquod dici substantiale per accidens, aut non naturale vocari seu partes inter se convenientia nativa non congruant, seu causæ ascititiæ viribus compingantur. Id quod naturæ humanæ partibus exprobare non licet. Sed nondum scrupulus omnis exemptus est. Animæ, corporis, unionis, veluti trium rerum impressio Scolasticorum mentibus hæret infixa, unio vero quæ compositionis quasi forma, & ratio est, si accidentibus ascribatur, compositum accidentale vocabitur. Id ipsi quorum interest, viderint. Mihi ista nil obstant, qui tantummodo substantias binas numerem, nam modi cum à substantiis abstracti cogitari nequeant, iis summam augendo, cogitationum, ut ita dicam, calculis addi non possunt. Audi nunc aliud qua dubitatio omnis tollitur. *Mens*, ait Augustinus *seipsam per seipsam novit*, alibi autem *Compertum est*, inquit, *quod mens nunquam esse ita potuerit, ut mens non sui meminisset, non se intelligeret, & diligeret quamvis non semper cogitaret.* rursus *Mens, notitia, & amor sunt in animâ substantialiter*, loquitur autem de notitia & amore sui. Atque ut quantum vir perspiciacissimus de rerum natura viderit ipse perspicias. Propone tibi animam cognitionis omnis, & volitionis expertem, nil nisi torporem, stuporem, inertiam vides, qua vi se ad agendum accingat nequit intelligi. Num consentaneum videtur ut quam actuosam, utpote incorpoream nativa indole demonstravimus, illius naturam, atque substantiam ad agendum prorsus inhabilem existere posse dicamus? Sane corpus ad patiendum natum non potest non esse terminatum, terminatione autem alterius actionibus seu impulsionibus recipiendis aptatur. Quo vero jure corpus ad patiendum, quam incorporeum ad agendum instructius esse convenit? Cognitionem igitur & volitionem rei cujuspiam veluti primos actionum igniculos, innatam animæ statuamus oportet. Nullius autem dabis, si sui negas. Se vero dum noscit, debilitatem suam qua instrumento corporeo indiget ignorare nec potest, nec debet. Proprietas enim nulla patentior quam possit agnoscere, neque alia notitia minùs carere debet artifex, quam qua instrumentum agendi necessarium aut faciat ipse, aut factum inveniat. Inseparabilis itaque ab anima est cognitio sui, atque corporis, ideoque ad ejusdem substantiam pertinet; substantialis itidem & sui amor, & actuosa propensio qua sibi corpus idoneum appetit, applicatque; quæ quidem propensio neque ab anima separata sejungitur; nam licet haud perinde in eo statu, atque exortu primo corporis opem requirat, volitionem tamen priorem, quippe quæ conditionem pristinam, non præsentem respiciat, nunquam amittit: ipsæ etenim volitiones quoque accidentariæ, quoad à contrariis erasæ sint, semper remanent. Dixerit forte quispiam animam cognitionis cujuscunque, &

l. 9. c. 4. Trin. de l. 10. c. 15.

l. 9. c. 4.

Cognitiones & volitiones aliquæ sunt inseparabiles, & substantiales.

vide supra l. 1. n. 16. & infra mox. n. 23.

& volitionis inanem haud impropriè activam appellari, eò quod remotâ quâdam agendi potentiâ, & facultate polleat. Verum ego non ex appellatione rerum, sed è rebus ipsis, & fero & probo sententiam. Vocetur ut lubet actuosa, erit tamen naturâ iners, sopita, mortua, manca, monstrosa, non viribus suis, sed alienis stimulis excitanda, minusque ad agendum quam corpus ad patiendum instructa. Ecquis autem vel Poetarum Vulcanum Fabrum absque manibus natum finxerit, ut in se non habeat quo malleum apprehendat, atque ictum imprimat, vel manus ei stupefactas & calore vitali destitutas tribuerit, ut absque impulsu extraneo moveri nequeant. Ille tamen non primo momento, sed ætatis incremento ad opus accingitur; anima vero instrumento agendi alligata & mancipata, ut ipse fateris, nascitur, ac proinde natura, propriaque substantia agendi vim promptam, ac paratam habere fatendum est; quam, nisi in seipsam, & corpus, intellectione & volitione feratur, cogitatione complecti nemo poterit: contra verò si hæc dederis, animam seipsa vivam, vegetam, actuosam, perfectionisque primordia, & nativa semina, substantiæ suæ viribus promoventem, ipsam, inquam, substantiam animæ vitalem, suaque fæcunditate in veri bonique perceptiones affectionesque paulatim efflorescentem habebis. Primas itaque unionis quasi fibras quibus anima corporei insita inhæresci t, ipsius animæ substantia contineri videas, iisque infixa nititur, quandiu apta corporis indoles perseveret; tametsi vero aliarum cogitationum & volitionum accessu altiùs insideat, at omnium stirpem, atque inhæsionis omnis principium in iis quibus anima carere non potest, quæque proinde ad illius substantiam pertinent, collocatam esse sentias. Binas itaque substantias quæ & convenientia inter se naturali respondeant, quæque invicem præsentia intima stabilique eaque vel substantiali, vel à substantiis saltem indistincta cohæreant, seque mutuò impressionibus alternis afficiant, clara luce spectasti, ac proinde quin *unum*, quod vocant, *per se*, non *per accidens*, & compositum naturale, ac substantiale constituant, dubitari non potest; præsertim si functio utrique communis accedat, quam quærendo, etiam quid cui proprium & peculiare sit, reperiemus. Lr. n. 7. 9. &c.

§. 23. Ac motu quidem corporis animam affici, atque intimè mutari, ut quod ante non fuit, nunc sit videns, dolens, multimodis sentiens, superiùs fusè probavimus. Sensio vero num præter affectionem ipsius animæ, corporis quoque motionem veluti partem includat, deinceps inquirimus. Constat autem sedato motu tympani auditorij, perceptionem soni cessare, quæ si affectione solius animæ contineretur, ea superstite, non Sensio & Modificationem animæ, & motum corporis veluti partes continere probatur.

non periret. Unde enim fiat ut ſenſione integrâ perſiſtente, ſentire diſiſtas? Niſi quis ad ineptas, & nullibi neceſſarias quas vocant conditiones fugiat, quibus qui claritatem in Philoſophiâ ſectatur uti non poteſt, quaſi ſenſio licet in ſe perfecta, motionem comitem, ut ſenſio ſit, id eſt, ut animam reddat ſentientem, requirat, alioqui certe nomen tantummodò, non naturam ſenſionis obtinet. Porro motus interitu, affectionem illam animæ quam motus impreſſit unà concidere, dici non poteſt ab eo qui figuram ceræ à ſigillo negaverit conſervari. Negant autem ubique Scholaſtici, & exemplis plurimis docent, res productas, cauſa producente ſubductâ, perimi. Sed apud me principium, & ſuâ perſpicuitate clariſſimum, & veterum authoritate firmiſſimum, haud paulo plus momenti quam Scholaſticorum conſenſus obtinet. Quanquam ne hunc quidem temerè & ſine causa legitima negligendum, ſed ubi cum veritate conſentiat adhibendum cenſeam. Sane rem ullam, aut ſubſtantiam quæ pereat, omnia undique circumſpiciendo nuſquam reperi, neque à veteribus repertam accepi. *Didici*, inquit ſapiens, *quod omnia opera quæ fecit Deus perſeverent in æternum.* Nam formas illas ſubſtantiales ignis, metalli, arboris, quarum ſtrage continuatâ Philoſophi ſtructuram univerſi concutiunt, ab iisdem confictas, non autem à natura factas invenio. Animalium autem formas non deſitione ſed diſſipatione, uti domus, aut corpus aliud. in hoc mundi ſtatu deſtrui, poſtea docebimus. Neque enim orbis architectum tanti operis contemplatione detectum, tam imperitum fuiſſe videbimus, ut ſubſtantias, id eſt, ædificij pucherrimi membra, ſubductis alijs, alijsque ſuppoſitis, momentis ſingulis permutaret. Quemque ſapientia undique infinita præditum demonſtrabimus, eumnè tam parum providiſſe putabimus, ut opus quotidiano partium interitu ruinoſum, operaque continua reſtaurandum conderet? Non igitur res ſed rerum modi deſinunt, vel ut magis ad Philoſophiæ normam exactè loquar, res eædem manent, ſed non eodem ſemper, ſed alio, atque alio modo ſe habent; quod autem principium aut exploratum, & conteſtatum, & verò etiam alibi probatum, neque ullo uſpiam in tota, qua late patet, Philoſophia, aut Theologia exemplo refutatum, aſſumo, eo *ne modum quidem niſi modo contrario obliterari docetur*; nam quod ceſſatione habitus minuantur, aut penitus extinguantur, ejus cauſam ipſis Doctoris Angelici verbis aſſigno. *Cum homo ceſſat ab uſu intellectualis habitus, inſurgunt imaginationes extraneæ, & quandoque ad contrarium ducentes, ita quod niſi per frequentem uſum intellectualis habitus quodammodo ſuccidantur, vel comprimantur, redditur homo minus aptus ad rectè judicandum, & quandoque totaliter diſponitur ad contrarium.* Quandiu igitur affectio illa quam motus ſonorus inſculpſit animæ ab alia quapiam contraria eraſa non fue-

Res nulla perit.

l. 1. n. 16.

Neq; Modus ullus ſine contraria.

1. 2. q. 53. a. 3. c.

fuerit, quod non ſtatim motu ceſſante, ſed vel ſerò, vel nunquam, vel incerto poſt temporis ſpatio accidit, tandiu integra, & illibata perdurat; at motu ceſſante confeſtim audire, aut aliter ſentire quis deſinit: ſenſio igitur aliquid præter affectionem animæ comprehendit; nihil autem potius quam motionem corporis, qua data naſcitur, ſublata mox deficit; ſenſio itaque & affectione animæ, corporiſque motione tanquam partibus continetur. Ubi functionem utrique communem habes, cujus altera pars animæ, altera corporis modus, & proprietas ſit.

Senſio eſt animæ corporiſque functio communis.

§. 24. Quare haud infeliciter Ariſtotelem conjectaſſe ſcias, qui ſentire non animæ ſoli, ſed conjuncto tribuerit, eique D. Thomam hoc loco feliciter adhæſiſſe. Quod quidem ſit ut dictu perfacile fuit, ita explicatu difficile non fuiſſet, haud tam diu, opinor, verbis tantum communibus implicatum hæſiſſet. Neminem quippe fugit ſenſionem aliquo modo utriuſque tum corporis, tum animæ niti opera, utrumque ad ſentiendum aliqualiter conſpirare, ſed dum propius ad rem enucleandam accedunt, hærent in ſalebra. Piget Lectoris animum craſſis Recentiorum inquinare phantaſmatis, qui ſenſionem duplici corporis, animæque fulcro ſuſtentant, eamque utrique inniti, inſidere, inhærere garriunt. Non reprehendo Metaphoras, ſine quibus de incorporeo loquentibus verba non ſuppetant, ſed quæ à corporibus ad incorporea ſignificanda transferunt, iis mentem quòd ſuper abjectas corporum notiones haud efferant, id enimvero in Philoſophis qui de ſubtilitate præſertim Metaphyſica gloriantur minime ferendum eſſe pronuncio. Perlege quæ de ſenſionum inhæſione, ſubjectatione, ſuſtentatione differunt, nihilo ſublimiùs, quam cum in qualitatibus corporeis volutantur, contemplando eniti comperies. Namque ultra penetrationem quandam fixam qualitatis in ſubjectum, quam corporeis quoque tribuunt, non aſcendunt; immo vix intellectionem menti ſubtiliore filo aſſuunt. Verum ut ut ipſi ſe implicent, explicatum vides, quo pacto ſentire ſit hominis utrique parti commune. Neque mirum videbitur é proprietatibus diſſimilibus proprietatem unam conſtitui ſenſionis, cum è ſubſtantiis æque diverſis ſubſtantia ſit hominis una conflata. Sed fucata cognitionis obſtat, & vulgò recepta definitio. Plerique enim cognitionem omnem in qualitate quadam ſtatuunt quæ ſit vitalis imago, & ſimilitudo, ut loquuntur, intentionalis objecti; quam licet verbis haud exprimant, neque ſimilitudinis illius lineamenta ullo modo deſcribant, ſubtilius tamen quippiam cogitatione confingunt, quam ut motum corporeum vel minima parte contineat. Qualis autem eſt iſta definitio ſeu occultæ naturæ explanatio, quæ de re ignota id tantum exponit, quod alteri quodammodo ſimilis ſit, cum nec ſimilitudinis umbra compareat? Crocodilum, opinor, probè

l. 2. de an. t. 152.

1. p. q. 84. a. 6. c.

Communis, & obſcura definitio cognitionis.

probè definias, si rem quandam fungo similem dixeris. Neque enim hæc inter se tantum dissident, quantum actus sive accidens actuosum, incorporeum, inextensum, vitale, individuum, ab objecto vel substantia corporea, extensa, dividua, inanimata, & inerte discrepet. Tum cognitio quid habeat quo calori cognito similiorem putent, quam volitio putanda sit nullibi docent.

Vera & clara.

§. 25. Proferamus igitur aliquid & notum, & obvium, tum omni & soli cognitioni conveniens. Eam igitur neque in similitudine, effigie, aut repræsentatione, sed in directione constituo: omnis enim cognitio tam sensus, quam mentis seu humanæ, seu angelicæ, seu divinæ cognoscentem dirigit, atque è directione velut è prima stirpe cognitionum omnis varietas, proprietatesque multiplices propagantur, eaque res omnes carent quæ cognitionis expertes esse censentur. Neque enim corpora gravitate, aut levitate propria, sed impulsione aliena, ut loca certa capessant diriguntur, neque impulsio ipsa aliter directionis vocabulo significatur, quam sanitatis effecta, aut signa, sana dicuntur. Formalis enim Directio cognitioni soli convenit, quam ne volitioni quidem, quæ inclinationi potius, & propensioni, quam directioni, indicationi, aut ostensioni convenit, quisquam notionibus claris assuetus tribuat. Neque intellectio ex similitudine vocatur imago floris, cum nihil magis dissimile fingi queat, sed quia imago cognoscentem dirigit, ut florem agnoscat: cognitio quippe non minus signi & notæ nominibus indicatur, licet signa rebus dissimilima reperiantur. Ignis enim & odore, & fumo, & fragore discernitur, hederaque vinum ostenditur. Et quia lux in aere perspicuo, directione exteriore, & materiali nos ducit, claritatem idcirco, & perspicuitatem directioni interiori, & formali largimur. Cum Petrum dico, cognitio est *Absoluta*, cum Patrem eum nuncupo, Relativa. Quid ita? nempe vel ita dirigit ut in uno sistam, vel ut ex uno in alterum oblique deflectam. In summa, cur cognitio vera, certa, firma, universalis, destincta, confusa, de futuris, possibilibus, impossibilibus esse dicatur, suis quæque locis è directione rectissime, è repræsentatione praviſſimè duci monstrabimus. Atque ut Aristoteles ea ratione confutat quosdam Philosophos qui animæ naturam harmoniæ Metaphora definiebant, quod definitio sterilis proprietatem, animæ demonstrationem haud pareret; ita quæ cognitionis vulgò recepta est notio, eam ut impropriam, adeoque infæcundam rejiciendam esse videbimus. Nostra vero cum ex se & propria, & facilis appareat, tum proprietatem fertilis & sciendi studioso perutilis apparebit. Quodque ad hunc locum attinet, non erit obscurum ex ea rationem perspicuam intueri, quæ motionem corpoream sensione seu corporis singularis cognitione doceat comprehendi; nihil enim

l. 1. de anima. c. 4.

Quomodo sensus ad corpus singulare dirigat.

motu

motu aptius excogites, quo facultatis cognoscentis corpori mancipatæ proprietas, ad rem corpoream spatio definito positam dirigatur. Neque enim illam fucata quadam imagine repræsentat, sed collienando potius indicat, atque designat. Ipsa autem, ut ita dicam, tendentia motus ostendit quo ferri, quo tendere informationem animæ indeterminatam oporteat; ut directionis pars potior qua corpus cognoscitur, proprietatem animæ modumve contineat; determinatio vero ad corpus hoc designandum præ cæteris, motioni corporeæ debeatur. Quocirca hominem videre propriè loquendo dicimus, quòd visio partis utriusque proprietatem includat. Anima verò magis, quàm oculus, eò quòd ad animam & visionis pars potior, & videndi facultas tota pertineat. Oculus autem videre non eò dicitur, quò anima per oculum, quippe quæ & per conspicillum, quod tamen videre non dicitur, cernat; sed quia motus aliquis oculi, vel membri alterius ei conjuncti, ab eoque commoti, visionis partem obtinet; vel quia nomen organi facultatem quoque annexam Tropo sermonis usitato significat. 1. Cor. 2.

§. 26. Nobis etiam otiosis esse licet, dum sudant Theologi laborantes ut argumentum eruant, quo oculum ad spiritum, & Deum intuendum virtute nulla evehi posse persuadeant. Nam quid oculus ad videndum conferat, præterquam quod species transmittat, & qualitatem visionis altero fulcimento sustineat, nihil proferunt. Fulcro, ut accidentia reliqua, carere poterit; neque cum Deum intellectu cernemus, speciebus utemur, neque ad cœlestes animas via trita commeant, cum eas sibi mutuo conspiciendas exhibent. Cumque tam intellectio quam visio passim intentionalis imago vocitetur objecti, quin utraque qualitatis illius radiis, quam *Lumen gloriæ* nuncupent, illustretur, haud facile causam assignent. Quanto visio obscurior, tanto plus luminis cumuletur. Nequicquam obtenditur facultatem videndi, objecti corporei cancellis includi. Nam si facultas utraque sit eadem, atque ab eadem anima, ut multi asserunt, indistincta; vel, quod perinde est, repræsentationis itidem similitudine cognoscat objectum, nisi quid visus organum remoretur ostendas, claustra adamantina quæ vis nulla frangat vano conatu objicis. Quique igne dæmones uri censes, quid visum objecto, quam subjecto corporeo flammam arctius astringat, velim edisseras. Sin autem fallacem hanc imaginis speciem è mente deleveris, incorporeique à corpore discrimen ingens ea quæ superius scripta sunt legendo didiceris, & visionem non ex animæ unius, sed è corporis quoque proprietate conflatam esse perspexeris, facile cernes nullum esse corporis extensi modum, qui ad rem incorpoream extensionis, situs, figuræ, motus expertem cognoscentem dirigat, atque deducat. Neque etiam quo corporis à loco divulsi, ac veluti in medio suspensi, universalis, & indeterminata cognitio formetur; motus

Cur sensus nec spirituale nec universale percipiat aliis difficile nobis perfacile dictu est.

motus enim ad metam loco certo defixam, quo vel unde fertur intuentem dirigit. Immo si quando animam partium non motu tantum, sed situ quieto

Vide l. 5. n. 447.

affici posse prævideas, vel hinc etiam stati loci oritur designatio. Nam sagitta pectori infixa, si fingatur nullo sui, vel corporis motu facultatem afficere sentientem, situ ipso vel recto, vel aliquorsum obliquato non quamlibet, sed certam aliquam mundi plagam indicat. Jam vero Scholastici qui cognitionem universalem, velut imaginem ovi, vel Monogramma hominis, seu picturam extremis tantummodo lineamentis designatam intelligunt, quæque proinde non uni, sed cuilibet peræque respondeat, atque hac una mentis effigie omnes homines repræsentari, ac proinde cognosci autumant; altera quoque pariter obscura & imperfecta, quam sensus efformet, præsentia simul & absentia, immo & nondum existentia representari, ideoque & visu percipi posse consequitur. Idque ex iis non-nemo absurdè quidem, communi vero sententiæ consentaneæ locutus disertis verbis asserit.

Falsa notitiæ universalis descriptio.

Pet. Hurt. d. 5. Metap. s. 12.

§. 27. Est etiam aliud quo vehementer anguntur, dum de universalis unitate operosiùs, quam de ipsius universi structura differunt. Si hominem cogitatione simplici, neque ulli nominatim applicando cognoscis; ea, cum objectum multiplex citra distinctionem intelligat, unum in multis, sed universale constituit, quia multa cogitatione indistincta in uno quodammodo compinguntur. Hæc autem compago ne fatiscat magnopere timent, cum Petrum hominem esse pronuncias. Quid ita? Quia Petrum esse homines omnes nemo sanæ mentis existimet, unum autem ex omnibus si dicat esse, unum ex omnium excerpit cumulo, & distinctione dissipat unitatem, Entisque universalis Machina fracta corruit, & ruina Philosophiam scilicet totam opprimit. Rides. At illi rem magnam multoque & labore & clamore dignam agi putant. Namque in Aristotele universale duplex, alterum ut loquuntur in Essendo, alterum in Prædicando comperiunt; id est, etiam tum cum Homo de Petro prædicatur seu enunciatur, universalitatem unitatis dispendio non amittit. Accedit etiam quod imaginem illam intentionalem quam cognitionem appellant, in tria frusta alii re, alii tantùm ratione discindant. Pars prima subjecto, secunda copulæ, tertia prædicato tribuitur: atque hæc tripartita mentis effigies tribus verbis Petrus est homo, in conspectum foras educitur. Porro pars tertia quæ voci Homo seu prædicato respondet, vel est eadem quæ prius apprehensio seu cogitatio simplex dicebatur; vel simili modo, quoad experientia intima de cognitionibus nostris scire licet, homines omnes sine discrimine repræsentat, atque idcirco non unus, sed omnis homo Petro per copulam applicatur. Neque facilius evadunt qui Phantasma quoddam humanæ naturæ

Quæ tricas non minùs ridiculas, quã difficiles peperit.

quæ

quæ licet per singulos dissipata sit, atque dispersa, unitatem tamen interiorem vel à cognitione inditam, vel ad eam relatam sortita sit comminiscuntur. Naturam enim totam uni dando, vel mentiris, vel deliras; partem avellendo unitatem destruis, & universalis Machinam demoliris. Si vulnus hoc inani verborum sono curari queat, remedium dabitur. Naturam enim totam prædicari ajunt intensivè non extensivè, eamque formaliter quidem universalem, arguitivè vero particularem esse. Contra, qui in cognitione collocant unitatem, multa de propositionibus collectivis, & disjunctivis miscent & turbant. Sed quia colligendo errorem, disjungendo discrimen inferunt, ad disjunctionem quandam virtualem postremo confugiunt, & subjectum mirâ vi quod suum est è prædicato furtim abripere, neque totum vel minimâ parte minuere arbitrantur. Hisque figmentis absurdissimis, subtilitatis obtentu operam diuturnam impendunt. Neminem reperias quin de se, quod apud Horatium Catius, prædicet, *Quin id erat curæ quo pacto cuncta tenerem, utpote res tenues, tenui sermone peractas,* Serm. l. 2. satyrâ 4. tum, *qualia vincant, Pythagoran, A nitique reum, doctum Platona*, scilicet cum de ovorum, & fungorum, & carnis aprugnæ delectu ageret, videbatur sibi in rebus versari subtilissimis; quibus haud minus obtusa sunt, quæ ad picturarum, & propositionum vocalium exemplar de cognitione Philosophi vulgò differunt, nec quid ab intellectu differat Phantasia distinguunt; hæc etenim, licet nec ipsa quidem quâ parte animæ modum continet objecto sit similis, obversante tamen velut imaginis cujusdam specie ludit ignaros; illa nec repræsentationis quidem ullius umbram vel obtinet, vel ostentat. Non erit igitur anxie disquirendum quo pacto mens effigiem multis communem, singulis divisim, aut junctim applicet, sed quid sit indifferenter, aut determinatè dirigere, meditandum. Cognitio quam vox, *Homo* significat, eâ ratione dirigit cognoscentem, ut ad quolibet sensu, & ratione præditum ex æquo se gerat; quæ vero propositione, *Petrus est Homo*, notatur, indifferentem mentis ad quodlibet habitudinem ad hoc unum difinite dirigit, atque deflectit. Quod cognitiones aliæ indefinitè, aliæ definitè dirigant, id notum est, certum est, atque ad earum proprietates explicandas aptum est; quod autem vel rebus, vel verbis similes sint, id vero non modo ignotum, incertum, & ineptum est, verum etiam à modi incorporei notione tam alienum est quam quod cogitari possit alienissimum. Sed quid ad definitionem Aristotelis, quâ universale unum in multis appellat? Ecquam è directione unitatem vel intraneam, vel extraneam in multa derivem? Nullam. Definitio igitur expungenda? Fateor. Nihil enim si mentem tuam potiùs quam scripta aliena consulas, quod

Quid sit cognitio universalis.

Res nulla universalis, sive una, & multiplex: nec per cognitionem quidem.

unitatem sapiat degustabis. Conflagrante domo recordatio aquæ animum pulsat; de hac animi affectione quid nosti, præterquam quod eo modo te dirigat ut paratus sis quamlibet oblatam affundere? Ubinam, quæso, vel intra vel extra mentem fontes, & flumina, paludes & putei in naturam unam confluunt? Neque tu, neque Aristoteles quidquam in talibus quod unitatem vel tenuissima adumbratione referret experiendo didicit. Sed quas à Magistro Platone didicerat Ideas, nunquam vel puras hausisse, vel fæcem exhaustisse; atque inde rem unam in multis existentem, quamquam crassiore Minerva confixit. Namque Ideis Platonicis subtilitatem omnes, veritatem multi Doctores tribuunt, qui de divinis locutum sentiunt. Quod si quid Unum, & Multiplex fingendum esset, nihil eo monstrosius somniando delirus finxerit, quam quod vana objectorum multitudine, & unitate vel in cognitione sita, vel per cognitionem insita Philosophi vulgò describunt. Neque scientia circa res universales, quæ nullæ sunt, versari; sed è notitiis universalibus, quæ unitatem nullam vel constituant, vel faciant, vel inveniant, sed ad similium quodlibet indeterminatè scientem dirigant, conflari, sermone proprio, & Philosophico dicendum est.

Cognita causa res perfectiùs & clariùs cognoscitur non tamen clariùs repræsentatur, sed sciens meliùs dirigitur.

§. 28. Sed neque felicius de cognitionum claritate, & veritate, quam de Universalitate conjectant Dialectici. Earum perfectio claritatis Metaphora significari soler. Clariùs igitur Eclipsim solis intelligit, qui causam, & effecta animo comprehendit, quam qui obscuratam videndo, de obscuratione tantum cogitat; Hic tamen rudis haud minus expressam obscurationis, id est, Eclipsis imaginem, quam Astronomorum quispiam efformat. Atqui Astronomum haud paulo perfectiùs dirigit sua cognitio; neque enim cum causam, & effecta cognoscat, aut nullo, aut nimio terrore concutitur. Minimè mirum, inquies, si præstantiorem quæ è pluribus constet dicamus imaginem, Falleris. Non enim parallaxis, Apogæum, termini Ecliptici, Lunæ, Solis, & Terrestris umbræ Diametri, non Signum, non Domus, non Planeta Dominans, ipsius Eclipsis, sive obscurationis imaginem conflant, ac proinde nec illustriorem possunt efficere. Ipsam tamen Eclipsim meliùs à Ptolomæo quàm Tygellio sciri non dubitas, scire igitur non repræsentatio sed directio est. Jam vero cum Hominem apprehensione quam vocas simplici cogitas, nihil huic cogitationi deesse putas quin humanæ naturæ veluti lineamenta tam præcisè contineat, quam doctrinæ, cum doctum, aut docilem esse pronuncias; eoque magis, quò doctum judicando, compositionis doctrinæ cum homine simulachrum quoddam umbraticum, & ementitum affingas. Apprehensioni tamen veritatem vel nullam, vel tantummodo inchoatam: judicio verò, seu comprehensioni perfectam & consummatam adscribis. Sensioni vero, consentanea loquendo,

De claritate.

Veritate.

utris-

utrisque deberes perfectiorem ascribere. Nam visio quà corporis seu motu, seu quiete consistit, picturam in oculo, vel indidem alio translatam continet, quæ cum colore conspecto, haud paulo magis quam intellectio cum colore conveniat intellecto. Porro cum veritatem in repræsentatione conformi cum objecto constituant, eamque per commensurationem quandam cognitionis cum cognito, ad æqualitatis normam explicent, diversos veritatis gradus auferunt, licet Aristoteles *illud esse verissimum quod posterioribus est causa, ut vera sint* asseveret; atque hominum communis sensus, & usus ostendat, veriora dicenda quæ firmioribus, & potioribus veritatis indiciis demonstrentur. Adhæsionis quoque firmitatem imaginis exemplo quis exprimat, nisi glutine, gummi, vel resina terebinthina intentionalibus pigmenta commiscat? Contra vero neminem fugit judicium apprehensione, aut sensione melius, atque judiciorum alia aliis rectius, fortiusque dirigere. Atque hæc quidem de cognitione rebus multis alibi cognoscendis utilia prælibanda fuerant: nunc quod de unione facultatis cognoscentis cum corpore, cognitionis & volitionis nexibus colligatæ dicendum supereft, paucis absolvam, ut ad eam à corporis vinculis liberandam, atque ad conditionem planè dissimilem transferendam accedam.

lib. 2. Metaph. c. 1.

Firmitate.

§. 29. Atque animam nostram tum nativa indole, tum functione communi, tum præsentia stabili, quoad illa in rem incorpoream cadere possit, aptam ostendimus, quæ quid unum cum corporis mole constituat, eoque magis quod à se mutuo affici, mutarique constirerit. Corpus enim absque incorporei stimulis inertia torperet sempiterna: Animam vero ad sentiendum, motibus corporis excitari docuimus, atque ejusdem etiam quiete sensionibus frui, non nunc, sed olim posse docebimus. Quique rem incorpoream eo dejiciunt, ut eam locorum extensione metiri quodammodo videantur, tum cognitionem, proprietatem ejus primam, atque primariam, objecto corporeo similem arbitrantur; nescio cur eam ex adverso tam alte sustollant, ut longè supra corporis ictum emineat, quò non per se, sed speciem intentionalem attingat. Deinde cur haud perinde speciem impressam, quam expressam instrumento corporeo negent fabricari, cum utramque pariter incorporeis rebus accenseant? Sed aliud quod unionem propius tangit inquiro. Si ad ullum cognitionis aut volitionis genus attinet, si qualitas quædam est, si vinculis, aut glutinis, commissuræ, vel coaptationis Metaphoris explicando, quæro quid ex hujusmodi unionis notione ducatur, quo animam corpore læso dolere, sano lætari debeat, nisi forte ejusdem affrictu leni, vel aspero scalpi putes? Nihil enim subtilius è definitionis craffæ fæcibus eliquabis. Est tamen hoc unionem summè conjunctum, & maximè proprium, spiritumque informantem ab assistente, & gubernante distinguit; quippe qui corporis affecti incom-

Redit ad Unionem.

l. 3. n. 47.

Sibi non consentiunt qui animam motu corporis immediatè affici negant.

Cur læso corpore doleat anima.

incommodis non tanguntur. Cæterum è cognitione quâ novit se corpore egere, & volitione quâ rem sibi apprimè conducibilem arctè complectitur, satis apparet cur ægrè minus utilem factam ferat, non expressa quidem utilitatis notitia, sed naturali rei, quam utilem experitur, amore. Quod si nonnunquam quæ corpori servando conducunt dolorem afferant, causam in promptu habes, nam eam impressionem faciunt, quæ ad dissolutionem corpus præparent, licet aliunde, vel noxia extrudendo, vel luxata jungendo, vel complicata solvendo, plus adjumenti quam damni apportent. Emolumentum autem vel incognitum, vel certè parum, & sero, & ratione tantum non sensu compertum, minus ad solatium momenti habet, quam detrimenti sensus à principio inolitus, ad eam quæ sensu percipitur acerbitatem doloris conferat.

Quibus. & quâ ratione partibus insit anima.

§. 30. Restat ut anima quibus corporis partibus insit ostendam. Nihil autem frequentiùs auditur quam totam in toto, & totam in qualibet parte esse, nihil item obscuriùs explicatur; nam quid incorporei per singula corporis extensi membra diffusio, quid præsentiæ totalis eum partiali confusio menti cognoscendum objiciat, nec capere, nec dicere quisquam potuit. Sin animæ præsentiam neque ubicationis, neque unionis laxitate, sed operationis efficacitate definias, iis partibus quas vi sua movet, aut motas cohibet, inesse perspicies. Corpus autem est organicum, id est instrumenti aut Machinæ forma constructum, quibus motus omnis à parte una vel paucis ad reliquas derivatur. Quoniam autem partem illam, quam Primum Mobile recte dixeris, movendo, Machinam totam commoves; idcirco & anima licet uni tantum parti proximè virtutem applicet, reliquis tamen quas per illam ciet, aut sistit, quia reipsa vim imprimit, iisdem verè & propriè inesse censetur, sed primariò & præcipuè Primo Mobili, quod proinde animæ sedem appelles; quam Veteres scrutando declarant, quantum à Recentiorum opinatione dissideant, quæ animam pari per totum corpus diffundendo præsentia, eidem jus solii specialis palam abjudicat. Quod si pluribus membris proximè virtutem applicat, totidem quoque Thronos obtinet, neque aliis inesse partibus dici debet, nisi in quas vel applicatione, vel communicatione virtutem exerit. Corpori quippe ut actus, energia, sive ut actuosa vis inest; unde qui de partibus animatis inquirunt, Anamaticos consulant, & unde motus incipiat, & quousque perveniat, ipsarum partium consideratione pronuncient. Quam vero motui recipiendo non viderint fabrefactam, eam ut in Machinis apparet, membris tantum mobilibus sustentandis, aut tuendis adjunctam intelligant. Quæ quidem, licet scitu dignissima, prætermitto, quia longum esset, neque operis instituto necessarium de singulis pro dignitate differere.

§. 31. Illud

§. 31. Illud autem quod inprimis conducit, neque multis indiget, præteriri non debet. Anima in partem saltem unum agendo semper incumbit, alioqui corpori non inesset. Actionem vero suam, quæ in motus impressione, vel repessione consistit, aliorum in eam partem incursantium motibus incitatam, retardatam, turbatam, vel quomodolibet variatam facile persentiscet. Nullâ etenim corporis mutatione permoveretur, si quæ actionem, quam per se ipsa producit, mutando concutiat, eam stupiditate, vel subtilitate nimiâ non perciperet. Hæc autem animæ actio quia varietate potest innumerabili immutari, illius immutatione multiplici sensionum omnium varietatem contineri posse quis ambigat? Neque contineri tantum posse, sed debere contendo. Finge animam in nullam corporis tui partem quicquam agere, certe illius actus haud esset, neque ei, ut ex iis quæ dicta sunt patet, inesset, ac proinde nihilo magis quid tuum, quam alienum patiatur agnoscet. Sentit igitur quâ præsens est, præsens autem est quâ agit, ergo sentit quâ agit; cumque sensio alicujus immutatione, quæ vim sentientem quasi moveat, & movendo moneat, oriatur, nisi actione variatâ sentiret, nequaquam ut agenti sentire contingeret. Non quòd sentire sit agere, sed quòd actionem postulet immutandam. Quoniam vero motum aliquem sensione ipsâ concludi jampridem evicimus, hanc animæ actionem in motus impressione aut repressione positam rerum incursantium impulsione turbatam, sensionis partem esse conficimus. Quamobrem si animæ actio quâ mobile primum concitat, ad pedes usque propagnata pertingat, icto pede mutabitur; ideoque in ipso pede dolor tam proprie esse censebitur, quàm sensioni locus ullus in corpore possit attribui. Quin etiam eo ipso quod de dolore quis ut in pede conqueritur, actionem illam eo usque protensam esse consequitur. Neque enim dolori locum in pede, veluti colori in pariete designamus. Sed facultas sentiens dolore pedis, ut rei suæ jacturâ, vel malo angitur. Suam autem unione, id est actione facit, actio igitur ad pedem usque porrigitur. Jam quia è sensione quòd actio, vel unio pertingat innotuit, ea corporis membra animata seu animæ unita quæ icta dolent, seu sensu sunt prædita, signo etiam Anatomicorum ignaris haud ignoto colligimus. Nam quod ad Vegetationem, quam vocant attinet, cum absque formæ ullius operâ peragatur in plantis, neque in animalibus animæ auxilio indiget, neque illius in corporis seu parte, sive in toto præsentiam arguit. Intellectio verò cum animæ solius proprietas sit, neque motum, aut modum alium corporis complectatur, quæ partes animentur indicare non potest.

Sensionis origo detegitur.

Facilius hinc quibus anima membris insit intelligitur.

De intellectione, & animâ separata.

§. 32. Verum hoc altius scrutandum est; nam si præter sensionem, intellectio quoque corporis modum includeret, nihil haberet anima quòd à corpore

corpore ſejuncta frui poſſet; ac proinde nec eſſet quidem; aut ſi exiſtere poneretur, *Eſſe* quoddam trunco potius quam ſubſtantiæ cognoſcenti conveniens poſſideret. Atque utinam præeunte potiùs veſtigio, quam digito ſolùm intento diſcipulis indicaſſet iter Ariſtoteles, quo in animæ à corpore ſeparatæ notitiam pervenirent. *Si operationum animæ*, inquit, *vel affectionum aliqua propria ſit ipſius, fieri poteſt ut ipſa anima ſeparetur: ſin vero nulla ſit ipſius propria, non eſt ſeparabilis. Maxime autem ipſam intelligere proprium eſſe videtur. Quod ſi hoc etiam imaginatio ſit quædam, aut ſine imaginatione non ſit, nec iſtud eſſe ſine corpore poteſt. Atque plurimi affectus ſunt, quorum ſine corpore nullum aut agere, aut pati videtur, aut iraſci, audere ſeu confidere, cupere, in ſummâ ſentire.* Sed non ſemper *Dimidium facti qui bene cæpit habet.* Hoc etenim tam præclarum incæptum haud uſpiam longiùs promovit, quam ut aliorum decreta reſcinderet, ancipitique ſermone, & ſententia ubique vacillante lectoribus magnarum rerum expectatione plenis illuderet. Age nunc, experiantur hîc ut alibi ſæpe, num quæ Ariſtoteles (quem Averroes *Naturæ Genium*, *intellectus humani finem* appellat, *atque à divinâ providentiâ ut ſciremus quicquid ſciri poſſet*, datum exiſtimat:) vel intacta, vel imperfecta, vel depravata reliquit, inchoari, perfici, & corrigi poſſint. Atque animæ veſtigiis omnibus inveſtigando naturam, ſi præſtantiorem eſſe comperiamus, quam ut corpori addicta, & mancipata penitus videatur, eo ſolutam exiſtere colligemus; atque inde ipſum intelligere, nec motu aliove modo corporeo ſeu parte, ſeu cauſa, ſeu conditione ſemper indigere, argumento quidem extraneo, firmo tamen & ſolido concludemus. Excellenti nempe naturæ non convenit, ut functionis omnis expers ſtupore defixa torpeat, quare functionem illam qui capere non poteſt, tollere non debet. Sæpenumero quippe fit, ut quippiam eſſe conſtet, etiam tum cum incerta de cauſa, modoque texitur diſputatur. Porro ſi ex intellectionis quoque contemplatione perſpicias, eam ſine corporis ope non conſiſtere tantum poſſe, ſed creſcere; tum certe timere deſines ne intelligendi facultas ruina corporis opprimatur. Utriuſque vero tum animæ, tum intellectionis id conſequeris intuitu, ut de quo ſine univerſi prope generis humani, tum maximè ſupremi Numinis irreverentia dubitare non audes, de eo abſque manifeſta non temeritate modò, ſed ſtupiditate dubitari non poſſe videas. Atque illud inprimis meminiſſe oportet, affectiones animæ ab illius ſubſtantia non diſtingui; itaque cum, ut nonnunquam accidit, vero, bono univerſim accepto capitur; cum rebus omnibus quæ conſentaneæ ſunt exoptat, earumque ordine, analogiâ, decôre, nullâ corporis utilitate ſpectatâ cum jucunditate fruitur; cum cupiditatem corpori lenocinantem caſtigat, & domat, (atque ut puncta, lineas, ſuperficies, quippe quæ nondum à corpore aliena probata ſunt præ-

l. de animâ. c. 1.

Animæ etiam in corpore eſſe quoddam conveniat quod nullâ ratione probabili perire cum corpore ſuſpiceris.

prætermittam) cum in corporea, æterna, divina contemplando pascitur; ipsum illius esse ut eo modo se habet, ad naturam corpoream non referri: itaque ut sic esse deinceps perseveret, quid corpus conferat, conjecturâ probabili fingi nil potest. Obesse facilius intelligitur, quod ad corporis commoda procuranda deflectat. Deinde illud esse quod à corpore tam procul abstractum noscitur, substractione corporis cur deficiat? Eo enim ipso quod à corpore abductum appareat, neque ei tanquam fulcimento incumbere, neque eodem proinde subducto, corruere cogitatur.

§. 33. Profer, sodes, aliquid cur dissoluto corpore extinguatur? Eone ut causa conservante, aut contrarium prohibente, aut partem tribuente, aut conditione indiget assistente? An longi temporis decursu innata sensim lue tabescit? An forte ut nullius pretii, videatur indignum, cui sustentando manum porrigat rerum Conditor, ideoque ut rem vilem & nihili in nihilum sinit evanescere; vel ut molestam, & cæteris gravem ex universo protinus jubet facessere? Denique an hoc esse, quo eo modo se habet ut utilitate corporis non ducatur, cum eo quo ad ejusdem emolumenta pertrahitur, eâ re quod in animâ indiscriminata sint omnia, interire pariter necesse sit? Plura vix ulla contradicendi protervia, aut tergiversandi licentia finxerit. Nihil autem horum Anima nostris vallata principiis reformidat. Nam nisi penitus affixa corpori ostendatur, ut nihil non cogitando & cupiendo ad illud referat, ideoq; nullum esse non eidem addictum, astrictum, immersum obtineat; quod de Brutorum animabus quoad ex iis quæ observando cernimus conjectare liceat judicamus; nunquam efficies ut totum illius esse à corpore aptũ pendeat, neque sine eo vile, & inutile censendum est, cui tot & tanta bona ad corpus neutiquam relata suppetunt; Alia vero tum minus instructa, magisque & mole, & motu molesta è rerum numero non expungis. Incorporeum porro quid habet quod fluxione temporis eluatur, vel corporeę motionis attritu comminuatur? His etenim dentibus, quæ peperit *Chronus* absumit. Incorporeis autem, ut ex iis quæ de loco diximus, sine monitore cognoscas, æquivocè tempus externum convenit. Quæque corporis extremitate quietâ tangi non possunt, quonam pacto ab eâdem morâ radi poterunt. Sed corpus hoc operatione dum continent, sive concutiunt, ea hic & nunc esse vocabulis è Trivio arreptis dicimus. Ac si quas in animam tempus seu corporis motio vires haberet, in eam potius conjunctam quam disjunctam exereret, id est applicatam facilius quam separatam extereret. Neque enim alio modo *tempus edax rerum* intelligitur. Nam quæ lue occultâ, ideoque errore vulgi innatâ tabescunt, ea corporis alicujus, quæ sub sensum haud cadit arcana motio, veluti lima surda consumit. At incorporeũ ab externo tempore intactũ, fortasse proprio paulatim arroditur. Ei porro prętер existentię ipsius fluxionem, Tempus.

nem, aut cognitionum, & volitionum aliarum ex aliis propagationem assignari quid potest quod temporis, aut ævi vocabulis designetur? At ab his quid timendum? neque minus innoxius quicunque durationis Modus affingitur. Quod si neque tempus proprium, neque alienum ei quicquam damni afferat, non est cur longo potius quam brevi deficiat. Neque enim in quo quid alteri prosit, aut obsit nihil appareat, ei aliud ut causæ vel conditioni connectit necessariæ, qui quid voce proferat mente perpendit. Quare neque ab unione cum corpore, nedum à temporis fluxione pendebit illud animæ esse, quo non modo sublimiora sectando supra corpus effertur, verum etiam appetitiones ad illius emolumenta depressas, comprimit, atque coercet. Nec si utramque affectionem ab anima distinctam neges, una ambas interire recte dixeris: nam motu cessante, corporis figura permanet, licet neutra ab extenso, discrimine vero differat; quanquam affectionum altera qua animam ad corporis dirigit, aut applicat utilitatem, *Modo* quodam corporeo veluti parte consistit.

§. 34. At contraria forte corpus excludit. Quasi vero corporis objectu velut aggesta mole vim incorpoream contra venientem summoveat, nam ab interitu per vim corpoream animum tutum præstiti. Cogita deinde quid mali res incorporea, id est intelligendi & volendi vis patiatur aut inferat. Errorem opinor, & vitium. Quas pestes adeo corpus non arcet, ut eas arcessat. E quibus etiam, undecunque proveniant, depravatio tantum sequitur, non destructio. Nam quo anima recte sciens & volens est, illud Esse per se non desinit, sed judicio aut vitio contrario tollitur, ut non tam in Nihilum sive Nullum Esse detritam, quam in deterius quoddam Esse detortam intelligas. Quare Augustinus acute, & appositè monet: *Nisi qui vivit fallitur nemo*, adeo non existentiam modo, sed vitam error includit. Sed quid vetat, inquies, quin esse illud animæ, quod supra descripsimus, modum quendam corporeum complectatur? Nititur enimvero in vetitum, qui talia quærendo, quid ratio, quid communis intelligentia vetet, aut jubeat flocci à se fieri plane demonstrat. Motune, figura, vel quiete quispiam rem ullam ad ea quæ à loco, tempore, atque omni proprietate corporea, non ut abstracta tantum, sed ut aliena noscuntur, dirigi & inclinari; atque insuper ab iis quæ corpori consentanea sunt deflecti, averti, avelli cogitet? At anima forte partibus conflata dividuis dissoluto corpore dissipatur, dum singulæ singulis corporis dissipati particulis adhæresc unt. Verum in quo Esse quoddam tam sublime, tam liberum experientia teste comperias, illud corporis veluti carceris æterni vinculis nullo jure constringis. Num animam eo magis ingenio, & virtute vigentem, quo magis in seipsam collectam, & à corpore abstractam, in frusta scin-

l. 1. de immort. an. c. 11.

ſcindendam putas, ne pulviſculis, aut Atomis abjungatur? Quæ ſibi tot, & tanta cogitando, & cupiendo propoſuit, tantillis & talibus non carebit? Animalia quidem cum haud alia quam quæ corpori conſentanea, & connexa ſint intueantur, eorum animas, quamvis ut ſentiendi vi præditas incorporeis aſcribam, tamen ut nullum Eſſe non corpori infixum, & immenſum oſtentant, ita nihil eſt quod ab eo disjunctas exiſtere poſſe ſuadeat, eo igitur diſſipato diſſilient, dum diſſoluti particulis adhæreſcunt. Namque incorporeum corpori naturæ legibus prorſus aſtrictum, illius extenſioni virtute ſua reſpondet; itaque prout diviſa, vel diſtincta fuerit corporis extenſio, incorporei pariter dividere, & diſtinguere virtutem cogimur, cum virtutem alteri addictam, neque è ſeipſa ſola ullo modo, vel tempore aptam metimur. Cui vero ſolutæ, & liberæ in ſeipſa conſiſtere liceat, eam abſque alieno termino, efficacitatis ſuæ modulo metiri licebit, ideoque alterius diviſione eam à ſeipſa disjunctam, vel in ſegmenta diſciſſam fingere neceſſe non erit. Verum animalium formas ex operatione potius quam è virtutis cum corpore commenſione dividuas multi concludunt. Fruſta quippe ſeparata quorundam quæ ſollertia ſingulari animas primariis annumerandas vendicant, eos & varietate & diuturnitate motus edunt, quos alia quibus ſenſus ex motu tribuitur, vix integris corporibus edere poſſunt. Omnium igitur animas horum exemplo dividuas judicari oportet. At ſegmentum colubri à capite divulſum motus Memoriæ indices, quibus nos alibi ſenſum evicimus, nunquam exhibet, neque admirabilitate Magneticos motus ſuperat. Forte quis facilius formas incorporeas corporis diſſolutione deſinere, quam dividi patiatur. Sed qui Mundum ita condidit, ut non tantum materiæ, verum etiam & motuum ſtabilitati conſuleret; adeone parum nobiliori parti totius ſtructuræ providit, ut ædificio bene materiato formas caducas & fluxas aſtrueret, minimamque de maximis curam gereret? Neque ſi quid aliis rebus inſperſæ agant, quid utilitatis afferant divinare non liceat; idcirco velut inutiles, & quæ conſerventur indignas damnari capite æquum fuerit. Suas quæque vices collectæ denuo ut rerum viciſſitudo retulerit, obtinebunt, neque naves mari tempeſtate vel glacie clauſo comburimus, nec pace facta arma contundimus, ſed bello futuro condimus. Atque opifex hodie inſtrumento uno contentus plurima in poſterum tempus reponit. Ubi mundus ſempiterna quiete ſteterit, quod aliquando futurum infra docebimus, tum formas quæ ſine motu neque actione ulla fungi, nec cognitione deinceps frui poterunt, è rerum natura optimo jure proſcribas, veluti ſi quis congelato in marmor Oceano navigia ſervari, & nautis ſtipendia ſolvi vetaret.

Ratio primaria cur animalium formæ dividuæ.

Ratio altera vulgaris.

n. 13.

Formæ illæ diſſolutione pereunt, non deſitione.

Dissolutarum collectione nascuntur.

§. 35. Atque ut locus hic de animalium formis explanatior evadat, animadverti velim quod neminem fugit, quanta animantium varietas in aqua, terra, plantis, animalium denique corporibus procreetur, in omnibus ferè aridis humescentibus, & humidis arescentibus animal generari notavit Aristoteles. In his igitur sparsa sunt vitæ semina, id est corpuscula quibus singulis vis incorporea, aut sentiendi facultas adhæresçit; iisque ne dispersa mox evolent materia viscosa conclusis, hacque ita constructa ut instrumentum corporum aliorum impressionibus ad sentiendi & agendi usum recipiendis apté constituat, fit compositum quoddam è natura corporea pariter & incorporea conflatū, quod ut percipiendi & agendi compos, vita præditum, seu vivum dicitur. Cæterum pars incorporea sit ne pro animalium varietate dissimilis, an dissimilitudo corporibus tantum tribuenda sit, ambigi potest. Fuit enim inter veteres lite ancipiti disceptatum, num Leoni corpus robustum animæ robori, & audaciæ conformatum fuerit; an potius anima non tam innata confidentia, quam probè compacti corporis conscientia metu careret. Namque inter homines alij animorum firmitate, alij armorum tantum fiducia fortiter agunt; atque idem etiam corpore non itidem affecto haud eodem modo, vel ad audendum projectus, vel ad timendum abjectus redditur. Idque animalibus potiore jure conveniat, quorum animæ quia corporibus magis & affines, & affixæ sunt, eorundem prout diversimodis affecta sint, contagione faciliùs possunt infici. Nihil igitur est quod disparitatem ostendat, nunc quòd paritatem evincat audies. Rudimenta fœtuum in animalium quorundam uteris promiscuo carnium omnis generis, piscium item, radicum quoque, foliorum, & fructuum esu formantur, & crescunt, dum extractis inde particulis corporeis quibus incorporeæ nectuntur, anima cum corpore simul augetur. Quare nisi animam unam partibus quasi discoloribus, ideoque forte discordibus contexere libeat; quæ partes incorporeæ quibusdam alimenti corpusculis adhæresçunt, eæ similes sunt aliis quas semen attulit, eoque magis quod & semen ipsum è pari alimentorum varietate coaluit, maximè vero quod Atomo cuique vitali sua vis incorporea agglutinata cohæreat. Atomorum autem quid discrepet alia ab alia, ut quæ eisdem annexa sunt, naturæ diversæ arguant? Nulli quippe naturalis est certa figura, magnitudo par omnibus, aut si magnitudine seu parum seu multum dispares conjectura incerta finxeris, etiam Sphæra permagna parvæ similis est, ideoque quod cuique respondet, non erit alterum alteri ita dissimile, quin rebus quæ mutuò persimiles dicuntur annumeres. Porro ut Atomorum similitudo nativa, partes animæ natura similes esse declarat; ita eorundem è figura, motu, complicatione mutua accersita disparitas, animarum affectiones, & effecta diver-

l. 5. de ge. an. c. 32.

Animalia corporibus, animæque affectionibus, non autem specifica formarum dissimilitudine distinguuntur.

diversa, argumento pari demonstrat. Quare licet animalium generatione similes in cunctis animarum propagentur Essentiæ, corpotum tamen varietate fiet, ne unquam *imbellem progenerent aquilæ columbam*. Immo minus in illis, quam in hominum genere à parentibus proles degenerat, eo quod eorum animæ arctius astrictæ corporibus. nequaquam eâ libertate fruuntur, ut phantasiâ tam vagâ, & erraticâ alienas, & abnormes tenello fœtui figuras imprimant. Unde etiam non figuræ tantum, sed & indolis similitudo major existit: eâdem enim arte nidificant, spelunças excavant, eodem aucupem, & venatorem astu ludificant, quia similibus partium similium motibus affixione majore magis inhærent.

Cur fœtus animalium minùs degenerent.

§. 36. Hinc quoque apparet quam mortiferum animæ nostræ vulnus veterum quorundam error infligat, quo eam cum corpore à parentibus propagari quasi per traducem asserebant. Nam si vitis instar per arbores plures traductæ, ejusdem animæ partes ab unâ stirpe per tot corpora in totam progeniem deriventur, erit ea corpori penitus affixa, alioqui cum semine non exiret; corporis igitur dissolutione velut animalium formæ, in particulas divulsa spargetur: neque enim aliunde formas Animalium esse dividuas, ideoque dissolubiles, quam ex affixione probavimus. Contra autem qui Brutorum animas vel individuas ponunt, vel dividuas quidem, sed generatione productas, non decerptas, aut deductas statuunt; eas etiam, adversante universæ propemodum antiquitati sententia, propagari per traducem inficiari debent. Traductio quippe nihil minùs quam rem novam productam, sed contra rem quæ priùs erat, inter plures deinceps communicatam significat. Tum rem nullam vel minimam præterquam à causa virtutis infinitæ produci, cum de Deo agemus patebit. Sed priusquam eò ventum fuerit, hoc tanquam notum & obvium eos interrogare licuerit. Nempe cur universi Conditori, die septima & deinceps vacationem tribuant? nam si accidentia sint res, ut cuique Esse quoddam à substantia distinctum è sententia vulgari conveniat, his certe una cum animantium formis & Modis innumeris in momenta singula producendis, plus operis novi Sabbato, & deinceps quotidie faciendum restabat, quam die tertiâ aquas congregando, plantasque formando perfecerat. Cessationem vero ab opere non interturbat, quam postea statuemus animarum rationalium quotidiana creatio; non modo quia paucæ sunt; verum etiam quia non ut aliæ animæ corporibus affixæ sunt; ideoque non tam propriè mundi corporei partes sunt, neque proinde eum velut ædificium imperfectum paulatim absolvere, dum eas potius ut inquilinas immittit, quam ut partes astruit, censetur Opifex omnium Deus: licet enim corporum formæ sunt, subjectis tamen corporibus non

Veteres quidam animas hominum per traducem propagabant.

Recentiores contra ne formas quidem animalium.

Haud rectè die sept. quievisse Deus dicitur è vulgari sententia.

sustentantur ; fundamento verò tota domus nititur, illius igitur membra dici non debent. At si formarum propagatione veterum, non productione novarum, animalium genera perseverent, eæque particulatim ubique dispersæ lateant, corpora omnia animata statuimus, & mundi animam tot sæculorum judicio relegatam, postliminio reducimus. Viderint qui Aristotelem per fas & nefas tueri solent, quid de anima mundi decernendum putent. Anima, ait, plena sunt omnia, tum flatibus vitam inesse docet. Ovis item fæcundis, quam subventaneis tamen negat, etiam animam assignat sentientem ; & quia alibi quod semen fæcundum efficit, non igni, sed elemento stellarum respondere asserit ; ova autem fæcunda ab infæcundis anima sentiente discriminat ; eam igitur stellis negare non potest ; quam ex iis quæ à me dicta sunt tamen laté patentem non efficies, cum eam haud alibi ne quærendam quidem suspiceris, quam ubi animalia gigni cognoverim ; ut ibi sparsa saltem semina invenirem, quibus coacervatis aut dissipatis, viventium ut reliquorum ortus, & interitus citra partium mundi ruinam reparationemque perpetuam, explicationem perfacilem & rebus ipsis haberet consentaneam. Deinde qui animam partes Universi singulas permeantem finxerunt, de pluribus accusantur, quæ mihi vitio verti non possunt. Aliam enim præter animam mundi Divinitatem negabant, quam etiam turpissima nota fædabant, tum quod in particulas discerptam, vel certè distinctam ; tum quod mundi corporei, quod informabat, impressionibus obnoxiam putarent. Hoc quoque commento Græcorum astra, Ægyptiorum cuncta colentium errorem stultissimum nutrierunt. Præterea a Philosophia longissimè aberrabant, cum omnia animata asserebant, nec tamen in omnibus vitæ vestigia demonstrabant. At plantas statuo animatas, in his etenim animalcula gigni cernimus, plantis autem superius formam substantialem abstuli. Quid ? num ista sibi pugnant invicem ? Quà plantæ sunt, qua stirpibus nixæ crescunt, frondescunt, & florent, nihil habere docui quod formæ latentis viribus tribuatur ; iisdem tamen insperse quædam corpuscula quibus vis sentiendi, ideoque incorporeum quippiam adhærescat, animalium generatio palam ostendit. Itidemque de corporibus nostris censendum : neque tamen Ascaridum aut Lumbricorum animæ, humani corporis formæ dicendæ sunt, earum etenim sensiones non reddunt hominem sentientem. Immo cum sibi quisque sit conscius, eundem se esse qui intelligat, & qui sentiat ; haud alia se anima sentire, alia intelligere deprehendit, quamvis rationi sensus persæpè repugnet ; neque enim rem eandem ab aliis aliorsum inclinari quicquam vetat.

Anima mundi rejicitur.

de gen. an. l. 3. c. 11. l. 4. c. 10. l. 2. c. 4. l. 2. c. 3.

Una hominis anima.

§. 37. Sed

§. 37. Sed jam redeo ad id quod hoc loco præcipué exponendum fuit, ut Esse quoddam animæ nostræ à corporis interitu immune, & liberum demonstrarem. Eoque potiri tunc clarè patuit, cum ad ea quæ à corpore non modo aliena, sed eidem etiam adversa sunt ferri solet. Hoc etenim Esse, quare corpore sublato tabescat, ac non potius efflorescat amplius, & vigeat omnia rimando nihil invenimus. Id quò evidentius cernas, exemplum accipe. Finge cum Platonicis animas antequam subirent corpora separatas existere, in eaque miris amoribus exardescere, vel cum Anchise te sistе *Lethæi ad fluminis undam*, & *Animas quibus altera fato corpora debentur* dira lucis cupidini teneri, *iterumque ad tarda reverti corpora* summopere gestere cogita; harum cupiditatem si coram aspiceres, nonne ex eâ argumento firmo conficeres, illis Esse quoddam suppetere, quod corpori conjunctum non periret? pari igitur ratione putandum animam nostram sejunctam à corpore posse subsistere, quam nunc corpori conjunctam eorum quæ à corpore aliena sunt, eique contraria sunt, studium inflammatum, atque aviditas summa teneat. Quibus etiam rebus adeò exoptatis intelligendo, & volendo nisi aliquo modo frui posset à corpore separata, non modo frustra ab eo disjuncta persisteret, verum etiam dum ei conjuncta permanet, tam frequentes, ac vehementes ad ea consequenda impetus non haberet. Quocirca separatæ intellectionem, & volitionem largiri cogeris etiam antea quàm quo iis pacto potiatur intelligas. Verum ut anima absque corpore non modo quo jure, sed qua vi, & via, nosse, & velle possit appareat; altiùs arcessenda est contemplatio, ut immoralitatis origo ultima, atque ima pateant fundamenta; quibus dum detegendis incumbimus, etiam alia quædam minimè contemnenda proferemus in lucem.

Reditur ad Esse quoddam animæ independens à corpore.

Virg. Æn. 6.

§. 38. Atque illud imprimis hoc loco recolendum est quod alibi ostensum est; Nullam rei cujuspiam vel modificationem, seu proprietatem accidentariam, quoad eam alia adversa propellat, unquam extrudi. Quo fit ut informationem, vel, ut ita dicam, impressionem quam anima sentiendo, intelligendo, aut volendo obtinet, eam ipsam, quamdiu contrariam non patitur, semper retineat, plurimasque proinde nunquam amittat. Quod nos è principio notissimo juxta & antiquissimo consecutione manifesta deducimus, id etiam Augustino viro subtilissimo pridem in mentem venerat. *Plurium*, ait, *disciplinarum peritus, quando unam cogitat, aliam, vel alias, etiamsi non cogitet, novit tamen.* Postea vero. *Recte ab eo qui commemorat, ei cui commemoratur dicitur, scis hoc, sed scire te nescis, commemorabo, & invenies te scientem quod te nescire putaveras*: ibidem etiam aliis verbis idem inculcat. *Esse in nobis*, inquit, *in abdito mentis quarundam rerum quasdam*

Fundamentum immortalitatis animæ in permantione actuum.

l. 14. de Trin. c. 7.

dam notitias, & tunc quodammodo procedere in medium, atque in conſpectu mentis velut apertiùs conſtitui quando cogitantur, tunc enim ſeipſa mens & meminiſſe, & intelligere, & amare invenit. Cæterum longe diverſa eſt Recentium Philoſophorum ſententia, qui ipſum animæ Modum quo ſciens, aut volens redditur, mox evaneſcere; aliumque ab eo productum ſubſtitui arbitrantur, quem priori planè diſſimilem comminiſcuntur; quippe qui non ſcientem, aut volentem, ſed tantum ad ſciendum & volendum paratiorem efficiat, Hunc appellant Habitum, & actuum futurorum veluti ſemen arcanum in animâ reſidere ſentiunt. Parum autem præſenſiſſe videntur incommodo, in quæ illam corpore ſpoliatam conjiciant; quæ cum actum nullum, ſed habitus ſolum inertes & languidos ſecum aſportet; nihil autem niſi ut eſt in actu poſſit agere, quod axioma eſt & per ſe notum, & à D. Thomâ ex Ariſtotele centies inculcatum; eò fit ut anima ſtupore defixa torpeat, neque ſe ad corporea, aut incorporea convertere queat, neque ullo modo commovere, quo veternum excutiat, habituſque ſopitos ad agendum ſuſcitet: Sed ut in fabula male concinnata Poëtæ faciunt inficeti, Deum è Machinâ qui nodum ſolvat cogentùr arceſſere. Nempe ut animam licet actuoſam, omni tamen agendi principio deſtitutam, ad agendum ipſe impreſſione novâ ſtimulet. Quanquam animæ noſtræ prius eſſe cognitam naturam oportuit, quam de ope Dei ſubſidiaria, quæ multis eſt implicata difficultatibus, decernatur. Namque animæ ſuæ quiſque ut ſibi proximæ præ cæteris rebus omnibus ſummè, & intimè conſcius eſt. Sed condonandum hoc iis, qui non viâ quâdam, & ordine ſcientiam inquirunt, ſed quò diſputandi fert impetus quæſtionibus implicandis, & multiplicandis incumbunt. Illud autem neutiquam diſſimulandum, quod ſine Sapientiæ gubernatricis contumelia dici non poteſt. Qui aſtrorum curſum continuatum eſſe voluit, ut nunquam ceſſet, neque impulſione novâ egeat; is animarum actionem, & veluti motionem interrumpi ſinit, converſioniſque perpetuæ quaſi rotam ſufflaminat, dum ſubſtantiam actuoſam inertia ſtupefactam, ſeque incitandi, atque illatenus agendi viribus nudatam eſſe patitur. Hoccine eſt ordinatè res ſingulas adminiſtrare, & cuique pro nativæ dignitatis merito providere? Res mobilis & merè paſſiva motu, quem patiatur, nunquam careat; res autem agendi & intelligendi vi potens, & nobilis, eo redigatur ignaviæ, & ignominiæ, adeo omnium ignara, & impotens ſuique impos evadat, ut ne ſcintillam quidem minimam in ſeipsâ contineat, vel è ſemet eliciat, quâ efficientiæ ullius, aut intelligentiæ fomitem extinctum poſſit accendere? Atque ea ſane eſt animæ à corpore divulſa, atque habitibus ſolis inſtructæ conditio. Quid? quod efficientia ignota, & effecta pariter igno-

Cui vulgares habitus haud leviter obſunt, iidemque à ratione diſſentiunt.

Deus è Machina.

ignota finguntur? E contemplatione boni appetitionem effluere, atque è voluntatis imperio consequi motum corporis, nemini obscurum esse potest: quod autem qualitates nescio quæ cognitionum & volitionum effecta sint, aliarumque similium effectrices, id quidem de rebus incertis & incognitis augurando, non autem de iis quæ possint intelligi Philosophando pronuncies. Quo magis demiror quæ mentis cæcitas transversos egerit Dialecticos, ut obvia cunctisque conspicua prætergressi, in res ignotas & semotas offenderent. Nonne ipsimet actus, qui dum contrarii non irruunt, illæsi & integri perseverant, quod à peregrinis habitibus postulatur, id omne, eoque amplius cumulatè præstiterint?

§. 39. Ergo Geometra, inquies, somno, aut veterno correptus, videndo, & intelligendo figuras contemplatur? quippe cui nulla posterior se visio seu demonstratio contraria priores expunxerit; nam visione, & intellectione manentibus, intelligere, & videre non desinit. Cæterùm de visione jam constitit, partem ejus quæ corpusculorum motibus continetur, eorundem vel quiete, vel adverso motu restinctam; pars autem altera quæ in modificatione quadam animæ, seu informatione consistit, ea nimirum sola non reddit videntem; aliquo tamen modo cognoscentem reddit, quia facultatis cognoscentis neque à corpore necessario pendentis Modus est; sed qualis sit ista cognitio quam pars residua visionis constituit, investigandum supereſt. Videndes arborem, luce subducta pars visionis corporeo motu contenta interit; ideoque designatio arboris ut in certo loco sitæ quæ motus directionem flagitat evanescit. Quid porro restat? Nempe directio quædam mentis ad arborem à loco distractam, ac veluti in medio suspensam remanet, quam quidem directionem cognitionis cujusdam universalis rudimentum appelles. Neque enim ad corpus ut singulare dirigit, quod sine situ quodam, & positione, sigillatim, & discriminatim à reliquis designari non potest, cum cujusque termino quo singulare quodque dignoscitur, ab aliis circumpositis ambiatur. Neque etiam Modus ille quem anima arboris unius objectu concepit, ad quamlibet oblatam indifferenter dirigit, ac proinde vim totam cognitionis universalis haud obtinet. Cæterum multiplicatæ multarum arborum impressiones ita mentem afficiunt, ut quamlibet objectam prioribus, ut ita dicam, annumeret, ac veluti rem prius notam agnoscat, atque ad eandem, ei usui quem arbores præbere soleant, applicandam, dirigunt, amplius his verbis: Hæc est arbor, significatum velis. Ac si diceres. Hæc quoque est arbor: Hæc arborum una est, hanc in arborum ante visarum numerum, & tribum ascribo. Quo compendio longos & obscuros universalium à singularibus abstractionum anfractus evadimus.

Sentionis partem in Modificatione quadam animæ sitam esse.

Plures ejusmodi notitiam universalem constituunt, non efficiunt.

Hæc enim animæ conformatio, hic modus ſe habendi è multiplici à rebus ſimilibus impreſſione conflatus, nihil alienum, ignotum, aut incertum continet; nihil etiam in eo quod ad cognitionem univerſalem attinet, omnia quæ explorata ſunt perluſtrando deſideres. Nullum hic obſcurum & inexplicabile intellectionis arcanæ, ex imaginationum fæcibus eliquatæ, commentum. Univerſales igitur corporum notiones, incorporeorum vero univerſales pariter, & ſingulares anima, niſi forte contrariis erroribus depravata, etiam in ſomno, & lethargo, & ſemper retinet; quippe quæ in anima totæ ſint ſitæ, neque motionem ullam corporis complectantur, neque proinde ad organum corporeum ut ſenſiones attinent (quod ab Ariſtotele quidem notatum, ſed neque ab illo, neque ab illius interpretibus explicatum eſt): Hæc omni ſcis tempore, tametſi ſcire te neſcias, ut Auguſtinus loquitur, cum horum ſcientiam quam nactus es olim, nunquam amittas. Eademque ſcientia verè, & propriè Actualis dicitur, quia eadem ipſa eſt quæ olim actu fuerat, non autem illius ſemen, aut ſedimentum, aut ſoboles, ſeu quocunque nomine habitum illum non tam ab actibus relictum, quam ab Authoribus confictum appelles. Neque ſcientiam hanc argumentatione firmiſſima ſtabilitam, quod animadverſionem effugiat, idcirco ex animis evellere æquum fuerit. Plurimæ quippe intellectiones, & volitiones, & vero etiam nonnullæ imaginationes, ex omnium ſententia clam nobis & alia cogitantibus oriuntur. Eaque eſt animæ corpori inquieto, moleſto, miniméque morigero mancipatæ conditio, ut continuis illius motibus agitata, ſeu ſenſionibus quæ motum continent diſtenta penitus, atque diſtracta, tantiſper in ſeipſa conſiſtere nequeat, ut quas intra reconditas poſſidet intellectiones puras, volitioneſque reſpiciat, nedum iis excolendis & amplificandis intendat: ſed cum alio commemorante, ſeu aliter aliis motibus imaginatio, quam cogitationem nuncupat Auguſtinus, rerum cognitarum naſcitur, tum demum mens vaga in ſemet rediens, atque reflexa, & *meminiſſe*, *& intelligere*, *& amare invenit*; tum notitiæ non redivivæ prodeunt, ſed repoſitæ pateſcunt, & quodammodo *procedunt in medium*, & in *conſpectu mentis* pauliſper attentæ *conſtituuntur*. Quæ quidem attentio quamdiu imaginatione aliqua, aut ſenſione alia firmata, & fixa perſiſtit, tamdiu mens notitias quas habet inter ſe comparando, & commiſcendo, iiſdem poliendis, & novarum partu multiplici propagandis, vel ad uſum particularem applicandis incumbit. Ante quidem habuit, ſive actu, ut dici ſolet, & reipſa poſſedit, nunc vero etiam poſſeſſis utitur; unde ſcientiam actualem duplicem, alteram in habitu, alteram in uſu diſtinguas, prout in Concilio Viennenſi virtutes à Patribus diſtinguuntur. Prior intellectiones puras, ſeu modos ipſius animæ à pluribus viſis im-

Clem. un. de ſum. Trin.

impressos continet; posterior his sensionem novam adjungit, id est motionem quandam corporis, ab eaque novum animæ *Modum* insculptum, quibus universalis illa animæ directio ad particulare quippiam attenta, & applicata redditur.

§. 40. Verum quod ad nostrum hoc institutum maximè pertinet: Animam corpore solutam, neque incursantium motuum strepitu, & tumultu distractam nihil impediet, quin defixo in semet obtutu arcanæ revolvat, ordinet, augeatque scientiæ supellectilem. Quoniam verò è Geometriæ perpaucis, & in medio positis, in immensum diffusæ fæcunditate liquet, quantus è minimis scientiæ cumulus congeri queat; nullaque existat anima quæ corpori aliquando copulata non fuerit, & aliquas patiendo & agendo perceptiones adepta, ex iis copiosam quælibet messem colliget: Inprimis sui ipsius, & corporis notionem quæque possidet; tum aliquibus saltem corporis impressionibus, notitias nonnullas accumulat, nihil autem cuiquam notius esse potest quam ipsa qua se, vel alia noscat facultas, & notio. *Neque enim*, ut Augustini verbis utar, *ut oculis corporis videt alios, se non videt, ita mens novit alias mentes & semetipsam ignorat.* Et alibi, fratrem diligens *magis novit dilectionem qua diligit, quam fratrem quem diligit.* Rursus, *sensus corporis est passio corporis per seipsam non latens animam.* Nos quoque animæ nostræ, & animalia constitutionis suæ sensum habere, simili ratione suadet Seneca. *Necesse est enim*, inquit, *id sentiant, per quod alia quæque sentiant.* Quæ actibus ipsis quam animæ potiore jure conveniunt. Quocirca cognitionum, & volitionum inde nascentium mens probè conscia, motumque corporeum sensionis ipsius partem sentiens, moribusque consentaneis delectationem, contrariisque dolorem experta, haud modico notionum apparatu è corpore migrat instructa, quem secum habitans, sibique vacans otiosè conferat, atque componat. Hisque fundamentis scientiæ corporis, & spiritus; substantiæ, & accidentis; causæ, & effectus; boni, malique, aliorumque similium quantam molem architectando construat, proclive fuerit judicare: non enim torpidis feriatur habitibus, & inertibus languet instrumentis agendi, sed cognitione & volitione actuali viget, iisque in actu, ut loquuntur, constituta, porro agit, vimque actuosam qua liberi arbitrii jure potitur, ipsa suscitat. *Liberum enim est* D. Thoma teste, atque intima cujusque de seipso attestante notitia, *quod sui causa est, quod ergo non est sibi causa agendi, non est liberum in agendo.* Alibi vero, Homo *in quantum est volens, est principium ex seipso.* Augustinus etiam, *Anima*, inquit, *seipsam movet libera voluntate ad caduca.* Cumque causam materialem ab efficiente distinguat Aristoteles, ut idem à seipso agente pati non debeat; voluntatem, Doctor Ange-

Anima separata notitiam partam servat, & auget.

Trin. l. 9. c. 3.

l. 8. c. 8. de immort. a c. 25.

Epist. 121.

Potestas arbitrii lib. est alterum immortalitatis fundamentum.

Contra Gent. c. 44 n. 2.

2. 2. q. 59. 2. 3. cap. de lib. arb. l. 1. c. 3.

Angelicus, quam seipsam movere docet excipiendam è regula communi monet. Quæque à Græcis proinde αὐτοκίνητος, & αὐτοκρατὴς epithetis ab experientia, & intelligentia communi derivatis, dicitur. Quod si nunc oppressa, & vincta se commovet, quanto tunc expedita potentius vires exeret? Habet igitur ex ipsis actibus residuis, atque ab actuosa voluntatis liberæ potestate, unde operatione, & functione non careat; ea vero demonstrata nil amplius Aristoteles aut Philosophorum quispiam de immortalitate quærendum esse censuit. Neque enim ei cum corpore mori necesse fuerit, cui sine corpore, vitæ muneribus, intelligendo & volendo, fungi licuerit. Quam vero felicitatem, aut miseriam Deo Remuneratore, aut ultore moribus sortiatur, alterius loci quæstio est. Satis etiam constat, quod copiosiùs quàm nervosiùs à multis expositum, quàm rationi consentaneum sit, immo quantis potiùs clamoribus recta Ratio justitiæ & æquitatis appetens, atque iniquitatis impatiens poscat, ac flagitet, ne injuriæ semper inultæ, virtutes ingloriæ relinquantur; ideoque alium animæ statum, qui quod in præsenti ut plurimum irrito conatu requirimus, largiatur, negari non posse; nisi quis Rationem sanam & rectam inania captando, ab insana, & depravata stultitia non distinguat. Nam quæ magis insignita fatuitas, quam rebus vanissimis, quas neque natura, aut numen tribuat, votis ardentissimis inhiare? Sed argumentum nec futile, atque ad populi captum perutile haud mediocriter infirmant, qui res quasdam, in quibus species memorativas numerant, sine vi adversa, sed nativa tantum debilitate deficere arbitrantur. Quo concesso, quid causæ afferant, quin animam, licet corpori superstitem tandem aliquando innata tabes exedat, atque consumat. Ætatis enim unius calamitatem immeritam, centum sæculorum cumulata felicitas abundè compenset. Sed neque animam corpori supereſſe argumentis è Philosophia vulgari haustis evincas. Operationem ex ipsius animæ virtute promat oporteat, qui rationibus, ut par est, Metaphysicis, non conjecturis ethicis, vitam illius à corporis occasu tutam servare velit. Sed quomodo obsecro? Cum ipsius etiam liberi vires arbitrii præmotione aliena, non autem motione propria plerique sentiant excitandas; habitus autem solos anima, non actus omnium consensu secum asportet, habituum autem somniculosam indolem per se expergisci nemo putaverit; neque à subjecto pari sopore correpto, quippe quod in potentia solùm, non autem actu sit, expergefieri quispiam finxerit.

Argumentum morale quo status animæ separatæ probatur.

Sed non æternus è principiis communibus.

Immo vix ullus.

n. 38. §. 41. Deum, ut dixi, è Machina pro more producent, qui sopitam virtutem stimulet, atque ad opus accingat. Extinctam potius, & mortuam quam sopitam vocasses. Mors etenim, non somnus est, ubi

ubi motus, aut actus nullus est. Quid Aristoteli Magistro respondeas, qui *Vivere viventium esse* nuncupat? Animam igitur omni actu privatam non modò non vivere, sed ne quidem existere ex illius sententia sequitur. Quare longius illum quam discipulos prospexisse arbitror, cum Actum aliquem in anima separata diligenter inquiri voluit, sine quo non tam inutilem esse, quam nec esse omnino monuit. Certè si quis rei incorporeæ naturam penitiùs inspexerit, & indicia quibus eandem investigando detexerit, quasi relegendo vestigia recognoverit, nusquam eam nisi agentem aliquid, veluti corpus aliquod moventem, vel cognitione saltem aliqua & appetitione vigentem reperiet, neque enim sine his actibus, vel suæ quisque animæ conscius esse queat: neque si puram agendi aut cognoscendi potentiam actus omnis vacuam, quam reipsa nusquam invenerit, mente formaverit, haud aliam quam meri torporis, & stuporis effigiem informem & indecoram expresserit; neque eam sic existere posse argumento ullo probaverit, præterquam quo extensum perinde terminatione quacunque nudare liceat; nempe quod ut hoc à termino, ita illud ab actu cogitando possit abstrahi; nec denique probabile quicquam fingi poterit, cur potius incorporeum actuosum actu omni, qui ad agendum excitet, spoliatum existat, quam corpus passivum extremitate nulla, quâ passionem recipiat, terminatum. Quare qui animam actus omnis inopem habitibus solis instruit, is eam à Deo non tam otiosam ad opus excitari, quam mortuam ad vitam revocari docet, neque eam immortalem semperque viventem, sed à morte statuit redivivam. Ecquis enim animam sine vita esse, aut sine actu vivere posse cogitet, nisi qui esse incorporeum, atque corporeum, actuosum, & iners, quantum inter se differant, cogitando nunquam comprehenderit? Aut si vitam quandam radicalem, & potentialem absque actu ullo confinxerit, ut animam ab interitu vendicet; à morte certe non eximit, quam omnes in vitæ actualis privatione constituunt: Mortuum enim quis neget esse quod actu vivere desiit. Et mors quidem animæ sine actu magis proprièe, quam corpori, corde, seu potius sanguine immoto convenit. Nam quod per actum magis propriè vivit, id etiam per actus privationem proprietate majore mori dicitur. Adeo autem in cognoscendi & appetendi aut volendi actibus vita consistit, ut analogia tantum atque imperfecta quidem & impropria inde traducta motibus corporeis tribuatur. Satis igitur apparet quam infirmo præsidio Philosophorum turba immortalitatem animæ tueatur. Sed opinionum vanitas rei compertæ veritatem haud lædit. Multa enim sunt certissima, atque clarissima, quibus hæc Philosophiæ norma non quadrat, id quod passim in hoc opere observandum proponimus.

Aut certe non erit status viventis sed redivivæ post mortem.

Idem etiam meminiſſe juverit, cum ad ea quæ de Exiſtentia Numinis dicentur, perveneris. Quo ex loco quæ ad Atheorum amentiam & immanitatem compeſcendam adducimus, eorum pleraque ad Animarum Parricidas haud minus fatuos, ac furioſos revincendos huc etiam transferri oportere perſpicies. Divinitatis enim ibidem, atque una animarum immortalitatis perſuaſio, quod omnium ſummoperè intereſt, id omnium animis, argumentis ad captum communem fabrefactis imprimitur. Nam quod ad Philoſophos attinet, cum animam primo Natura, deinde operatione abſtractam à corpore viderint, idque utriuſque contemplatione à prima primorum principiorum origine derivata, non autem rationum Topicarum cumulo temerè congeſto, probatum animadverterint; nihil utique reſtabit quod ultra requirant, neque ut omnia ſcrutentur, amplius aliquid quod ad rem magnopere ſpectet invenient. Ad hanc etenim ſummam revocanda ſunt omnia, quæ multi in magnum argumentorum numerum, ad oſtentationem magis, quam perſuaſionem dividunt, & rationum ſingularum diſſectione minutà, ratiocinationis univerſæ nervos incidunt. Eſt qui bina rationum capita, in duas ſupra viginti diſſipat, atque diſpergit, earumque non aciem, ſed pompam inſtruit. Alii promiſcua è Rhetoricis, & Philoſophicis colluvie lectori potius nauſeam parere, quam fidem facere moliuntur. Sed his omiſſis, quod ad noſtra firmanda ſupereſt adjungendum, perficiamus.

Dubitationibus occurritur

§. 42. Diximus ſuperius multiplicatis rerum ſimilium ſenſionibus, eos animæ characteres abſque contrario neutiquam delendos imprimi, quibus ſolis univerſalis rerum cognitio contineretur, quam cum anima etiam corpore egreſſa non amittat, ei nullo unquam tempore defuturum tanquam pabulum quoddam ſtudii, atque ſcientiæ. Hinc forte quiſpiam ſuſpicetur, cognitiones quoque univerſales Brutis ſuppetere, quibus itidem in altero ſtatu fruantur. Nam & ipſorum animæ incorporeæ frequenti corporum ſimilium objectu iteratas & ſimiles impreſſiones, ſimiliterque ſine contrariis nequaquam obliterandas accipiunt. Verum *Quicquid recipitur per modum recipientis recipi*, prout receptum Axioma fert, intelligendum eſt. Quod itaque uni corpori ſingulari omnimodis affixum eſt, ab eo nulla prorſus impreſſio recipi poteſt, quæ per ſe, vel cum aliis ad aliquid à ſingularibus abſtractum dirigat, formarum autem animalium cum particulæ, ſeu potius facultatulæ ſingulæ, ſingulos naturæ corporeæ Atomos, cuique ſigillatim aptos & habiles cognitione & appetitione naturali, & inſeparabili, ideoque ſubſtantiali, velut inſtrumenta neceſſaria apprehenſa ſibi copulent atque conjungant; iiſque nexu præterea indiſſolubili adhæreſcant, quæ facillime è ſupradictis colligi poſſunt, & facultatulæ cujuſque

Cognitio nulla Animalis formæ ſeparatæ congruit.

que virtus, Atomorum ſingularum extenſioni reſpondeat, id quod etiam ſuperius eſt ſpeciatim expoſitum, fieri non poteſt, quin formarum illarum indoles, & vis univerſa penitus ad ſingularitatem adeo abjecta, & detruſa noſcatur, ut nullis eam quotcunque cognitionum gradibus ad univerſalitatis faſtigium evectam liceat cogitare. Quid ergo faciunt, inquies, repetitæ ſimilium ſenſiones? Nempe formæ per illas præparatæ, & ſubactæ; ſingulorum perceptio facilior, & firmior, & familiarior evadit. Nunquam autem facultatem à ſingularibus avulſam, atque à ſeipſa ſuſpenſam avocant, ut circa univerſalia è corporis, quod particularibus aſtrictam retinet, expedita laqueis ſurſum volitet. Nam niſi motu corporis qui ſingularia deſignat ad percipiendum perpetuo uteretur, bonum aliquod abſtractum noſceret, & notum appeteret; cujus appetitionis, animalia indicium nullum produnt, quæ ſingularibus quærendis intenta, quæſitiſque contenta cernimus. Sed alteri quoque dubitationi occurrendum eſt. Si poſt egreſſum è corpore viget anima, cur non & ante ingreſſum vivere potuiſſet? Pari ratione dubites cur avis implumis, aut eruca, nec dum in papilionem verſa non volet? Nam priuſquam anima corpus ſubiret, quam poſtea nactus eſt ſcientia caruit. Si eam extra productæ Opifex infudiſſet, vixiſſet utique, & viguiſſet. Sed omnium noſtrum & ignorantia, & diſcendi tarditas, corporiſque ad ſciendas capeſcendas apti neceſſitas, ſatis ſuperque indicant ſcientiæ noſtræ primordia à primo in corpus introitu arceſſenda. Cognitionis anterioris veſtigia nulla cernuntur. Nihil etenim ne quidem de incorporeis mente complectimur, quod non è corporum, aut mentis ipſius cognitione, eaque non liquida, ſed aliqualiter à corpore inquinata promanet. Ea etenim vel ut corporis, motuſve corporei cauſas; vel ut non corporea, ſed excellentiore natura prædita, iiſque diſſimilia; menti vero alia ſuperiori, alia inferiori gradu ſimilia comprehendimus. Ipſam quoque cauſæ notionem è volitionis, & motionis, quam in nobis ipſi ſentimus, effectione deducimus. Longè vero diverſas ſeorſim à corpore notiones hauſiſſet, quas quidem omnes haud ita undæ lethææ pocula, id eſt corporis humores oblivioſi penitus extinxiſſent, quin ſcintilla ſaltem aliqua tantis excitata laboribus emicaret. Quocirca animæ noſtræ tam rudem eſſe indolem fateri cogimur, ut in corporis gymnaſio exercitatione, & uſu doceri debeat, ideoque corpore formato, non antea productum agnoſcimus. Neque tamen propterea quam illius uſu notitiam rerum accepit, eâdem ſeparatim uti negandum eſt, membris enim quæ per vaſa umbilicalia accepta ſunt, umbilico reſecto utimur. Ovique putamine, & nido carere volucris volando poteſt, naſcendo non poteſt.

Humanæ vero poſt egreſſum è corpore convenit, ante ingreſſum non convenit.

§. 43. Atque ut ad rem exemplo viciniore propiùs accedam. Finge tibi animo

Exemplo declaratur.

animo ſpeciem artis Muſicæ: non plectra, non digitos, ſed Artem cogita, eamque adeo tardam, & hebetem, ut niſi Lyram inhabitet, ejuſque chordas partim à ſe, partim aliena vi motas audiat, nihil addiſcat, ea tamen experientia paulatim in excultam perfectamque ſcientiam adoleſcat: fracta demum Lyra, parte quidem quam Practicam appellant uti non poterit, Theorica vero frui nil vetat. immo nervorum haud amplius obſtrepente tumultu, Theoricæ deguſtandæ, & vero etiam perpoliendæ vacabit quietiùs, & attentiore diligentia operam dabit. Quod quidem exemplum non modo rei hoc loco propoſitæ, ſed & aliis alibi tractatis lucem affundit. Fac artem hanc ſibi Lyram tanquam tarditatis ſubſidium cognitione & appetitione naturali junxiſſe; nonne rupto nervo, inſtrumentum tam neceſſarium minus utile factum doleret? quare cum ſimilem huic, animæ cum corpore unionem ſtatuerim, nonne ex ipſius, ut patet, unionis notione conſequitur, id quod unionis maxime proprium eſſe conceditur, ut forma non aſſiſtens, ſed informans corporis ſui incommodis dolorem capiat? *qui nihil aliud eſt*, teſte Auguſtino, *niſi quidem ſenſus diviſionis & corruptionis impatiens*, nempe ex inſtrumenti tam utilis damno prognatus. Hoc loco ſileat neceſſe eſt qui unionem ab omni cognitionis, & appetitionis genere alienam finxerit. Nullam enim proprietatis intimæ rationem ex unionis ipſius natura deducet. Præterea qui animam per corpus unione, aut ubicatione, aut utraque diffundunt, nonne ſibi corporis cujuſdam ſubtilis membra ſingula permeantis ſpeciem effingunt, quod pedibus, manibuſque infuſum ea quodam impetu, & impulſu præſens impellat, eorumque impreſſiones quaſi gremio receptas ſentiat foveatque? Ut omnia tentent, imaginationis hujus turbidæ ſedimentum nulla unquam ſollertia expurgabunt, neque defæcatam penitus, liquidoque diſcrimine diſtinctam à corpore, notionem ſpiritus efformabunt.

Eodemque unionis proprietas præcipua explicatur

de lib. arb. l. 3. c. 23.

Non tâmen è ſententia vulgari

Quæ craſſas de incorporeis notiones parit.

§. 44. Age nunc, attolle mentem, atque à corpore ereptam, ſibique redditam, atque intellectionis puræ & Metaphyſicæ culmine conſtitutam, ne ad inferiora mox cogitando labatur, pauliſper ſuſtine. Quid lex? quid ars? quid ſcientia? Noli quærere, quibus iſta verbis enuncies. Neque iiſdem etiam aliter quærendo nimis inhæreas. Recte enim in re ſimili Auguſtinus, ſi quis alius ad Metaphyſica natus, monet. *Noli quærere quid ſit Veritas, ſtatim enim ſe opponent caligines imaginum corporalium, & nubila phantaſmatum, & perturbabunt ſerenitatem quæ primo ictu diluxit tibi cum dicerem* VERITAS. Quid tibi primo ictu, mora illa breviſſima, antequam imaginationes obſcuræ intellectionis puræ radium infuſcarent, quid tibi eo lucido intervallo ſtrictim affulſit, cum Lex, Ars, Scientia dicerem?

Via ad intellectiones puras, & Metaphyſicas dignoſcendas panditur.

l. 7. de Trin. c. 1.

cerem? Certe nihil extensionis, expansionis, diffusionis occurrebat. Igitur Arte Fidicinem, Lege Magistratum fingito animatum, iis, inquam, ut purâ mente conceptis, & nondum phantasiæ ludibrio deformatis. Tum enimverò haud aliam præsentiam, aliamve potentiam, aut movendi virtutem, quam quæ directione, inclinatione, imperio contineatur intelliges. Unionis autem vel ubicationis animam corporis infundentis, immergentis, agglutinantis, & quodammodo commensurantis, potentiæque motricis, contactu quodam præsentiæ impellentis, imagines ut deformes, & deridiculas planè despicies. Paulatim addisces vim imperii ab impetu, & impulsione distinguere, intellectionemque ad directionem potius quam repræsentationem aut effigiem revocare, latumque inter præsentiam spiritualem, ubicationemque localem discrimen ponere. Quis corporis, incorporeique responsus, quod hujus in illud dominium, quonam actus potentiæ, vis motiva mobili, anima corpori præcellat, idemque respiciat, & gubernet intelliget. Atque his Metaphysicæ, seu de incorporeo scientiæ rudimentis imbutus, ab anima motrice ad potentiam creatricem paulatim ascendes. Nam si debilis & imperfectæ voluntatis imperium, motionem seu mutationem rerum efficiat; alterius voluntatis præpotentis, & infinitæ mandato res ipsas emergere, sive ex nihilo fieri posse censebis. Et creationem ipsam jussionis vocabulo selecto & meditato scies expressam. *Ipse dixit, & facta sunt, ipse mandavit, & creata sunt.*

§. 45. Atque hæc quidem identidem inculcare necesse habeo; ut scientiæ illius, cui seu extruendæ, seu restaurandæ præcipuam curam impendo, fundamenta, vel firmamenta maxima Lectoris animo altè defigam. Quem ex hoc loco moneo ut relictis Metaphysicis ad alia se conferat, si usque adeo Phantasmatis obruatur, ut veritatis, legis, imperii, directionis, & inclinationis, vis, virtutis, & artis notiones subitaneo ictu radiantes à repræsentationum, & imaginum circumfusarum nebulis distinguere nequeat. Aliis enim male temperati corporis constitutio, aliis addicta rebus corporeis cogitatio, atque cupiditas, aliis disciplina prava ad corporum non Analogiam, sed similitudinem cuncta referens, ita spectris corporeis mentem infestat, ut tenuem subtilis & puri splendoris flammulam tot circumvolitantibus umbris stupefacti non videant. Unde & olim & nunc quidam substantiam à corpore non distinguunt, & Deum si quis sit, de eo enim hoc non hominum sed pecudum genus ambigit, corporeum statuunt, atque intellectionum omnium varietatem, corpusculorum motibus complectuntur. Hos potius armentis pascendis, quam argumentis tractandis addixeris. Nihil enim illis obtusius excogitari potest. Quibus alii licet inviti contra se arma suppeditant, qui cum incorporea à corporibus discriminata velint, ita tamen

Quas multi non capiunt, & quare.

intellectionis cum intellectu compositione, ubicationum expansione, atque unionum agglutinatione, corporibus incorporea permiscent, ut paucas parumque conspicuas discriminis notas relinquant; eoque magis utraque confunduntur, quod & agendi fæcunditas, atque in corpora penetrandi, sensumque fugiendi subtilitas non accidentibus tantum, sed substantiis etiam corporeis tribuantur; quibus datis, cur intelligendi non addant facultatem, haud facile rationem reddent idoneam. Qui quidem si Augustini monitis obtemperarent, & veritatis, intellectionis, atque similium notionem quamque ubi proxime diluxerit, & nativa luce fulserit intuerentur, dilucidas de rebus incorporeis notitias paulatim colligerent, mentesque ad Metaphysica contemplanda disponerent. Sed plurimos, ut dixi, seu constitutione corporum, seu morum, aut disciplinæ consuetudine tam repentina, & densa phantasmatum caligo opprimit, & occæcat, ut intellectionis puræ lucem, eo quod attentionem, & animadversionem aliorsum ab alienis phantasmatis avocatam, ideoque & reminiscentiam effugiat, vel negent videri, vel distincte nequeant internoscere; quo solo lumine cum res incorporeæ fiant conspicuæ, eas alii prorsus de medio tollunt, alii turpiter deformatas in medium proferunt. Atque hos etiam de subtilitate Metaphysica gloriari non pudet, tametsi quod ad illam vel unice, vel certe præcipue spectare cognoscitur, de eo tam imperite, ut modo vidimus, & infulse differant. Illos & topor ingenii, & morum turpitudo, sensibus instar pecudum saginandis immersos ad incorporea nunquam contemplanda, vel degustanda leviter finit emergere. Quos cæno volutatos relinquimus, atque ad alios sermonem convertimus, ut iis dubitationem quandam adhuc forte residuam evellamus.

Non omnes cognitiones & volitiones fiunt ab anima.

§. 46. Sæpius iterare dicendo visum est, quod probè cognitum, penitusque perspectum esse voluimus: Animam non otiosis habitibus, sed actuali semper scientia munitam esse; ut actuosa substantia in actu existens apparatu proprio ad agendum, ut par est, instructa permaneat; id vero tum maxime requirendum, cum egressa corpore motionum stimulis segnes, & jacentes habitus excitari non possint. Unde cum cognitionem omnem, & volitionem actum appellem, iisque rem actuosam agendi potentem reipsa, & actu fieri dicam; suspicari quis posset, eas actione semper animæ productas, à me quoque, ut à reliquis passim hoc tempore existimari. Sed vana est suspicio. Namque apud me res ipsa diligenter inspecta, & sermoni communi, & sententiæ nunc communiter receptæ præponderat. Nunc inquam, quia olim alia placuerunt. Audi Aristotelem. *Sentire est quoddam pati*, inferiùs autem, Actum coloris in visu receptum visionem appellat. Alibi vero Intelligere etiam in quodam Pati constituit. Augustinus autem

2. de anima. t. 118. t. 138. l. 3. de anima. t. 52.

sæpius

sæpius speciem ipsam sensionem vocat. Audi D. Thomam. *In parte nutritiva omnes potentiæ sunt activæ, in parte autem sensitiva omnes passivæ*, alibi intellectionem sola informatione, in qua *nulla ratio originis*, comprehendit. Aristoteli consentiunt interpretes Græci Themistius, Theophrastus & alii fatente Suario, eademque Alberto, Godefredo, & Gabrieli, aliisque non paucis tribuuntur. Authores abunde habes etiam inter Scholasticos, quibus Mysticos apponere, & vero etiam præponere haud injuria possis. Neque enim opinionem ex obscura disputationum caligine, atque ancipiti verborum significatione proferunt; sed quod sensu intimo, eoque liquido, & à Phantasmatis puro degustent; quod aperto serenæ mentis intuitu contemplentur; quod primæ, summæque veritati nexu quodam arctissimo, suavissimoque conjunctæ, commixtæ, & in eandem quodammodo transformatæ didicerint; quod ab ea alto illo animæ, & intento, sciendique cupido, atque ab imaginationum strepitu, remoto silentio dictatum audierint; id quale sit, quoque modo fiat, viri sanctissimi pariterque doctissimi optimè scient, & certa sententia, miniméque fallace sermone docebunt. Hos autem omnes asseveratione omni affirmantes, ac propemodum dejerantes audias, in illo se quietæ mentis otio cognitiones pœne divinas, & miros amores sola divinitatis impressione nihil agendo, sed merè patiendo concipere. At actionem quæ Mysticos latuit, Scholastici è latebris nituntur extrahere. Quo argumento? Num conatum aliquem, & veluti motum & impetum mentis, qui actionem prodat experiuntur? Sed cum experti pernegent, tibi inexperto asserenti, seu potius auguranti non credam. Num quia ad longinqua nimium, & propinqua nisu quodam, & labore fertur aspectus, idcirco in visione saltem, actionis haud obscuram notam aspiciunt? Esto quidem in aliqua, non autem in omni. Multa quippe citra contentionem otiosi spectamus. Immo nec visionem ullam facultatis actione perductam, labor iste demonstrat; quem, oculi ad figuram radiis recipiendis idoneam contorsione sentire, neminem Opticorum peritum fugit. Itidemque imaginandi, aliterve sentiendi laborem, ad organa laxandi, & comprimendi molimen referendum esse patet. Neque defatigationem ex studio, intellectioni quisquam, qui eam organo expeditam, sed imaginationi quam alligatam noverit ausus adscribere.

De Trin. l. 10. c. 15. & l. 11. c. 2

1. p. q. 72. a. 3. ad 1. 1. p. q. 34. a. 1. ad 3. l. 4. de an. c. 8.

§. 47. Cæterum alia Machina, eaque, ut putant, validissima, actionem abditam emoliuntur. Omnis cognitio, & volitio, aut appetitio est actus vitalis. Recte. Omnis autem Actus Vitalis, actionem substantiæ eo actu viventis includit. Unde tibi istud innotuit? Anne ex nomine quia actus dicitur? Anne ex virtute quia ad agendum aut adigit, aut saltem armat, & instruit? An magis ex notione vitæ actionem viventis actui vitali inclusam

De vitalitate.

cluſam colligis? Verum ex his nihil effici cogique poteſt. Corpus enim mobile, motione aliunde recepta, in actu eſſe dicitur; atque ita ut etiam agendi, ſeu aliud movendi vim quidem efficacem, licet emendicatam poſſideat; præpoſterum vero eſt è notione vitæ num cognitioni, & volitioni actio debeatur inquirere; quæ num ad vitam attineat, ex illis contra quærendum eſſet; quippe quibus vita primo & proprie tribuatur, & ab iſtis ad alia derivetur; quæ haud alia ratione viva dicuntur, quam ſanitatis effectis, aut indiciis, ſanitatis vocabulum applicetur. Nam cum motus omnis non à corpore, ſed à cognitione, & volitione, ut alibi dictum eſt, oriatur; motus ille ab intrinſeco, ut vocant, quicunque, & ubicunque ſit, (quem quia à virtute procedit intranea, vitalem nuncupant) eo ſolo nomine quod vitæ intus habitantis, ſeu cognitionis mobile dirigentis, appetitionisque pellentis nota ſit, vitalem Philoſophus appellabit. Vitalis enim dicitur quia à virtute intus latente proficiſcitur. Nihil autem cognitionis & appetitionis expers, intus latere poteſt quod vi ſua motum efficiat, ab his igitur velut ab origine prima vitæ notio, & nomen emanat. Quare cauſa integra, cum è notione vitæ nihil præjudicati poſſit afferri; videndum eſt, num cognitio & volitio in ſeipſis ſpectatæ quid indicent, quod cognoſcentis & volentis actione carere nequeat. Ecquid autem habet directio formalis ſive propenſio, quin non modo elicita, ſed vel aſcita dirigat, & inclinet? Motio quippe, quam directionem quandam, & propenſionem materialem diximus, haud minùs aliunde impreſſa mobile deducit ad terminum, quam ſi ex eodem efficientiâ quâdam extrinſecus expreſſa fuiſſet. Qui vero cognitionem in repræſentatione conſtituunt, imaginem etiam aliena vi ſculptam objecto ſimilem inficiari non poſſunt. Quod autem cognitiones aliquæ procedant ex aliis, hoc eſt ex anima quæ eſt ipſa tali modo cognoſcens, prodeant, id è cognitionis notione communi non ducitur; ſed quia concluſiones à principiis pèndere videntur, ideo à principiis produci cenſentur: nam ſi hæc abeſſent, illæ non eſſent; contra vero ſi concluſiones abeſſent, haud defutura principia clarè perſpicimus: quare principiorum cognitiones, & ſenſiones, quas à cognitionibus aliis aptas haud cernimus, cur elicitæ, & non inſitæ ſolummodo putentur, unde conficies? Sed neque concluſiones è principiis effici argumentum illud evincit. Namque ut emolliri ceram neceſſe eſt ut figuram ſuſcipiat, tametſi figuram mollities non efficiat; ita mentem principiorum cognitione ad concluſionis receptionem ſolam, non autem effectionem ornari cognoſcas. Similiter cognitione boni, appetitioni tantum imprimendæ, non exprimendæ animam præparatam intelligas. Quod ſi concluſio voce tantum, non mente aſſumptionibus addatur, rationis illius nervus omnis eliditur. His autem probe cognitis: Omne triangulum recti-

rectilineum tres angulos habet duobus rectis æquales, Aliquod triangulum, (nempe Sphæricum) angulos tres binis rectis pares non habet, etiam illud, quod propositione tertiâ verbis effertur, Aliquod triangulum esse non rectilineum unà cognosci, id est hoc ipsum in illis contineri haud temerè suspicari queas. Neque si quando assumpta quid doceant anceps hæreas, ex eo cognitionem tertiam adjungendam, sed quas habes inchoatas duas perficiendas esse concludas, ut extrema syllogismi vocalis propositio cognitiones duas perfectas, non tertiam adjectam significet. Verum ut id fuerit, alterum quod de dispositione ad recipiendum attulimus, neque appetitiones omnes, neque etiam cognitiones non modo non omnes omnino, sed nec eas omnes quæ aliis quibusdam carere nequeant, actione animæ indigere demonstrat. Cæterum volitiones eas quas arbitratu nostro fieri scimus, quibus à bonis propositis, quod libuerit sponte nostrâ seligimus, eas à nobis ipsis procedere, & intimo sensu percipimus, & ratione clarâ colligimus. Neque enim quod ingeritur, id eligitur; neque illud ad nostrum arbitrium facimus, quod ne facimus quidem, sed patiendo tantum recipimus. Sed de his hactenus, quibus de cognoscendi & volendi actibus, quod ad actionem attinet, exemptus est scrupulus.

De memoriâ.

§. 48. Restat alius de memoria, quo neglecto detrimentum anima capere posset. Nam si species illius, ut multi sentiunt, innato, non illato casu labantur, animæ quoque ruinam pari fato timendam suprâ prædiximus. Verum neque hic, aut uspiam speciebus utimur. Ipsis enim corpusculorum motibus, uti fusè docuimus, primæ notitiæ excitantur. Eorum autem haud pauca cerebro hærebunt infixa, quorum agitatione similes notiones emergunt. Immo meatus ipsi repetitis corpusculorum incursibus perforati, patentem, & paratum similibus aditum dabunt, quoad alia paulatim vel affluxione, vel compressione, vel infixione patefactos, & aptos esse prohibeant. Et hæc quidem quà memoriæ corpus famulatur. Mens autem impressionem multiplicem ab unâ re factam retinens, eandem denuo occurrentem, atque iterato pellentem facillimè ut sæpe visam, aut aliter notam agnoscet; eoque faciliùs quo non species, aut habitus relictos suscitat, sed cognitiones ipsas retentas afficit, perficitque.

De objectis actuum. Moventia ponuntur, terminantia tolluntur, atque inde Esse omne seu Negativum, seu Chimæricum seu possibile præter id quod positivè existit explo-ditur.

§. 49. Venio nunc ad actuum, quæ vocantur, objecta; quibus ad cognitiones, & volitiones efficiendas, atque etiam terminandas utuntur vulgò Philosophi. Et causas quidem actuum merito requirunt; cuique verò terminum fabricando, Philosophiam propè totam, ac Theologiam insuper densissimis tenebris erroribusque fædissimis involvunt, & inquinant. Nam quia singulis terminum reipsâ existentem aptare nequeunt, id vero quod terminat, non possit non aliquod Esse, in quo actus terminetur, quod-

quodque cum actu conferatur, habere ; in eas rediguntur anguſtias, ut ei quod nondum Eſt, eique etiam in quo rerum quæ non ſunt ipſiſſimum *Non eſſe* conſiſtit, poſtremo rebus quæ nec ſunt, nec erunt, nec eſſe poterunt, fictitium quoddam Eſſe, & futile, fatuumque, ſententiâ, ſi quæ unquam alia, fatuitatis pleniſſima largiantur. De Anti-Chriſto, de Tenebris, de re quoque impoſſibili quandoque cogitas. Cogitationi vero cuique quid ex adverſo reſpondeat, quod ſingulæ veluti metam objectam aſpiciant, eaſque quodammodo ſiſtat, & terminat, & aſſignandum putant, ut quid quæque cognoſcat, & quo etiam modo rectè ne an perperam poſſit intelligi. Quid noſti ? Anti-Chriſtum. at hic nihil eſt, quia nondum Eſt, privatio quoque lucis, reſque impoſſibilis nihil ſunt ; aut ſi hæc aliquid ſunt, non erit cui nihili nomen tribuas. Contra vero niſi horum quodcunque eſſet Aliquid, cognitionis regula, vel norma non eſſet, quâ velut applicata veritas, aut falſitas ex conformitate illa tantoperè celebrata & difformitate pateſceret ; tum cogitanti adeo non poſſet objici, ut neque à cogitatione quidem ipſa diſtingui poſſet. Nam quod non eſt Aliquid, non eſt unum, ut vel ipſi fatentur ; quod vero unum non eſt, id aliud unum, vel ab altero diſtinctum dici non poteſt. Aliquid igitur Eſſe concedunt, cum terminatio, comparatio, diſtinctio, in Aliquo fundari debeant. Rurſus idem eſſe *Nihil* coguntur aſſerere, quia haud aliud, quod *Nihil* appelletur, inveniunt. Adeo ut Entis, & Non Entis complicatis, & confuſis invicem Notionibus, principia *quorum termini*, ut loquitur D. Thomas, *ſunt communia quædam quæ nullus ignorat, ut Ens, & non Ens*, ipſi longo ſciendi ſtudio neſcire didicerint. Nam ſi quod Nihil eſt, id & actum terminare, & præterea quod dicunt ſpecificare, cum eo inſuper quoad ſimilitudinem, aut diſſimilitudinem comparari, cauſæ denique finalis, voluntatem movendo, munere fungi queat ; quid porro amplius Entis ratio poſtulet ægre definient ; hactenus quidem certe conſenſu communi, vel ſententia perſpicua definitum nihil audio. Qualis autem eſt iſta Philoſophia, quæ nec prima principia clarè, & diſtinctè cognoſcenda proponit ? Cæterum aliud eos pungit, & angit vehementius. Rem in ſtatu, quem vocant exiſtentiæ, ab eadem in priore poſſibilitatis ſtatu, quid diſcrepet, quæ tamen eſt ſumma, nempe rei & Nihili, diſcrepantia, declarare non poſſunt. Non enim ea re quod Eſſentiæ accedat Exiſtentia : Nam & ipſa quoque Exiſtentia poſſibilitatis ſtatu non caruit, quam proinde à ſeipſa in altero ſtatu diſtinguere neceſſe ſit. Ego vero te mox è moleſtiis his, & anguſtiis, & tenebris educam. Nullum enim Eſſe, nullum penitus quod vel cognitionem terminet, aut alia functione qualibet vel tenuiſſimam Entis umbram oſtentet, præter id quod reipſa, & actu, & poſitivè

1. p. q. 1. a. 1.

positivè existat, statuendum esse pronuncio. Atque hoc quod clarissimum negare non potes, efficiam ut verissimum esse concedas. Cæterum ut aliud illud Esse objectivum, tam positivum quam negativum longo usu inolitum, tantoque consensu tam animo defixum evellam, rem totam à stirpe repetendam esse arbitror.

Occasio erroris circa objecta terminantia.

§. 50. Cum quippiam sensu, veluti visu percipimus, corpus aliquod objici oportet aspectui, quod radios vel ex se emittat, vel aliunde delatos remittat in oculum, Objectum igitur quod facultatem moveat, vides; quod vero idem visionem terminare dicatur, sermoni proprio & Philosophico nemo tribuerit; mihi vero errori veteri, sed obsoleto pridem tribuendum videtur. Antiqui namque radios ex oculo in rem objectam emitti, eidemque impactos sisti putabant, quò Euclidem etiam in Opticis, & Alhazenum pariter respexisse comperiet, qui utrumque attentè perlegerit. Quæ quidem tum verba, tum sensa à visu ad intellectum Philosophi transtulerunt; eoque magis quod imaginatio, (quam ab intellectione pauci distinguunt) simulachra quædam intelligentibus videatur objicere, quæ ab ipsâ quoque intellectione imaginationi commista spectari, earundem ignorato discrimine, arbitrati sunt. Sed non quod apparet esse, sed quod ratio doceat esse, id tantum esse censeri debet. Nam & Deus ut lux quædam cogitantibus obversatur, & Nummus unus per vitrum anguloſum aspectus, specie multiplicatâ videntibus, ut in aqua remus quasi fractus imponit. His errandi primordiis è cognitionum veritate, & falsitate incrementum accessit. Unde etenim, inquiunt, cognitio quâ Anti-Christum peccaturum asseris, vera censebitur, nisi quia Anti Christo peccanti velut objecto concordet? tum quærenti quid noveris? respondes Anti-Christum; quem procul inde nondum existentem, aliquid esse fateris. Verum hoc levius, licet apud eos qui scientiam verbis metiri solent, haud parum momenti habeat. Nam si Philosopho rebus verba licet aptare, non quid scires, sed qualem scientiam haberes, quæreret. Sed voces è sensu ad vulgi sensa translatæ, licet objecti speciem cunctis ingerant, non tamen illius idcirco sapientibus fidem faciunt. Alioqui quærendo quid, qualis, quantusque sit Deus, eundem è Substantia, Qualitate, Quantitate compositum judicares. Alterum autem quod ad veritatem & falsitatem attinet, gravius videtur, priusquam exacta rationis trutina ponderetur. Quare verus est actus quo Anti-Christum peccaturum asseris? Nimirum, inquies, quia objecto conformis est. At cognitioni cognitum etiamsi poneretur existens, tamen simile, ut alibi ostensum est, dici non posset. Nunc autem priusquam existat, cùm, ut ego censeo, nihil omnino sit, & tua quoque sententia haud amplius sit, quam Entis quædam umbra inanis, & fallax; quid habet quod non sit

Enti-

Entibus veris dissimillimum? Sane qui Non Enti Ens simile dixerit, is nihil quicquam alteri dissimile dixerit. Huic igitur actui, tum temerè, tum frustrà affingis objectum. Nam præterquam quod imaginatione sola, ratione vero nulla ductus, Nihilo Naturam Entis, veluti simul flando, & sorbendo, dones, & neges, dum idem & Esse, & nondum Esse concedis, figmenti vani fructum nullum percipis. Longe quippe obscurior est similitudo quæ ponitur, quam veritatis notio quæ declaranda proponitur. Auscultа igitur. Cognitio Directio est: hæc porro vel recta, vel prava est. Si rectè dirigit, vera, si perperam falsa dicitur. Haud paulo, opinor, intellectu facilius est, cognitionem recte dirigere, quam similitudine quadam Nihili formam exprimere. At unde sciam, inquies, cognitionem recte dirigere, nisi metam, quo tendat, objectam intelligam? Notionem dedimus, tu veritatis notas, & signa flagitas. Eademque tecum pariter assignabo. Unde enim tu Anti-Christi peccatum, sive objectum illud umbraticum futurum colligis, inde ego, nempe ex auditione, & lectione, cognitionem rectè dirigere comprobabo. Ergone, inclamant, cognitio quæ Anti-Christi peccatum prævidet objecto caret? Quod moveat, habet; eam enim lectio, & auditio pepererunt; quod autem terminet, nullum habet. Hoc etenim & inutile, & ineptum, & noxium insuper, & ne quidem in visu aliter, quam ex opinione falsa confictum ostendimus.

Quid vera cognitio.

§. 51. Unde quod tantopere recentiores exercet, atque inter se diuturna, & nondum decisa lite committit, Ens illud celebre, quod impossibile, & Rationis dicitur, pauciſſimis verbis è medio tollitur. Hoc etenim fundamento solo nititur: Cum aliquid id esse, quod esse non potest, ut Hircum esse Cervum seu falso affirmem, seu verè negem, seu suspenso judicio cogitem, aliquid hunc actum terminat; non possibile, ergo impossibile. Hîc quasi contestata lite, num mens possibilia tantum adstruat possibilibus, an operi identitatis cujusdam, impossibilis cæmentum immisceat magnis clamoribus disceptatur. Dic terminum nullum habere, & confestim *Hi motus animorum, & hæc certamina tanta, Pulveris exigui jactu compressa quiescunt.* Quare Nostrates proprietate majore loqui, quam vulgus soleat, de re impossibili didicerunt. Nam, *it is a meere notion*, notionem meram esse pronunciant. Qua locutione cognitionem quidem asserunt, aliquid autem ei respondere posse negant, & pura puta notione contenti objectum omne respuunt. Iam vero quod plerique etiam actui illi quo Anti-Christum possibilem esse dicimus, aliquid non existens objiciant, quod possibilitatem intrinsecam, & rei Essentiam, aut non repugnantiam appellant; id quam & in se vanum, & Enti quod à se Est, & à quo non existentia tantum omnis, sed Essentia dimanat, probrosum,

De Ente Impossibili vel Rationis.

Virg. l. 4. Georg.

De Ente ut possibile est.

infra

infra dicetur. Hîc tantum quod vel Grammaticus capiat dabo. Hoc poteſt eſſe, alia phraſi dixeris, cauſa, qua hoc fieri poſsit, exiſtit. At enimvero cum de cæcitate, de tenebris cogitas, excæcatur, ſi ſuperis placet, ratio, & quocumque te conferas. *Nox atra cavâ circumvolat umbrâ*, ſcientiæ lux omnis occumbit, nihil videbis, niſi objecta quædam negativa. *Non lux, non viſus*, tibi lucem, viſumque reſtituant. Quid ita? quia cogitatio illa aliquem habet terminum. Non autem lucem ipſam, illius igitur negationem ſibi cernit objectam. Reſpondeo ut prius, objectum aut terminum nullum habet. Neque prioribus quicquam addere neceſſe habeo. Virg. Æn. l. 3.

§. 52. Verum ab actibus tandem animi ad rerum naturam provocant. Nam à parte rei, inquiunt, & nemine cogitante verum eſt, tenebras eſſe, Petrum cœcum eſſe, claudum eſſe; tum diverſæ ſunt iſtæ veritates objectivæ, Anti-Chriſtum non eſſe, Bucephalum non eſſe, Petrum oculis, & pedibus captum eſſe; itaque non eſſe, ſeu nihil, aliud ab alio diſtinguendum. Sed nondum ab actibus diſceſsiſti. Veritas enim illa objectiva, quam affers, eſt cognoſcibilitas ad cognitionem veram relata; Veritates autem diverſas, res ipſæ poſitivæ dabunt, ſi cognitionum diverſas cauſas, aut fundamenta ſuggeſerint. Tot autem & talia haud eaſdem cognitiones, quam plura vel alia generant. Finge mixtum, ex albo, cæruleo, rubro pigmentum, & primo quod album eſt è maſſa extrahi, tum eodem reſtituto tolli cæruleum, viſiones haud dubie diverſæ naſcentur: aut tres ſimul citharæ chordas ſonare, deinde modo hanc, modo illam, ſonantibus binis, fractam ſilere, auditus haud ſimili modo percellitur. Ex his autem ſenſionibus, vel cum his, vel in his, utcumque Philoſophari, vel divinare libuerit, exiſtit aliquod cognitionis genus, quo colorem, & ſonum defuiſſe quempiam deprehendas; cui cognitioni, poſitis ſenſionibus, producendæ cauſam porro extraneam nemo deposcit. Neque hactenus eo inſaniæ proceſſum eſt, ut *Negativa non Entia* ſenſionum cauſæ dicantur, nec proinde illorum efficientiæ cognitio altera tribuenda eſt. Habes igitur has cognoſcibilitates, veritateſque, quas nominas, objectivas. Deeſt, vel non eſt alius, atque alius color, & ſonus, in rebus ſolis exiſtentibus tot, & talibus collocatas; hæ nempe tot, & tales cognitiones procreare poterunt, quibus abeſſe quoſdam colores, & ſonos ante cognitos veritate formali, & actuali ſcire liceat. Contuere ſimul Canem, & Gallum gallinaceum, & alterum cum altero cogitando compara. Hanc eorum quæ utrique ineſſe cernis contemplationem, & comparationem his verbis efferas. Hic criſtam habet, ille non habet; huic alæ ſunt, illi deſunt. Contra pedibus quatuor ille graditur; iſte nequaquam; pilis ille veſtitur, iſte non item; ut affirmationes unius contemplatione, nega- De veritatibus objectivis quoad non eſſe rerum.

negationes utriuſque comparatione nitantur. Atque ut è rebus abſolutis cognitiones relativæ, cur non è poſitivis negativæ ducantur? Iam vero perceptionum cauſis productis in medium, nihil eſt quod terminorum non exiſtentium figmenta deſideres; tum quia neque ad cognitiones efficiendas, ut patet, neque etiam ad earundem varietatem, aut veritatem quicquam conferunt; tum quia eas terminare nullo modo poſſunt; tum demum quia Monſtroſum quoddam & abnorme ſunt Entium genus. Cognitio quippe alia ab aliâ diſcrepare noſcitur, quòd hæc ab albo, cæruleo, rubro, illa à cæruleo, & rubro, tertia vero ab albo, & cæruleo orta fuerit. Immo eadem tria, cognitio alia aliter verſat, & variat. Nam vel tria dixeris; vel unum, & duo; vel duo, & unum; vel unum, unum, & unum. Veritas autem eſt recta mentis directio, non autem ejuſdem ad objecti ſimilitudinem conformatio. Niſi forte cognitionem exiſtentem, cognitione percipias; in reliquis enim diſſimilitudo plerunque ſumma conſpicitur. Neque directionem ipſam, quod ſcopum velut objectum feriat, ſed quod cognoſcentem pro rerum exiſtentium ſtatu regat, Rectam intelligas. Tenebras eſſe ſcis? Non igitur ſine Lucernâ foras prodibis. Deum mentiri non poſſe credis? Illius igitur dictis tutus inhæreas. Nondum Anti-Chriſtus fuit? Securè proinde in utramque aurem dormias, neque enim te ruina mundi opprimet.

Quomodo veritas ex eo quod res eſt, vel non eſt.

§. 53. At ex eo, inquies, quod res eſt, vel non eſt, propoſitio, Authore Ariſtotele, vera, vel falſa dicitur. Igitur ipſum *Non eſſe* Anti-Chriſti, impoſſibilitas ipſa Chimæræ menti proponitur, cum quibus cognitio collata vera, vel falſa dignoſcitur. Si hoc ſomniavit Ariſtoteles, certe & ipſe quoque, nec ſolus *quandoque bonus dormitat Homerus*. Quid? Eine quod non Eſt quoddam eſſe conveniat, quod cognitionis exemplar, meta, menſura ſit, quodque à ſe ſit, atque ab æterno ſit, & majoris, quàm multa quæ reipsâ ſunt, pretii ſit? Namque ipſum rerum *Non eſſe* à nullo eſt, & ab æterno eſt, & Anti-Chriſtum non eſſe, quàm vel ipſum, vel alios multos eſſe, præſtabilius eſt. Quid ſi alicubi Logicum rudem rudi Minervâ docuerit Ariſtoteles? Nonne ex eo alibi omnes verum, ſeu cognoſcibile cum Ente confundunt? Nonne etiam Logicum *Quod non eſt, non ſciri* cautè admonet? Nonne futura è præſentibus noſcenda docet? Auguſtinus itidem, & utrique conſentiens D. Thomas futurą in ſeipſis cognoſcibilia negat, quia *ſicut deficit aliquid ab Entitate, ita deficit à cognoſcibilitate?* Quique aliàs Malum, ſive non bonum cognoſci à Deo non per propriam rationem, ſed per rationem boni faretur. Deoque materiæ Idæam adimit, quia *Materia ſecundum ſe neque eſſe habet, neque cognoſcibilis eſt.* Areopagita vero ſubtiliſſimus, *Deus*, ait, *non aliunde videt tenebras quam à Lumi-*

1. poſt. c. 2. vide Aug. infra n. 65.

1. p. q. 89. a. 7. ad 3

1. p. q. 15. a. 3. ad 1. & 3.

De divi. nomine c. 7.

Lumine: Hæc tot, & tanta imaginationi fallaci inanes objectorum imagines obtrudenti, vel Ariſtoteli Logicum verba docenti, & cum infante Philoſopho, nutricis inſtar, balbutienti poſtpones? Sic potius adultum docuiſſet. Cognitio, quæ rationi in errorem nullo modo flexibili innitatur, per ſe recta eſt, neque ad aliam rectitudinis amuſſim exigenda. Cæterarum rectitudo, vel veritas ad normam aliquam in rebus inventam exiſtentibus exploranda; veluti huic, Anti-Chriſtus erit, vel rerum ordo, vel Dei decretum congruit: iſti vero, Peccabit, Neutrum. Quid ergo? Præſcientia, vel potius ſcientia Dei; nihil enim ut futurum proſpicit, vel ut non exiſtens notitiâ, ut alibi dicetur, ullâ cognoſcit. Veram autem quis neget, quæ Archetypæ veritati reſpondeat? cum ulna, modius, amphora eò vera probentur, & nominentur, quo congruant illis, quæ ut exemplaria Reſpublica format, & ſervat: fucatæ terminorum imagines negligendæ: Nam multi nihil ſunt, ac proinde neque cognitionem terminare, neque cum eâ comparari queunt; quique ſunt, vel ſi adſint, ne viſionem quidem, nedum intellectionem, niſi Metaphora quadam, eaque ab opinione falſa deſumpta, ſiſtere dicuntur. Cum ex eo quod res eſt propoſitionem audieris veram eſſe, Non umbram rei quam offerre videtur Phantaſia, prenſare jubent, ſed rerum univerſitatem ſcrutari monent, in quo aliquid quod reipſa exiſtit, ideoque res eſt, rectane an prava ſit cognitio docebit; ubi amuſſis alia defuerit, cognitio tamen divina, quæ veritatis eſt regula & certa, & apta non deerit. Notum enim eſt *Primum in quoquo genere reliquorum eſſe* MENSURAM.

§. 54. Quinimmò licet in rebus ipſis occurrat, quo cognitione quâ fiam jam te dirigi rectè comperias, veluti ſi tenebroſum eſſe judicando, in obvia præter morem offendas; hæc tamen ipſa cognitio niſi, quod rarum eſt, rectitudinem in ſeipſa contineat infallibilem, ad divinæ ſcientiæ, quæ per ſe prima, & ſumma rectitudo eſt, velut ultimam, & certiſſimam normam exigitur. In quâ quia Rectitudo, ſeu veritas abſque ulla ad Extraneum relatione cognoſcitur, perque eam alia omnis Rectitudo dignoſci queat, palam eſt objectiva quædam Entia ſeu Negativa, ſeu Poſitiva quæ reipſa non ſunt, ſine cauſa confingi, ut cognitionum veritas explicetur, vel ut in univerſitate rerum quædam non eſſe ſciatur. Quamvis enim ſit alia cognitio quâ ventum non eſſe, & lumen non eſſe dicitur, non tamen idcirco duplex Nihilum rebus ineſſe percipitur. Sed notio Nihili ad ventum, & lumen dupliciter applicatur. Neque cum Nihili Notionem audis, objectum aliquod ſeu ſimplex, ſeu Multiplex quod Nihil ſit, cognitioni propoſitum putes; ſed ſermonis ad Phantaſiam, cui obverſari videntur quæ reipſa non ſpectat, malè conformati pravitatem accuſes; ita Notionem

puncti inextensi dabimus, licet ipsum nec sit, nec esse possit, ne quod mente fingitur, id rebus existimes affingendum. Ergone, inquies, à parte rei nil differt hoc non esse, & illud non esse? Nihil omnino, quando morum utriusque non esse significatur: itaque ante mundum conditum nihil diversitatis objicitur cognoscendum sive Angelum, sive Hominem fuisse negatur, sive hoc non fuisse, vel illud asseritur. Haud parum tamen sæpe contingit, ut aliquid non esse dicendo, aliud quidpiam esse dicatur, ideoque negatione duplici, duplex & diversum esse noscatur, ac proinde in reipsa diversitas indicetur. Nam lucem nunc non esse qui asserit, corpuscula quædam tenuissima immota asserit; ventum autem negando, crassiorum quorundam quietem affirmat. Quæ quidem diversitas cùm in rebus ipsis frequenter, actibusque negantibus significetur, inde fit ut in cæteris omnibus differentiam postulent objectivam; eoque magis quòd loquendo nunc de non Esse lucis, & venti ante mundum conditum, non una, sed bina existat veritas, quam sine objecto duplici, quo Conformitas bina nitatur, non intelligunt: quandoquidem actibus binis, qui rectè dirigant cognoscentem, contenti non sunt, nisi suum cuique terminum consentienter assignes; nam terminum ad cognitionem omnem, non modo veram ingente clamore postulant. Quo Phantasiæ hallucinantis errore tenentur & alii, quibus Entia Negativa non placent. Quare cognitioni cuilibet objectum, aut terminum positivum ascribunt, cui affirmando annuat, & ab eodem quasi abnuat inficiando: atque hoc nutu, & abnutu judicium affirmans, & negans, à prima, quam vocant, apprehensione distinguunt: conformitatem verò in nutu quando res est, quando vero non est, in abnutu constituunt. Sed hærent in vado, ubi apprehensiones ipsius Esse, & non Esse distinguendæ sunt; nam judicium ab apprehensione non objecto, seu re cognitâ, sed cognoscendi modo per nutum, & abnutum discriminant; quocirca licet Negare quid esse, abnutu, vel recessu mentis à re positivâ declarent, apprehensio tam prævia ipsius non esse, objecto positivo declarari non potest. Quod si non idem, sed amplius judicando cognosci, quam apprehendendo censerent, quod nos libro quinto dicturi sumus, fortè quâ fugerent rima pateret: Aliud tamen, quod maximè absurdum est, nunquam effugient, Nempe quodlibet Esse vel positivum quod nondum existit, veluti lucis, aut venti priusquam à Deo quicquam factum esset;
§. 5. n. 52. haud minùs futile, vanum & inexplicabile judicandum, quam Negativum ipsum quod impugnant. Mitto nutum illum, & abnutum fictitium quem alibi à cognitione probabo alieniissimum. Hoc tantùm ad extremum adjiciam nihil unquam hoc loco clari, & explicati sperandum ab iis, qui Phantasiam secuti objectis adhærent terminantibus. Neque enim quod est, sed quod sub imagine fallace apparet, arripiunt.

§. 55. Unde

§. 55. Unde fit, ut anima quatenus rerum, ut ita dicam, apparentias, & imagines corporeas contueri videtur, græcè φαντασία, latinè dicatur imaginatio, nisi repræsentatio illa rerum exteriorum, non interiorum motibus procreetur. Extranea quippe dum irruunt, visionem, vel auditionem, vel sensus alterius externi affectionem pariunt. Spiritus verò, sive corpuscula quædam subtilia, atque mobilia intra corpus inclusa, dum per meatus interiores à rebus quæ foris illapsæ sunt, pertusos tumultuario plerumque motu commeant, perceptionum genus aliud efficiunt, quæ Phantasiæ dicuntur, eæque tum minùs ordinatæ, & dilucidæ, tum magis incertæ, & commixtæ, quam quæ per sensus exteriores habentur, in quos extranea & ordine, & impetu majore se inferunt, ductusque pororum aptiores inveniunt. Fieri tamen potest aliquando ut spiritus interiores tanta vi, talique tenore moveantur, quanta, qualique extranea ferri soleant; tunc autem audita, vel visa existimantur, quæ imaginatione tantummodo percepta sunt. Unde visiones sive Apparitiones tam veræ, quam falsæ quo pacto fiant intelligas; deinde cur incondita spectra, & rerum malè cohærentium simulachra discordia dormientes potius, quam vigilantes infestent: namque ut pulviculi per aerem huc illuc temere volitantes, sibique mutuo incursantes venti afflantis impetu in plagam certam motu conspirante feruntur; ita corpuscula per sensum apertos aditus irrueptia, spirituum interiorum agitationem turbidam, & confusam dirigunt, perque distinctos, & proprios Organi cujusque sensorii meatus impellunt. Quare & altiùs insident quæ vigilantibus occurrunt, nam quæ in motum unum conspirant, viaque magis trita, & minus impedita feruntur, impressionem faciunt acriorem. Noctu vero recurrunt cogitata diurna, quia spiritus undique volitantes, facilius in poros perforatione recente patentiores incurrunt. Sed de his obiter: Id enim nunc ago, ut objectorum figmenta illis tantummodo persuaderi doceam qui Animam non quà Mens, aut Ratio est, sed quà Imaginatio est, ipsaque sensione exteriore fallacior, consulunt.

De Phantasiâ. φάντασμα apparco.

§. 56. Neque tamen hinc velim existimes Phantasiam, & Mentem duas esse, & distinctas unius animæ facultates. Nihil enim apud me est præter Rem, & Modum; Modus autem nullus incorporei, præter cognitionem & volitionem actualem; his etenim solis ut nôtis utor & idoneis: facultatis etiam Notio sive Potentiæ, non Modi, sed Rei Notio est; duæ facultates igitur Res, aut Hypostases binæ forent, non autem unius affectio duplex. Quare mihi necesse non est, ut ab iis qui in anima una tot contubernales collocant facultates, inquiram quot, qualesque sint, quibusque ab invicem discriminentur indiciis, aut quo pacto se mutuo trudant, aut vellicent, cum alteram altera ad agendum excitat, vel sentien-

E principiis suprajactis argumento firmo, non autem conjecturâ, ut fieri solet, levi probatur potentias ab animâ non esse distinctas. Vide l. 1. n. 8.

ſentiendum inclinat; atque in eo quod leviſſimum eſt argumentorum omnium, momentum ponere, quod una animę ſubſtantia facultatum omnium officiis fungi queat, ideoque ne multiplicentur Entia ſine neceſſitate facultatum excludam multitudinem; nedum ut Inductioni reſpondeam uſitatæ. Cælum agit per lucem, Elementa per primas qualitates, mixta per primas, ſecundas, & tertias; igitur & Anima per potentias à ſubſtantia diſtinctas; tum quia ſubſtantiæ corporeæ actionem à ſeipſis promendi virtute carent, ſed tantum aliunde receptam cum aliis communicant, quippe quæ haud aliter quam motæ moveant: tum quia lux, & calor, non ſunt potentiæ à ſubſtantia diſtinctæ, eique ut vulgus exiſtimat, inhærentes; ſed ipſamet corpora aliter alia figura, motione, magnitudine ſe habentia, id quod latè ſuperiùs explicatum eſt. Illud autem eſt planè frivolum, facultas videndi in ſenibus, ambulandi in laſſis deficit, Anima non deficit, facultas ergo non eſt Anima. Nam facultatis vocabulo non ipſam vim ſolam, ſed & virtutis inſtrumenta ſubjiciunt, quæ ſola probaverint defeciſſe.

Duratio Entis creati neque mera exiſtentiâ eſt, neque motionum aut perceptionum aut proprietatum ullarum fluxio eſt, ſed Modus exiſtentiæ indiſtinctus quo Entitas ipſa fluit.

§. 57. Sed licet Animæ Potentiæ ab ejuſdem ſubſtantia diſtinctæ non ſint: Duratio tamen forte diſtingui, neque in cognitionum, & volitionum aliarum ab aliis emanatione, & ſuccedendi quodam ordine collocari debet, ac proinde præter cognitiones, & volitiones Modum alium, id quod hactenus recuſare viſi ſumus, cogemur aſciſcere. Nam & eadem cognitio, ſive volitio plùs, aut minùs duret; atque earum emanatio multiplex, momento temporis uno contingat; eædemque etiam abſolutâ productionum ſerie, longo, vel brevi tempore perſeverent; poſtremò ut corpus aliquod ſine motuum fluxione, ita Incorporeum abſque affectionum ab invicem derivatione parum, multumvè perſiſtant. Atque ut rem haud ſanè in medio poſitam viâ, & ordine perquiramus, Principiò conſtat quicquid ita eſt ut nequeat non eſſe, id omni tempori per ſeipſum adeſſe: neque cum illud ſemper fuiſſe, & futurum dicimus, fluxionem ei quod exiſtendi neceſſitate ſtat fixum, & immobile, ſed præterlabenti tempori aſſignamus. Quod autem ſic eſt hodie, ut potuerit heri non fuiſſe, poſſitque non eſſe cras, illud per Exiſtentiam ſolam, ſive Entitatem quam hodie habet, diem heſternum. & craſtinum non complectitur; alioqui ex eo quod hodie ſit, & heri fuiſſe, & cras futurum eſſe ſequitur: cum heri, & cras exiſtere, præter hanc Entitatem, quæ nunc eſt, tempori heſterno, & craſtino nihil adjungat. Immo ſi in aliquo, non omni tempore fingas exiſtere, exiſtentiam ei affingis planè Chimæricam, quippe quæ & par omni tempori concedatur, & impar interitu comprobetur: ſi cras, inquies, retineat quod nunc habet, id ſatis eſſe ut cras exiſtat: ſed ideo cras poteſt non exiſtere; quid quod nunc habet, illud ab eo ante diem craſtinum tolli poteſt, ut exiſtentia retenta ſit par, amiſſa

amissa sit impar omni tempori? Verum hinc apparet retentionem, sive permansionem in existentia mera nequaquam sitam esse. Audio fatentem, nam permansionem non in una rei, quæ nunc est, existentia, sed utriusque tum rei quæ nunc est, tum diei quæ futura est, coexistentia collocas. At utrumque potest existere, & non coexistere, hoc igitur utriusque existentia nuda contineri non potest. Sane qui existentias ambas haud ullo necessitatis vinculo conjunctas videt, per se qua meræ existentiæ sunt, conjungi non posse videt. Deinde per motum qui præterfluit aliud retineri ne desinat, quis intelligat? Tum idem in seipso nullatenus variatum mensuris inæqualibus congruere nequit, alioquin esset uni par & impar; atqui Animæ, vel Angeli durationem anni modo plures, modo pauciores seu commensione, seu proportione, sed vera, non ficta metiuntur; verè etenim tot annis quot ab orbe conditio numerantur, Angelos extitisse, hodieque plus quam heri dicuntur: existentiam igitur vel auctam, vel protensam, aliqua certè ratione mutatam concedere necesse est; neque enim è temporis, sive mensuræ augmento, rei quæ metienda proponitur, incrementum accedit. Neque mirandum est si corpus, & incorporeum, licet inter se plurimum differant, durationem fluxa conveniant. Hæc enim Enti qua non necessarium est, priusquam in differentias sectum appareat, proprietate summa tribuitur. Neque jam Modum antea negatum corpori, incorporeoque concedimus, qui de aliquo utrique communi priusquam huc ventum est non tractavimus: Modum autem istum negare nullo modo licet. Nam extraneum quodcumque haud tantum ut ineptum adhiberi non debet, sed aliquando adhiberi omnino non potest. Nam si Angeli ante mundum creati fuissent, id quod olim Authores multi, magnique factum putarunt, neque reliquis impossibile factu videtur, plus certè durassent licet temporis accessione corporei caruissent. Quid quod eosdem paulo, vel multo ante Mundum conditos haud vane cogitare licuerit? Tamen quid inter parum, aut multum intersit, extranea mensura nulla distinxerit. Tempus enim quod imaginarium vocant, cum nihil sit, illius quod est, mensura fingi quidem potest, esse non potest: sed neque illud absque fatuitate confingerent manifesta, nisi rei plus, & minus durationis inesset, cui metiendæ tempora formarent inæqualia. Entis autem necessarii existentia incommutabilis nequicquam obtenditur, hanc etenim tempore nec ficto, nec vero metimur, quippe cujus durationi nullus annorum numerus exæquetur; quæ in una existendi necessitate simul, & semel sempiternum esse complectitur, ideoque non ampliùs hodie, quam heri duravit, quandoquidem existendi necessitatem quam heri possedit ad tempus hodiernum, & omne, atque ultra tempus omne, quod infinitum haud esse posse docebimus, extendatur. Existentia verò quam

Ange-

Angelus heſterna die habuit ad hodiernam, cùm priùs deſinere queat, neceſſitate ſui nulla porrigitur.

§. 58. Quocirca Duratio non eſt merum Eſſe, ſed magis Eſſe, idque inſuper & Perfectionis Notione colligitur. Nam & permanſura diu citò vaneſcentibus perfectiora dicuntur; quodque entitate perfectius eſt, id plus Entis, ſive amplius Eſſe obtinere cenſetur; quare quod alius hac phraſi vulgari dixiſſet, quò perfectior evaſeris, eò proprius ad Deum acceſſeris, Auguſtinus ſubtiliore ſic effert, *Si magis, & magis eſſe volueris, ei quod ſumme eſt propinquabis.* Præterea quod agit, aut patitur, quò plùs durat, eò amplius agere, & pati poteſt; agendo dat Eſſe, neque dat quod non habet, plus igitur dando amplius habere cognoſcitur: patiendo vero ab agente affectionem ſeu quoddam eſſe recipit, pluſque recipiendo capacius eſſe colligitur. Sed qualenam hoc Entitatis, ſive Exiſtentiæ incrementum, quo res exiſtendo diutiùs magis eſt? Certè non eſt Ens aliud adjunctum, neque enim aliquid in ſe magis eſt, quòd aliud cum illo, aut in illo ſit, ſed ex utroque aliquid alterutro majus conſtruitur. Quare neque Duratio, neque ulla perfectio velut Ens diſtinctum à re quæ perfectior evadit, cogitari poteſt; nam quod ipſum perfectius eſt, illud ipſum magis eſt; ac proinde per accidentia à ſubjecto diſtincta, contra quam vulgus exiſtimat, nihil perfectius evadere, ſeu magis eſſe conſequitur. Quodque ad Durationem attinet, ea ſi ab Entitate diſtincta foret, explicari non poſſet quo pacto modò brevis, modò longa eidem Entitati nullatenus auctæ congrueret. Sed nec qualecunque augmentum foret idoneum, cùm in pari duratione magis, aut minùs eſſe liceret, veluti plus aut minus ſcientem evadere, & volentem, Plus igitur ipſius *Eſſe* non tam fixi, ſed fluxi durando obtinet. Id quod in ipsa rei contingentis notione concluditur, quod quia ut ſemper exiſtat neceſſe non eſt, heſternum, hodiernum, & craſtinum eſſe non ſimul poſſidere, ſed deinceps accipere, idque ei proinde lapſu quodam à præterito per præſens in futurum affluere cogitandum eſt. Quocirca ſubtiliter pro more Boëtius, *tantùm Divinum Nunc*, ait, *ſemper perſeverat, nam noſtrum ſemper fluit.* Nec quia cogitationes, aut quæcunq; proprietates aliæ ab aliis profluant, idcirco *Nunc* noſtrum fluere dicendum eſt. *Nunc* enim noſtrum quod fluit, eſt Duratio noſtræ ſubſtantiæ, quam perceptionum, aut motionum ſucceſſio quâ carere poterit, explicare nequit; nedum quia ſimul cum tempore externo quod fluit exiſtit, nam & hoc faciliùs quam illis carere poterit, & cum hoc etiam *Nunc* Divinum exiſtit, neq; tamen inde fluxionis naturam, aut nomen accipit. Neque etiam *Nunc* noſtrum fluere dicendum eſt, quia *ipſius Eſſe*, & *non Eſſe* ſucceſſioni obnoxium eſt, niſi aquam ſtagnantem nunc fluere dixeris, eo quod ejuſdem quieti fluxio ſuccedere poſſit, quietemque aliquando præ-

De lib. arb. c. 8.

l. 1. de Trin.

præceſſerit. Neque exiſtere, & reipſa deſinere fluere eſt. Nam ſi momenta fingantur quæ ne cogitando quidem ullatenus dividi queant, reſque uno ſolo ponatur exiſtere, Mens quidem Eſſe, & non Eſſe videt, fluxionis effigiem nullam videt. Deinde res ipſa ut exiſtens aut fluit, aut ſtat: ſi fluit, nil tamen per non exiſtere cogitari poteſt fluere ut exiſtens: ſi ſtat, præſens non tranſit in præteritum, atqui non Auguſtinus, ſed & res ipſa teſtatur, *Si præſens ſemper eſſet præſens, nec in præteritum tranſiret, non eſſet tempus, ſed Æternitas.* Nihil enim eſſet, quo nunc potiùs quàm ſemper exiſtere cognoſcatur. Quare Exiſtentiam, ſive Entitatem ipſam fluentem ponere neceſſe eſt. Res igitur, inquies, alia hodie eſt, alia heri fuerit, neque enim ſibi ipſi res una ſuccedit. Accidentaliter aliam concedo, ſubſtantialiter nego. Neque tamen idcirco accidens à ſubjecto diſtinctum obtrudimus, quod tum alibi generatim, tum hoc loco ſpeciatim rejecimus; reſque una ſimplex duplici Notioni ſubjecta, modo Accidentis, modo ſubſtantiæ nomine indicatur; velut in Extenſione quidem *Eſſe* corporis ſubſtantiale, in figuris autem, & motibus accidentale poſuimus; figuram tamen, aut motum ab Extenſione ne mente quidem, nedum reipſa diſtingui poſſe docuimus; atque ut Extenſionem corporis ſubſtantiam dicimus, figuram, & motum Accidentia eò quod ſine his vel eſſe, vel noſci poteſt, abſque illa non poteſt; ita exiſtere, vel eſſe ad Entis ſubſtantiam pertinet, perſeverare non pertinet.

l. 11. conf. c. 14.

§. 59. Sed qualis nam ſit ipſius Eſſe perſeverantis, quam diximus, fluxio, reſtat exponere. Quæ vox cum à motu ad Durationem tranſlata ſit, haud aliunde commodiùs explicationem ejuſdem quam à motu, velut è vicino petendam arbitror. Non quò vel corporis Duratio in motu ſit, quod ſine motu parum, multùmve durare, & cum inæquali æqualiter durare queat; nam res per horam exiſtens velociùs, aut tardiùs, ideoque plus, aut minùs moveri poteſt; ſed quia Prius, & Poſterius quæ Durationi ſunt propria, in re motâ, ſic tanquam in imagine viva reluceat. Corpus enim dum ſeriatim alterum tactu percurrit, ad diverſas attacti relatum partes ſeipſum anteire & ſequi videtur. Sic autem anterius ſeipſo, aut poſterius evadere, non eſt Exiſtentia, vel Entitas nuda Corporis, quæ vel ſine ullo, vel cum alio motu poſſit exiſtere: neque tamen res alia, cum idem ſit quod modò quieſcit, modò hoc, vel illo motu cietur; res igitur eadem, ſed aliter affecta; alio autem affici modo patet, quandoquidem res mota majori, quieta æquali parti reſpondet, motuque vim alia movendi, quâ prius carebat, obtinet. Quæ quidem hanc rei ut motæ ſeu fluentis effigiem cogitanti proponit, ut corporis unius applicatio non una, ſed repetita continuò videatur. Sic etenim tres palmos applicatione ternâ meritur unus, & vis movendi librilis ter accepta, ſeu triplò velociùs mota, virtuti trilibri æque pollet. Corpus autem

Fluxio rei durantis motionis exemplo declaratur.

sic affici à seipso non habet, sed motore, quippe quod inertia nativa, seu potentia mere passiva torpeat. Denique motor pro diverso conatu facit, ut mobile plus, aut minus tangat, & moveat. Ista nunc quemadmodum cum duratione consentiant, videamus. Quam nec in existentia pura, nec in ulla re distincta sitam apparet; nam potest esse, nec diu esse; parumque, aut multum sine motu esse; & diu esse, est aliter esse, cùm amplius agere, & pati queat, ac proinde ipsum plus est, quod per aliud esse adjunctum explicari nequit, idem itaque, sed aliter affectum est: & quia durando sic aliter est, ut cum idem triplo diutiùs est, triplo ampliùs agere, & pati queat, vel tribus ei virtute, & capacitate paribus triplo minùs durantibus exæquetur, haud alia facile locutione duratio clarius exprimitur, quam si ejusdem existentia continuo iterata, eademque fluens quasi sibi succedens nominetur. Jam vero quod ita est ut possit non esse, ei haud repugnat non existere. Non autem existens, idem & non Ens, aut nihil est; Nihil autem nil potest, ideoque se ut sit determinare non potest: Creatori ergo haud minùs existentiam, quam motori mobile motum debet. Quoniam verò per quod nunc aliquid est, per idem eodem modo se habens postea non existit, sed illud renovatum, sive iteratione mutatum, vel iterum datum accipit; inde liquet nostrum esse non modo quia aliquando non fuit, sed & quamdiu, & qua est precarium potius, quam proprium existimandum esse, ut permansio æque sit donum, ac inceptio, sed hæc semel, illa sæpius datum; neque ea tantum ratione, quam alibi proferemus, quod in Creatore non sit creavit, aut creabit, sed unum immobile: Nunc creat, ac proinde jus nullum in creatura sit positum quod nunquam translatum aut datum, sed dari continuo intelligitur; verumetiam quia rem creatam esse nunc haud magis exigit fuisse, vel fore, quam *non esse* postulet existentiam. In quo duratio à motione, ut à nobis procedere solet, discrepat. Nam mobile è manu projectum vim acquisivit irrevocabilem quatoties, seu spatio tanto cognoscitur applicandum; aptiusque cum mobili necdum è manu pro arbitrio moventis, aut sistentis elapso confertur, eo tamen discrimine quod manus simul cum mobili moveatur; Creator autem existentiam novando creatam, ipse non novus existit, sed idem, itidemque persistit. Ex qua renovatione sequitur, ut diutius vivere, sit veluti sæpius revivisscere, & conservari sit quodammodo resuscitari, nam *fuisse* præteriit, ideoque non tam possidetur servatum, quam recuperatur amissum. Quanquam enim alterum interruptam, alterum perpetuatam significet existentiam, utrumque tamen eandem pariter iteratam, & æque sine debito retributam indicat.

Creati à Creatore dependentia maxima.

§. 60. Jam vero licet duratio in conservatione, sive productione continuo

tinuò repetitâ, sit posita, hæcque rei durantis existentia mera, quippe cui vel semel, vel sæpius esse liceat, contineri nequeat; non tamen idcirco Modum ullum actionis, quo existentia pura taliter à tali causa procedat, nedum Modum illum distinctum, quo res effecta ab efficiente veluti filo medio suspensa, & religata videtur, fingimus; quem alibi ut ignorum, minimeque necessarium universum jure rejicimus, hoc autem loco veluti prorsus ineptum adhibere non possumus; nam & ipsa rei Entitas prout ab actionibus, aut durationibus distincta cognoscitur, earum paucis, aut multis prout diutius fuerit, exæquatur; id quod nisi aliter ipsa sit, nequit intelligi. Ipsa vero ut aliter sit, sive diutius existat alio decreto conservatoris efficitur, haud secus ac Motoris diverso conatu, alius, atque alius Mobili motus imprimitur. At duratio longa, vel brevis dicitur, longitudo vero extensio est, ecquis autem Extensionem Incorporeo, penitusque in extenso concesserit? Iteretur, ut lubet, Angeli Existentia, ea tamen cum inextensa sit, vel millies repetita non crescit in longum, alioquin è punctis in extensis, quæ Mathematica vocantur, conflari posset Extensio, quo nihil à ratione longius abhorrere docebimus. Tum si Angelus existentia renovata fit longus, quid ni & latus, & crassus evadat? Sed hæc perinde Modum à subjecto distinctum, atque indistinctum impugnant, quandoquidem haud minus repugnet inextensum extensione imbui, quam extendi, nam extensioni quam recipit coëxtensum intelligi necesse est. Ex his fateor, evidenter infertur, Angelis Duratione longa, ex eo Extensionis genere quo inextensi dicuntur nihil accrescere, quibus tamen aliquid quod longum vocari queat haud negem accidere, id enim è sermone, & sensu communi didcimus. Quale sit, è motu qui Durationi cognatus, & cognitu promptus est colligendum. Undenam breve longo commensum nisi longius effectum cogites? res autem quà mota longiori congruit, ipsa ergo quodammodo prolongatur. Neque tamen idcirco aratrum ut è ligno, & ferro compactum, sed quà motu protractum longius apparet, neque aliter per motum extendi videtur, quam quod idem velut iterum, iterumque applicatum partes agri citeriores, atque ulteriores seriatim attingat. Porro quod citra, & ultra positione fluxa statuitur, id ei quod per Ante, & Post ducitur mirè consentit. Vtrumque enim tam citra, & ultra, quam ante, & post præcessionem quandam, & consecutionem indicat; in utroque idem iteratum, alterum quidem applicatione, alterum autem productione continuò redintegrata cernitur. Vtriusque ire, non stare, non hærere sed pergere, & prorsum tendere: Vtrique igitur protensio quædam, aut porro tendentia, sive in posteriora tendentia convenit. Hæc autem longo magis, uti patet, quam lato, aut crasso respondet. Cæterum

l. 1. n. 23. & 27.

Quo sensu Duratio brevis, aut longa?

l. 5. n. 2. 3. &c.

terum longitudinem hanc fluentem, ut à fixa quæ corpori propria est voce discernas, huic extensionem, illi protensionem dum in istis versamur, tribuas; alibi protendi, & extendi promiscue ex usu communi dixeris. Minimè verò mirum si in argumento à vulgi captu semoto, verborum inopia quæ conceptionum vulgarium Notæ sint, laboremus. *Pauca sunt enim*, ut Augustini in hac ipsa re verbis utar *quæ propriè loquimur, plura non propriè, sed agnoscitur quid velimus.* Nam verba sapientem monere potius, quàm docere censentur, Apud quem ad sciendum amplius possunt, quam vel ut à loquente probato, vel ab instituente signata valeant. Num autem propterea plus audienti significent quam alii velint, aut nôrint, id eos qui vociferari de verbis, quam Philosophari de rebus malint, è vi vocum ambigua jam pridem ancipite Marte committit. Cæterum de Gigante longævo Philosophus sermocinantes audiens, quicquid isti sciant, aut sciri velint, quæ longæ staturæ, & ætatis longæ discrepantia sit, & convenientia non nescit. Hanc protensam in posterum, illam extensam in altum cogitat; alteri unitas iterata fluit, in altera multiplicitas cumulata manet; utrinque prius & posterius qua successionis ordine, qua positionis elucet; neque magis staturæ longitudinem partis unius applicatio iterata metitur, quam ætatem longam rei unius productio renovata declaret.

l. 11. conf. c. 20.

§. 61. Duratio porro cum sit existentia aliquoties producta, momentum erit, ejusdem una productio. Pariterque de Momentis in tempore, ac de punctis in corpore censendum est. Quare si additione puncti penitus inextensi, linea nihilo magis extenditur; neque per momenta quæ nullo modo protensa sint, in posterum protendi quicquam poterit. Namque universim cujusque generis incrementum, ex illius, cui aliquid generis ejusdem insit, additione fieri infra docebimus. Quo igitur jure postea Atomo cuique minimæ extensionem, sine partium vel divisione, vel distinctione daturi sumus, eodem nunc itidem momento cuique brevissimo protensionem quandam in prius & posterius, ratione, non re distinctam damus. Atque adeo punctum corporis, aut temporis nec à mente dividuum, notioni tribuimus non naturæ; Ens enim nullum tam minutum existere dicturus sum, quin Mens in eo capacitatem quandam, & amplitudinem, atque, ut ita dicam distensionem, inveniat. Ex qua distensione patebit, cur Enti uni, adeoque simplici, & reipsa diversa, & verbo tenus etiam adversa conveniant. Protensione verò illa, qua quid ante, & post esse cognoscitur, vel ea quæ reipsa contraria, penitusque pugnantia sunt non recusat, Id autem neque à Modo distincto inhærente, nedum à tempore externo comitante, sed ab existentia noviter emergente deducitur. Neque enim colliduntur

l. 5. n. 3. ibid. n. 21.

Cur in eadem re, sed tempore diverso contradicto ria non pugnent.

liduntur adversa nisi concurrant, neque volitio cum nolitione concurrit, quando altera in existentiam veterem, & præteritam: altera in præsentem, & novam incurrit. Nam quod erat, non est; quia quod est, novum est, & ab eo quod fuit aliud est, licet accidentaliter tantum, non substantialiter aliud sit; hæc enim penes minùs, & magis, vel commutabiliter, & incommutabiliter aliud esse, non quoad esse aliud verè, & fictè differunt; Quocirca cum tam vere nunc res alia, & nova sit, licet non tam alia, & nova, quam si substantia nova esset; tam verè in diversa cadunt quæ rei præsenti, & præteritæ tribuuntur, ac si in substantias diversas inciderent, utrobique proinde concursus pariter, & pugna tollitur. At verò Ens plane idem, non novum est, tametsi novus ei vel motus affluat, vel modus influat, in eodem igitur adversantium concursus, & conflictus existeret. Nihil enim in mente distortius fingi potest, quam ut Ens per aliud quod adsit, aut insit, ipsum aliud aut aliter esse fingatur. Sin autem Entitatem ipsam per productionem iteratam, non tam novitate affectam, quam novam effectam intelligas; eam velut in integrum restitutam cogitas, ut acta rescindere, probata refellere, quod noluit, velle jam possit. Quoniam vero novitas hæc non est mutatio tam magna, ut res plane diversa, atque alia substantia censeatur emergere, haud perinde se habet ad omnia, ac si prius omnino non fuisset, sed licet negandi quod dixit, volendi quod noluit potens sit, minus tamen ad negandum, ac nolendum prona sit: ut bene, aut male fuisse, ad melius aut pejus fore disponat.

Cur duratio longior sit, perfectio major.

§. 62. Sed juvat ultra perquirere cur duratio longior, perfectio major existimari debeat. Quod quidem si diligentiùs inspexeris, id magis intelligentiæ communi innatum, quam è sententia communi probatum inveneris. Nam si duratio sit existentia nullo modo intrinsecus variata, sed tantum extrinsecus ad corporum motus cogitatione, relata; ecquid illis, quæ nihil motibus corporeis è sublimitate naturæ acceptum referunt, existendi apportet diuturnitas? Neque etiam anima nostra pluribus deinceps impressionibus objaceret, nisi aliter, uti superius ostensum est, nunc, & deinceps affecta est. Fallit enim obsoletum rupis exemplum, quæ fixa affluentes undas excipiat; neque enim rupes eo loci sita est, mere qua saxum est; neque etiam ex situ, sine mora fluctus paulatim advolutos excipere, nam si prius desineret, ictus evaderet. Quare quo exemplo existentiam nudam tueri contendunt, eo dupliciter modificatam per situm, & moram exhibent. Quod si existentiam modo distincto induant, imbuantve, res ipsa nihilo magis est, seu perfectior est, quia aliud ei circumjectum, aut injectum est. Sin autem Ens ut novum, atque in seipso consideres integratum, in eodem potentiam redintegratam, idemque denuo ad potiendum expositum, ad

agendum accinctum cogitas, ut & perperam facta reficere, & bene inchoata perficere queat. Et pravi quidem correctio, quæ per affectionem contrariam accidit, in rem ut eadem est cadere nullo modo potest, ne idem secum pugnet, sibi contradicat, atque Oppositio absque distinctione contingat. Res autem per Tempus quod respicit; aut Modum quem recipit alia non fit, quia Entitas ipsa eadem omnino permanet. Ipsum igitur reproductione novatum, atque alterum factum intelligi necesse est, quod tam verè, non fictè diversum existere, quam si substantialiter aliud esset, ostendimus. Unde Enti necessario quod semel est, ideoque novum esse nequit, contrarii nihil advenire consequitur; immo nec aliud quicquam, quia quà necessarium est id quod est simul, & semel, & semper est. Quod vero ita est, ut possit aut nunquam, aut semel, aut sæpius esse; ei non modo ut totum simul habeat, aut contraria nunquam habeat, necesse non est; sed & plura deinceps in genere eodem, vel diverso, vel adverso potest habere, atque adeo vel omnia quæ contraria non sunt ab initio agere, aut pati, aut habere non potest. Ac postremum quidem, nam cætera patent, in ipsa contingentiâ reperitur inclusum. Sic etenim contingit esse, ut nunquam non desinere aptum sit, ideoque Ens ipsum iterabile, & fluxum esse probavimus; quod autem tale est, illud eo magis esse noscitur, quo longius fluit, & sæpius iteratur, magis autem esse citra majorem agendi, vel patiendi potentiam fingere non licet, nisi vanum esse, & futile comminisci libeat. Quod igitur diutius est, id plura vel agere, vel pati potest, tum si utriusque sit potens, ei utrumque pari jure, atque alterutrum adjudicari debet: sane cum Mobile quo crebrius per motum applicatur, eò vehementius premere, & premi constet, haud minùs certè ab existentia redintegrata, quam applicatione fieri putandum est.

Unde Angelus longiore, quã dici soleat, viâ ad perfectionis metam appulisse colligitur.

§. 63. Quare si Ens quà fluxum est, fluxione plus est, ideoque plus potest sive paulatim adolescit, *virescque acquirit eundo*; quid causæ sit, ut Angelos ad metam brevi duorum aut trium momentorum spatio Authores haud contemnendi perducant? Primo gratiam, & meritum, secundo gloriam assignant: vel gratiæ, meritique augmentum in secundo reponunt, gloriam in tertium differunt; vel denique malos in primo gratiâ & merito cumulatos, in secundo culpâ contaminatos, in tertio pœnâ mulctatos statuunt. A quibus tum alia quædam, tum quod huc spectat præcipuè, momenta perperam constituta; quæ non existentiæ productæ, ut par fuerat, sed affectionis elicitæ, vel receptæ, novitate distinxerant. Verùm ex iis quæ dicta sunt, paria Incorporei, & Corporis momenta probantur, cum utrumque pariter Ens ab alio & sub alio sit, ac proinde utrique par iter prout Creatori libuerit, longum *Esse*, vel breve, vel nullum accidat. Quoties ergo cor-

corpus, toties & incorporeum, eâ morâ, quam motu metimur horario, reproducitur. Productiones autem esse quam plurimas inde conficitur, quòd rem etiam ut motam velocissimè, haud sæpius ut applicatam, quam productam iterare liceat; ne eidem ut eadem, non nova & pugnantia; sive hîc, & ibi; citra, & ultra esse conveniant. Quibus igitur passibus viam peragant, quali spatio ad metam properent, & maturitatem acquirant vides. Quod brevius quidem esse non difficeor, quam si corporum tardè venientium impressione multiplice matureſcerent; sed tribus existentiæ ter productæ momentis inclusum, ecquid asserere cogit, aut suadet? Nisi fortè putent Angelum omnia simul circumspicere, eique proinde cur mutet consilium nihil occurrere. Cæterùm licet eorum animis, ut oculis nostris prospectum montes oppositi non eripiant, facultatis tamen infirmitas obstare poterit, cui ut fluxæ plura deinceps, non omnia simul videre congruit. Voluntatis enim idstabilis existentia cum propensione flexili conjuncta est (*Operari enim*, ut dici solet, *sequitur esse*) Quæ tum demum inconstans, & proprie flexilis censeri potest, cùm ex iisdem, itidemque propositis aliorsum lubrico flexù vertitur. Nos quidem certè licet eadem videamus, alios aliter volumus, nisi nostro de nobis ipsis sensu fallimur. Idque nobis Dominationem in mentem, non delectationem in corpore affectantibus, id est, quà Angelis cognati sumus, accidit. Et *fit pro ratione voluntas* nobis ipsi frequentiùs blandiendo, quàm aliis imperando dicimus. Nam sua cuique placet arrogantia, quâ vult quia vult, ac si rem volendo bonam redderet. Voluntas enim semper in bonum fertur; peccando vero in illud quod malum esse novit, alioquin immunis culpæ foret; ergo quod eligit, velut in bonum electione mutandum apparet. Hoc scilicet est peccantium bonum apparens, quod quia arrogantiâ magis quam ignorantiâ confictum, ab Angelorum indole non abhorret. Ad divinæ voluntatis hoc fastu decus aspirant, cui quæ placent, & quia placent bona sunt. Quare licet haud amplius nossent; tamen aliter, quia libêret, velle possent; tametsi quod continuò novum existit, ei tum velle novum, tum nosse congruit, quod utrumque adultum. ideoque statum censeatur adeptum. Sed cui potentia per iteratam accrescit existentiam, illius incrementum cur iterum aut tertiò existendo finiri putem? An quia species omnis à principio simul infunditur, vis omnis utendi simul expromitur? An quia ad agendum motu non egerit, idcirco nec moram ad deliberandum requirunt? Plura quidem menti liberæ, quam corpori astrictæ simul occurrunt. Sed multa in posterum occursura supersunt. Vis enim cogitata nova vel recipiendi, vel certè suscitandi per existentiam multiplicem multiplicata cognoscitur: Cui Entitas fluxa est, illius è vestigio voluntas in bono, malove fixa non est. Esto spatio ad pœnitendum immane quorundam scelus indi-

Unde & quomodo voluntas flexilis.

indignum, num culpa par omnium? vel si malis pœnæ vitandæ, an & bonis præmio cumulando tempus negas? Id quod etiam vel horum constantiæ, vel illorum pervicaciæ explorandæ concesseris. Prius quam ad Evam unus decipiendam accederet, de ullius casu nil certum habemus. Quibus ergo dierum aliquot spatia laxare fas sit, eos trium angustiis momentorum arctè constrictos tenes. Sed de his hactenus.

§. 64. Sequitur ut Durationes explicatâ, naturâ, ejusdem nomina exponamus. Quæ quia ab illus fabrica sunt, quibus ejus natura parum perspecta fuerat, propterea ut apte quadrent, inflexione nonnullâ, indigent. Alia quidem est entis Duratio non necessarii, alia autem necessarii. Hæc per existentiam eandem stat, illa per novam labitur. Existentiæ igitur stabili Æternitatis, labili verò temporis nomen dabimus. Lapsio autem seu fluxio vel cum renovatione merâ existentiæ, vel cum alterius aut affluxione, aut defluxione contigerit. Neque enim necesse est ut Incorporeum, aut corpus etiam quod immotum manere potest, novi quippiam momentis singulis patiatur, aut agat. Quamobrem ubi existentia mera cognoscitur renovata, illic Ævi vocabulum usurpetur; ubi aucta præterea, vel diminuta, ibi Ætatis nomine uti licebit. Ætatis enim incrementum est, atque defectio. Temporis ergo, sive Entis ut productione Durantis iteratâ, differentiæ sunt Ævum, & Ætas. Quoniam verò augeri quidpiam atque diminui vel per partē distinctam, vel per Modum agnoscimus indistinctum: Ætatis mox Notio duplex apparet, nomina verò bina non suppetunt. Cæterùm spiritualia quia Modis tantummodo, Corporalia verò, & quæ Corporibus affixa sunt, partibus insuper extenuata, & exaggerata cernuntur, Ætatem alteram Spiritualem, alteram vocabimus Corporalem. Nihil autem est cur ultra in Duratione Temporis dissecanda pergamus. Æternitatis vero Duratio quæ existentiâ necessariâ continetur, haud aliter atque existendi necessitas discriminatur. Quam vel absolutam, & innatam, vel secundum quid, & participatam recipiemus. Priorem Deo simpliciter æterno, posteriorem omnibus quæ Deus in æternum conservare decrevit dabimus. Nam quia numerum omnem tam in potentiâ quam actu infinitum, eodem jure Chimæris aggre-
l. 5. n. 47. gabimus, ideoque & tempori quoque possibili, sive reproductionum, aut mutationum quarumlibet multitudini finem ultimum assignabimus; propterea hunc terminum prætergressis, statum quendam immobilem in quo neque in proprietatibus, neque in existentiâ ipsâ successio sit ulla, tribuere necesse est. Atque hoc nimirum est momentum illud Æternitatis immensum juxta, ac individuum, tempore omni posterius atque capacius, quod res quæ nunquam desinet tandem assequitur, in eoque absorpta existentiam adipiscitur necessariam; seu per hanc potiùs momentum illud constituitut, in quo

Tempus in ævum & ætatem duplicem dissecatur. Æternitas duplex. Motus temporis externa mensura, Tempus externum est non tamen idcirco cogitatio tempus metiens Tempus dicitur.

quo vel existendi necessitas comprehenditur, vel idem posse simul esse & non esse conceditur. Ac genera quidem varia Durationum, nominum, quoad licuit, varietate distinximus. Durationes autem omnes præter Æternitatem duplicem, generali temporis appellatione notavimus. Cæterum quia Tempus non modo Durationem ipsam, sed & ejusdem mensuram significat (namque existentiæ omnis quæ æterna non sit permansionem, tempore metiri solemnus) de hac mensura nonnihil dicendum supereſt, quam ad motum oppositè revocamus. Est enim Reapplicatio tum Reproductioni similis, tum scitu facilis si sat constans fuerit, cunctisque conspicuus; quas ob causas motu solis utimur, eoque magis quòd rerum & Durationes pariter, & mutationes indicet. Mutationes autem quò meliùs innotescerent, annum ex utriusque tum solis, tum lunæ motibus complicatum, nationes aliquæ texuerunt. Motus autem ipse Duratio non est, seu tempus internum, uti supra probatum est, sed tempus externum velut interni mensura conspicua appellatur: Anni vero Dies, & horæ motus solaris, sive temporis externi segmenta sunt. Neque tamen hora est qualis qualis per tantam plagam cæli transitio, quippe quæ mora breviore, aut longiore posset accidere; sed talis seu cum rata velocitate transitio: neque velocitatem hanc ab hoc motu particulari, sed à generali tantum cogitando distinguimus, ut temporis externi quod in tali per spatium tantum motu situm est, mora à motione non discrepet. Jam vero ex motu notionem moræ formamus, alteramque in animo mensuram temporis fabricamus. Ipsa tamen Tempus dici non potest, hoc enim labitur, & præterito, præsente, & futuro concluditur, illa manere, & tota simul præsens esse potest.

Mora motionis est motio ipsa, non Modus illius.

§. 65. Quare si numerus cognitionem significat numerantem, Tempus non est *Numerus motus secundum prius, & posterius*, Notitia quippe prius & posterius numerando complectens, sive præteriti recordatio, præsentis contuitus, expectatio futuri, simul in mente possunt esse; neque si cogitationes aliæ aliis affluant motionem in illis, aut rerum quæ extra sunt tempus, aut fluxio continetur, quam cogitando non facimus, sed spectamus. Sin autem Numerus numerata significet, mox de iisdem loquentem illaqueat implicata verborum ambuiguitas. Nam prius, & posterius non est, sed hoc erit, illud fuit; tempus autem est, alioqui commentum inane videtur esse, tempus igitur multitudo non est, quæ secundum prius, & posterius numerari possit. Tùm quod est, id momentum est, ideoque non numerus, sed unitas est. Tempori quoque longitudo tribuitur, quæ nec præterito, nec futuro, quæ non sunt, ac proinde nec longa sunt, convenit; neque etiam præsenti, quod extensionem aut moram, vel nullam habet, vel brevissimam. De his quidem copiosè, & eleganter, sed dubitando potius, quam definiendo disserit Augu-

Quomodo Tempus sit Numerus, & Augustino de tempore dubitanti satis fit.

l. 11 conf. à cap. 10. ad c. 31. Augustinus. Versat se in omnem partem, sed ubi consistat haud invenit. *Video, ait tempus quandam esse distensionem, sed video, an videre mihi videor.* Alibi vero, c. 23. *Tempus metior, scio, sed non metior futurum quia nondum est, non metior præsens quia* c. 26. *nullo spatio tenditur, non metior præteritum, quia jam non est. Quid ergo metior, an prætereuntia tempora non præterita? hoc enim dixeram.* Tandem in animo tempus re- c. 27. condit. *In te, anime meus, tempore metior, in te, inquam, affectionem quam res præ-* c. 28. *tereuntes in te faciunt, & cum illa præterierint manet.* Atque ad affectionem quâ expectat, attendit, & meminit, temporis incrementum, & distensionem revo- c. 29. cat. Ad extremum se temporum ordinem nescire fatetur. Nempe illum existentiæ, applicationisq; iteratæ fluxio latebat, sententiamque de rebus è sermone quærentem verborum vis lubrica, & obscura fallebat. Moram quidem temporis à motu distinxit, sed quid esset mora, quid ipsum diu, nunquã c. 25. expressit. Num rei, num verbi, num utriusq; laboret ignorantiâ, dubitat. *Quomodo*, inquit, *hoc scio, quando quid sit tempus nescio? An forte nescio quemadmodum dicam quod scio? Hei mihi qui nescio saltem quid nesciam.* De re sat multa diximus, de voce sat fuerit pauca dicere. Porro vox *Est* rerum prout sunt existentiam significat, si fixa, quod simul est: si fluxa, quod per prius, & posterius est, alioqui vox deesset quâ existentia labilis notaretur. Quãdo igitur dicimus Tempus est longum, longitudinem esse prout esse potest, non autem simul esse dicimus; aliud in longum partium citra, & ultra, aliud partium ante & post ordine protensum indicat. Protensionis autem potius quam distensionis vocabulum usurpamus, quia distensio lati potius, aut ampli, quam longi suggerit notionem. Quia vero notio temporis non ipsa longa, vel multiplex, sed longitudinis, & multitudinis notio est, idcirco tempus non in mente reconditum, sed à mente cognitum dici debet. Recte quidem prętereuntia pręterita metiri nos asserit Augustinus, sive per notitiam quã pretereuntia dum essent pariebant, ea jam quando non sunt nota fieri. Nihil enim nisi vel pręsens, vel è c. 18. pręsentibus sciri statuit. *Quoquo modo*, inquit, *se habeat arcana præsentia, vel præ-* De cognitione non existentium per ea quæ sunt ex Augustini sententiâ. *sentia futurorum, videri nisi quod est, non potest: quod autem jam est, non futurum, sed præsens est, cùm ergo videri dicuntur futura, non ipsa quæ nondum sunt, id est futura sunt, sed eorum causæ, vel signa forsitan videntur quæ jam sunt; ideo non futura, sed præsentia sunt jam videntibus, ex quibus futura prædicuntur, animo concepta.* & paulò post. *Quisnam ille modus quo doces futura, cui futurum quicquam non est, vel potius de futuris doces præsentia? Nam quod non est nec doceri utique potest.* Atque hoc obiter c. 19. visum est adnotare, ut quæ supra de cognitione nostrâ tradidimus, atque infra de divinâ tradituri sumus tanti viri suffragio confirmentur. Quod non est, sciri non negat, nam pręterita & futura sciri concedit, sed per cognoscibilitatẽ propriam sciri negat; à Deo verò sciri quod nos futurum dicimus, quia ei non est futurum, asserit. Cui autem aliquid futurũ est, id ei non ex veritate objectivâ rei quæ nondum est, sed alterius quæ nunc est innotescere, Deumq;

de

de futuris docere præsentia, non autẽ ipsa futura monstrare, ut ea per res quæ verè sunt, non per objecta, seu ficta Non entiũ simulachra cognosci moneat.

§. 66. Restat una quæstio Augustini de tempore, nam reliquis per ea quæ sunt dicta responsum est. *Quis tenebit cor hominis ut stet, & videat quomodo stans dictes futura, & præterita tempora, nec futura, nec præterita æternitas?* Sto, non longius ab eo, in meipso, in hoc ipso quod ago documentum habeo. Nonne mens immota spiritus quibus manus cietur commovet, & quas motu describo literas dictat? Quinimo tempus & motus neque à tempore, & motu velut ab origine primâ fluentia, neque ad tempus, & motum velut ad finem ultimum tendentia cogitari queunt; in notione quorum intimâ prius & posterius inclusum est; similiter neque è Contingentia contingens ut tà causa prima nascitur. Nam Contingentia potest non existere, atque idcirco non existentem fingere licet, ut sic autem nihil est, ideoque nec alterius nec sui causa est. Neq; etiam Compositio, compositio velut ima stirpe nititur, ad aliud enim quod compositi membra compingat, eundum esset. Neque Multitudo à multis, sed uno deducitur. Nam quod primum est, à se est; unde interminatum esse, atque hinc & unum, & insuper simplex esse sequente libro probabitur, ad quẽ veluti muniendo viam ista jacimus. Obstat enim de causæ primæ excellentiâ speculanti vulgaris ignorantia, quâ mirantur haud pauci à stante fluentia, ab Incorporeo corpora, à summo bono non optima derivari. Nam è causis effecta, velut aquam è fonte, ideoq; similia manare autumant. Atque errorem vulgi, Philosophia vulgaris quem extirpare debuerat, dum causam introduxit Univocam, stabilivit; nam si forma ignis alios sibi similes & pares efficiat, effectis causæ non excellunt. Quare causa, quæ vocatur Æquivoca, effectis haud melior, aut certè non multo melior, sed tantum dissimilis comprobatur: Ecquid enim ad excellentiam causæ facit, virtualiterne an formaliter effecta contineat, cùm eam haud amplius quam tribuat habere postulent. Nam quòd Deum unà cũ igne simul agentem inducant, id eis non dignitas causæ persuadet, sed Theologorum authoritas, qui scripturam de Deo semper operante loquentẽ, in aliam sententiam interpretari aut nolunt, aut nesciunt: sane quamdiu cum effecto causam ullam exæquant, resq; creatas, atq; adeo corporeas ad aliquid verbo tenus è materia educendũ, re tamen ipsa è nihilo producendum adhibent, (neq; enim latentes formarũ particulas cogi, & extrahi mecum sentiunt) tamdiu de Creatore, qua rerum causa cognoscitur, nil magni, nil ampli quò creatis longissime antecellat sentiendũ offerunt. Ego vero causæ speciem haud paulo sublimiorem fabricare doceo, quàm supra effectum tã alte sustollo, ut similitudinem cum excellentia, non æqualitate conjunctam tribuam. Quod enim à causa creata fit, Modus est; quod facit, substantia modificata est: nõ motio, sed moles mota movendi vim habet, neq; volitionem cognitio, sed facultas seu substantia cognoscens parit.

11. Quomodo fluxum promanet è stabili, & de excellentiâ causæ contra opiniones vulgares.

Quod autem Enti vel ſubſtantiæ dat Eſſe, id infinitè perfectum eſſe conſtabit. Quando lignum ab igne in ignem vertitur, nullum Ens quod ante non erat emergit; ſed res, vel ſubſtantia nova dicitur procreata, quia Modis plurimùm immutatis, res tibi valde diſſimilis, & velut alia ſenſibus obverſatur. Quare cum in causâ excellentia potius, quam convenientia quærenda ſit, haud erit difficile intellectu ex æternitate quæ ſtat, temporum fluxionem inſtabilem promanare. Quamvis autem quo præſtantia major eſt, eò ſimilitudo minor eſt, nuſquam tamen effectum ab efficiente tam longè diſtat, quam aliquid habeat quod illius vel imago vel veſtigium, vel nota vocari queat, ut vel Diuturnitatis utriuſque tum fixæ, tum fluxæ moram agnoſcas.

Quænam, & quo pacto ſupra Tempus? c. 30.

§ 67. Verum & aliud quiddam eſt haud negligendum de tempore, licet illius veluti per neglectum indicando ſolummodo, non quærendo, aut diſputando meminerit Auguſtinus. Coæternam Deo negat creaturam ullam, *etiamſi*, ait, *eſt aliqua ſupra tempora*. Sed è dictis patet ſupra tempus internum nullameſſe, quoad momentum, quod diximus, æternitatis attigerit. Corpora interim, & Incorporea, quæ corporibus affixa ſunt, nec ſupra tempus externum, aut motum ſunt, quippe quorum particulæ motu diſpergantur identidem, & in aliâ rurſus aliaque compoſita colligantur. Anima vero noſtra quamdiu per motum afficitur, tamdiu tempori externo ſubjicitur; ſed quia ab eo nunquam in partes dividi poteſt, & aliquando nec affici debet, ei prorſus obnoxium dici nequit. Angelis autem niſi ob culpam è dignitate nativâ dejectis, tempus externum nec afficiendo quidem unquam imperat. Quinetiam nec in tempore externo ſunt, niſi quà motum efficiendo in illud dominationem exercent. Namque ut in loco manere cenſetur quà corporis motum reprimunt, ita per loca moveri, motuque tempori commiſceri dicuntur, quà corpori motum imprimunt. Motioni quippe omni, mora, ſeu tempus ineſt, quamvis una præ cæteris ut aptior ad moram declarandam, in temporis nomen invaſerit. Atque hæc de rerum ſeu neceſſitate manentium, ſeu reproductione, vel reapplicatione contingente fluentium duratione, fuſius dicta ſunto. Exile quiddam, & jejunum fuiſſet, in id unum operam contuliſſe ut Modum à ſubjecto diverſum, ne multiplicarentur Entia ſine neceſſitate, è parca recentiorum lege rejicerem. Modum quidem & neceſſarium, ſed non diſtinctum evicimus, & quod ſcitu dignius, qualis ſit, quamque vim habeat, ut non tantum ex nomine agnoſcatur, oſtendimus. Quid porro è mora, motuque hactenus explicatis ad rationem occultam Stateræ, vel vectis proferendam in medium elici poſſit, diligenter in Staticis perſcrutabimur. Nunc ad majora tendimus, atque à corporis, & Incorporei contemplatione provecti, ad Deum naturæ univerſæ principium, Incotporeæque faſtigium gradatim eniſi conſcendimus.

LIBER

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 183, Stück 1, [148] - 140
PUBLIC DOMAIN

LIBER TERTIUS,

DE

DEO.

§. 1.

EX iis quæ conſpicua ſunt, Dei licet inconſpicui notitiam adepti ſunt, Apoſtolo teſte, Philoſophi. Quam viam ingreſſi, eò pervenire potuerint, inveſtigabimus. Ac primo quidem aſpectu rerum exiſtentia, motus, ordo diſtinguitur. Iſta quid de Deo nos doceant videamus. Cum Deum dicimus rem quandam ſummam, quâ nihil majus cogitare poſſimus, intelligimus. Hæc Deum inquirentibus notio vulgò proponitur, ſed ad vulgi captum depreſſa, non ad Philoſophiæ, & fidei normam exacta videtur. Sublimiùs enim de Deo, Philoſophi ſaltem Chriſtiani ſentiunt, cui perfectionem undique infinitam, nulliſque omnino terminis circumſcriptam attribuunt. Quod autem cogitationis noſtræ excedit angustias, non continuo reipſa infinitum, nulliſque omnino limitibus aliunde circumdatum arbitramur; cum alteri cuipiam menti tametſi finitę, amplius aliquid, quam quod noſtra capiat, cogitatione complecti liceat. Rem igitur eâ infinitate præditam, ut finem nec mens noſtra patentem videat, nec ipſa alicubi latentem habeat, ex rerum exiſtentia ordiamur inquirere.

Deus eſt quid infinitè perfectum.

§. 2. Ac de rerum multarum exiſtentia ita conſtat ut dubitare de eâ, ut maximè velit, nemo poſſit. Unde hæc omnium mentibus infixa perſuaſio tam altè radices egerit, ut evelli nequeat, nihil attinet hoc loco diſſerere. Animam quidem ſeu percipiendi vim exiſtentiæ propriæ ex eo quod ſentiat, & intelligat conſciam eſſe, & D. Thomas teſtatur ipſe, & Ariſtotelem teſtem adducit, & manifeſta ratio vel ſine teſte convincit. Quod enim ſentit, idipſum exiſtere quis ignorat? Quod vero quis ſentiat aut perceptionem habeat, in eo falli non poteſt, cum vel ipſum falli, ſit fallacem quidem, nonnullam autem perceptionem habere. Percipiendi igitur facultas exiſtit, eaque vel à ſe, vel ab alio. Numquid à ſe? Nequaquam. Nulla enim percipiendi facultas, quam in nobis ipſis intimo experimento percipimus, cum quid ſit à ſe eſſe probè perſpexerit, ſuum ſibi eſſe

E rebus exiſtentibus probatur Ens à ſe, atque ex Aſeitate probatur infinitas. quæſt. diſp. q. de mente a. 5. 6.

esse acceptum referet. Amplius est enim ipsum Esse, quam existendi modus, atque mutatio. Varios autem percipiendi modos, seu ipsius facultatis percipientis mutationes ab eâ ipsâ facultate sine quibusdam, quæcunque illa fuerint, adjumentis haud elici, ipsa percipiendi difficultate, studio, labore, ac præcipue quorundam percipiendorum quæ scire percupimus desperatione, atque adeo frustratione, nimiùm quam vellemus, clarè cognoscimus. Deinde quod à se est, illius esse non pendet ab alio, sed id quod est, à seipso possidet. Cujus autem esse non pendet ab alio, illud utique non limitatur ab alio ut definitum quoddam Esse, & non amplius habeat. Rem autem à seipsa limitatam, conjectisque à se sibi vinculis ne plus accipiat arctè constrictam, neque omnia circumspiciendo inveniri, neque cogitatione formari ullo modo potest. Quod etenim limitetur nihil invenies nisi id ex quo est, vel in quo est, vel à quo est progressus ulterioris impedimentum abjiciat. Nempe quod vel materia deficiat, vel spatium non capiat, vel causa amplius aut nequeat, aut nolit efficere. Quis autem vel cogitando fingat rationem ullam verisimilem qua possit intelligi, ut quod suum Esse à seipso solo habet, hoc potius quam illud, ac non omne, potissimùm quod in ipsius Esse notione concluditur, habere debeat? Nisi forte rem sibi ipsi præexistentem somniare libeat, ac sui vel incuriâ, vel invidiâ quod à se ipso accipit, accisum ac malignè corrosum accipiat. Non sic, inquies, sed ipsa rei natura restringitur, atque ad definitum perfectionis modulum limitatur. Dic igitur quando se rei natura limitat? Non cum existit, quia tum limitata ponitur, non autem proponitur limitanda. Neque etiam cum non existit, quia quod non existit, id nullo modo esse, ac proinde nihil omnino esse, supra docuimus: (tametsi idem absque doctrinâ mens nulla, perversis haud depravata principiis, naturâ magistrâ non disceret) porro quod nihil est, id nihil quicquam aut agit, aut patitur, itaque quod nondum existit, nec limitationem sui facere, aut pati potest. Sed quorundam ante oculos oberrat inane spectrum cujusdam Esse, quod nondum est, sed in statu tamen, quem puræ possibilitatis vocant, nescio quam Essentiæ umbram ostentat, quam suis à seipsa finibus terminatam statuunt; veriti, ne quòd Chimæra fieri non possit, haud absque potentiæ divinæ labe contingeret, si rerum possibilitas, & impossibilitas, non cujusque essentia, sed ipsius potentia contineretur; quasi vero non esset summè boni, pulchri, illius denique quod omne Esse possideat, atq; omne non esse procul habeat, eximium decus, quod nihil ab eo malum, deforme, postremo nihil ejusdem Esse, & Non Esse contrarietate distortum emanet, aut cum eo quod omne Esse continet non apertè pugnaret, aliquod Essentiæ genus aliunde petitum fingere. Quoniam vero præter hoc inane figmentum nil contra allegari queat, manifesto liquet nil sibi certum

certum perfectionis gradum modumque præscribere; cumque id quod à se est, aliunde quod finiat non formidet, ad omnis omnino perfectionis amplitudinem non modo quoad nostra cogitatio protenditur, sed reipsa prorsus illimitata distenditur. Jam vero cum facultatem illam qua sentimus, & intelligimus tam angustis percipiendi cancellis circumdatam, vel potius compedibus constrictam, multa dubitando, vel penitus ignorando ipsimet optimè sentiamus, quam longe ab interminata rei à seipsa sola pendentis amplitudine distet, plane perspicimus. Quamobrem à seipsa suum esse non accipit; ab alio igitur; hoc autem si à se est, erit ens illud infinitum, quod Deum vocamus; sin ab alio, certe ad illud idem quod à se est tandem aliquando conscendimus.

Infinita item à creatione.

§. 3. Immo vero in ipso primo passu ens illud infinitum assequimur. Quod enim menti nostræ dat esse, id ipsum infinite perfectum esse pronuncio. Nulla quippe finiti notio tam ampla fingi potest quod immensum illud inter *non esse*, & *esse*, nihil & aliquid intervallum superet. Si quæ longitudo vel multitudo quantumvis infinities multiplicata, alteri nunquam exæquetur, nonne ab ea infinite distare censeretur? Sane Geometræ hac regula res ita discrepare significant, ut nullam inter se vel comparationem admittant. Nihil autem nihilo quantumvis sine fine congestum acervetur, nec in minimi quidem Entis molem excrescet; plus igitur distat quam si lineam finitam cum infinita conferas, siquidem istæ licet infinita longitudinis discrepantia sejunctæ, habent tamen aliquid utrique commune, quod neutra longitudine careat. Nihil vero & Enti quid commune, quid simile, quid non summe alienum, & dispar excogites? Res, inquies, finita, & nihilo natura finita dissidet, non igitur distantia infinita; tum infinito nil additur, at in rebus finitis aliam alia majorem ponimus. Video te, in quo argumenti vis insit parum cernere. Non equidem naturæ finitæ mensura potentiam metior infinitam, cui nec res multitudine, aut magnitudine infinitas metiendæ pares, cum ex eo quod ab alio sint, omnis earum perfectio limitetur, existimem; sed modum productionis, non rei productæ modulum considerandum puto, ut rem finitam ex nihili abysso per ascensus infiniti acclivitatem, ad existendi fastigium sublatam intelligas. Qui pondus haud magnum vel tempore brevi per spatium infinitum, vel momento per finitum attolleret, plus quam finiti roboris censeretur. Neque cum spatii notionem ingero, distantiam significo duobus extremis, extensi mensuram terminantibus interjectam; sed quam immensè ipsum non esse, ab esse dissideat, metaphora cogitationibus nostris accommodata explico, atque utriusque invicem notiones comparo. Quod autem in se finitum est, cum alio

tamen

tamen comparatum, infinitè majus rectè cognoscitur, cum illud ipsum cui comparetur licet infinities multiplicatum, excedat; ita plerique qui puncta negant Mathematica, lineam quamlibet punctis infinitis majorem sciunt, quamvis alteri lineæ comparando, vel in seipsa spectando finitam esse non nesciant. Quare res à Deo creatæ, vel in se spectatæ, vel cum Creatore cellatæ vocentur finitæ; cum Nihilo vero comparatæ, eâ infinitate distant, cui nihil, etiam quam in partem vergit infinitas, id est descensu versus nihilum, liceat addere; tametsi quà finitæ sunt incrementum accipiant; quemadmodum lineam quæ tantùm in Orientem infinitè protensa fingeretur, Occidentem versus crescere non repugnet. Quamobrem quæ vis, nullius opus indiga rem à *Non Esse* ad Esse perducit, eam infinitam esse necesse est. Idque omnibus ita perspicuum, penitusque perspectum arbitrati sunt Patres, ut haud alio argumento frequentius infinitatem omnimodam Creatoris demonstrandam esse censuerint. Antiquissimi certe Philosophi, nisi immensam, omnique comprehensione nostra longè majorem Entis à non Ente distantiam posuissent, haud opinor, Deo quem rem quandam summam & cogitationibus humanis altius evectam agnoverint, aliquid ex Nihilo faciendi potestatem concedere recusassent. Sed Philisophiæ infantiæ condonandum est, cum de rebus altissimis balbutientem audimus; nunc autem si ætate matura, repueraſcat ingenio, neque senectutis aliud quam loquacitatem habeat; dumque clamosis Scholasticorum jurgiis nutriendis undecunque fomitem operosè conquirit, rem à seipsa existentem, aliaque ex nihilo extrahentem, essentiæ potentiæque determinatæ finibus circumscribit; eâque re non minùs imperitè, quam impiè infinitati divinæ derogat; non modo nulla venia danda, sed disciplinæ severioris censurâ castiganda est.

Argumentum vulgare rejicitur.

§. 4. Aliud à rerum existentia argumentum alii fabricant. Quotidie res novæ emergunt, quæ cum antea non fuerint, ita sunt, ut potuerint non esse, veluti planta, ignis, animal: est igitur aliquid aliud quod hoc potius quam aliud tempus emergendi præscripsit, itidemque deinceps donec aliquid occurrat quod ita est, ut non possit non esse, unde reliqua ducant originem. Cæterum nihil hic perspicuum, præterquam quod aliam rerum scenam, quibus aliter sensus affecti, spectemus; id autem nullius rei quæ nihil erat, productione, sed figuræ tantum complicationis, & motus variatione contingere potuisse, satis superque probavimus. Animæ quoque rationales an olim productæ, nunc tantum ador para adducantur, obscurius est quam id ipsum quod probandu ponitur: non igitur hoc assumendum, sed vestigiis omnibus indagandum. Itaque

supra 53.

argu-

argumentum hoc celebre. Est aliquid contingens ; ergo aliud necessarium ; propositionis antecedentis non falsitate , sed obscuritate hoc loco penitus infirmum est. Quæ vero à nobis allata, firmissima sunt ; nam ex nostra ipsorum existentia indubitata , aliud expressimus , cui quòd ex nihilo ut essemus effecerit , infinita potentia concedenda ; quod autem nihil alteri debeat , sed esse quod habet sibimet soli acceptum referat, ei nulla certè perfectio illimitata negabitur. His igitur è rerum existentia depromptis, videamus quid earundem motus suppeditet.

Quid è corporum motu de Deo nostcatur.

§. 5. Corpora moveri constat , & alia quidem ab aliis ; nullum autem corpus seipsum movet , cum illius virtutis in corpore vestigium nullum appareat ; quare quod corpori primo motum imprimit corpus non est ; porro quod non est corpus , id motu corporeo non est mobile , primus igitur motor immobilis est. Sed num idcirco immutabilis ? Hoc si effeceris infinitè perfectum , inveneris ; quippe cui nihil adjici, aut adimi possit. Id autem ut colligas , unà etiam istud colligendum. Incorporeum omne cum sit immobile, ea re fore immutabile. At qualis est ista consecutio ? Corpus licet merè passivum seipsum haud movet , ergo & incorporeum quantumvis activum , suimet mutandi facultate caret ? Cur aliud aliàs primi motoris animo occurrere nequeat bonum , malumve , in cujus amorem, aut odium vi sua prorumpat ? Hoc enim est tantum liberè velle , neque minus tum experientia propria , tum magnorum virorum testimonio ad libere volendum exigimus. *Anima seipsam*, ait, Augustinus, *movet libera voluntate ad caduca* , Paria sentit D. Thomas *Liberum est quod sui causa est , quod ergo non est sibi causa agendi, non est liberum in agendo.* Sed esto , non omne solummodò quod movetur , verum etiam quod mutatur , alienis id viribus debeat. An non ut anima à corpore , ita intelligentia motrix afficiatur à mundo ? Haud amplius igitur à Corporum motu conficias , quam vim quandam existere incorpoream , coporei motus originem ; eamque vim esse permagnam , quæ molem tam variam , & vastam agitet , eòque animâ nostrâ majorem , quo mundi machinam humano corpore majorem agnoscimus. Quoniam autem vis infinita movendi non nisi ex motus celeritate , aut molis magnitudine infinita colligitur ; tantam vim ex iis quæ de motione & mole cognoscimus , demonstrare non possumus. Sed tametsi nos motio corporum metæ quæsitæ non admoveat , at gradibus quibusdam supra corporum phantasmata sensim evectos , versus incorporeum illud maximum quod Deum vocamus , promovet. Qui vero vel saxis , vel astris vim se

De libertate obiter.

De lib. arb. l. 3. c. 1. contra Gent. c. 44. n. 2.

movendi largiuntur, ii nullo motu corporeo, vel ad tenuissimam de spiritu suspicionem è corporum fœcibus extrahuntur. Ac de existentia & motu hactenus, deinceps de rerum, & motuum ordine quærendum.

Quid è rerum ordine.

§. 6. Superiorum, atque inferiorum corporum connexionem sane mirabilem, atque responsum, ratos cælorum motus, statas temporum vices animo attento reputa. Elementa plantis, plantæ animalibus, hominibus cuncta deserviunt. Quanta in corporis humani partibus, partiumque motibus, quamque admiranda scrutantibus occurrit ad usus innumerabiles, coaptatio? Nil attinet hæc fusius persequi, quippe quæ Cosmographiæ, & Anatomiæ ignaris haud multum lucis afferant; tametsi vel imperitissimus quisque sine monitore perspiciat pulcherrimum tot tantarumque rerum ordinem, si non casu, sed consilio factum, à summâ sapientiâ quæ comprehensionem humanam longe superet, esse profectum. Casu vero fieri non potuisse eâ re persuasum est omnibus, quod longe minora artis opera artificis ingenium flagitent. Accedit & alia ratio manifesta, quod corpora quæ nulla semetipsa movendi virtute polleant, nullis omnino, nedum tam ordinatis motibus cieri poterant, quare cum ab incorporeo quod cognoscendi facultate continere monstravimus, cieri debeant, cognitione, non casu rediguntur in ordinem. Qui vero corporibus, sursum, deorsum, & si constare sibi velint, quoquoversum eundi vim tribuant, argumenti ad rem maximam comprobandam firmissimi robur enervant. Cur res fortuitis delatæ motibus tot sæculis quot mero Philosopho fingere licet, in formam aliquam hominibus tum aspectu jucundam, tum usu commodam non coaluerint? & tot annis quot ad orbe condito numeramus, hoc est tempore perbrevi, si cum eo quod alteri fuisse, tibi saltem esse videtur potuisse, comparas, haud magna immutatione perstiterint? Sane quæ temere manu projicimus, quandoque haud inconcinno ordine inter se posita intuemur. Qui jue penicillum desperabundus abjecit, equi frænum mandentis spumam casu feliciter, quam arte non poterat expressisse traditur. Quod si corporibus mutum tantummodo rectum assignes; eo tamen solo ad idem centrum directo, plura in eandem sphæram conglobata concurrent; eodemque ad centra non eadem destinato, corporum inter se multiplices concursiones, nullum non motuum, atque idcirco etiam figurarum varietatem efficient. Nam qui duobus tantummodo motibus circularibus, lineæ rectæ descriptionem à Copernico demonstratam; circulari verò & recto spiralem ab Archimede descriptam; rectis duobus itidem obliquitatem Parabolæ designatam ab aliis viderit, nihil esse in natura corporea, tam varium, atque dissimile, quod paucorum motuum compositione multiplici, repræsentari non posse conjiciat.

Quid obsit vulgaris error, de vi motrice innata corporibus.

At

At enim intellectu non caruit, qui corporibus ad diversos terminos dirigentem inpressit. At enimvero qui sic occurrit, deserto rerum ordine, ad earundem refugit Existentiam; ac ne sic quidem illæsus effugit. Nam si vis ipsa, quâ se gravia ad terræ centrum dirigunt, intelligendi vi careat, & cæco gravitatis impulsu metam non prævisam attingat, cur causa intellectu potius dirigente, quam fæcunditate exuberante Existentiam rebus tribuat, dici nil potest. Immo in hâc feracitate, plurimarum vires causarum statuis, qui formas tum substantiales tum accidentarias alias ab aliis verâ, licèt cæca efficientia promanare constituis. Cæterum hoc commentitio virtutis moventis & efficientis, sed nihil videntis dissipato figmento; è rerum, quem probe perspectum habemus, ordine, sapientiam infinitam; si infinitam appelles, quod longe cogitationis humanæ fines excedat, demonstravimus; nam cum numerum finitum varietate tantum finita transponere, seu, ut Arithmetici loquuntur, combinare liceat, id intelligendo fieri, intelligendi vim penitus infinitam haud arguit: quamobrem ut nullis omnino finibus clausam ostendas, eò recurrendum est unde orsi sumus, ut eam vel à se, vel ab alio extitisse conficias; si ab alio, tandem ad aliquid, quod à se, & à quo alia, ac proinde utrâque de causa infinitum, appuleris; quod cum universim omni excellentiæ genere, tum speciatim sapientia præditum esse colligas. Nam & ordinare producta, & ordinanda producere sapientis est. Atque his quidem argumentis, & sua claritate, & veterum authoritate probatis, sed recentiorum errore multiplici infirmatis, nativam vim, & lucem restituendam putavimus; quo supremi Numinis indubitata persuasio, firmissimis innixa rationibus in omnium animis immota subsisteret.

Infinitas perfecta ex Aseitate solâ, & Creatione colligitur.

§. 7. Alii non tam ex rerum ordine, quam gradibus argumentum in hanc formam construunt. Est aliud alio magis bonum, verum, perfectum, ergo aliquid in quoque genere summum, quo tanquam mensura reliquorum dignoscitur inæqualitas; quod autem summum, illud reliquorum cujusque generis causa, ut calidorum summè calidum; cumque maxime bonum, verum, perfectum sit maxime Ens, erit illud omnium causa Entium, quo quia nil majus cogitare possumus, Deum esse fatendum erit. Sed nunquam inter plantas, stellas, animalia, Angelos, quod reliqua superat, cunctorum est causa, aut eâ perfectione præditum, quam Deo cuncti tribuunt. Erit quidem Entium supremum, sed gradibus quibusdam sursum ascendendo ad infiniti fastigium nunquam ascendimus, veluti cum rerum creatarum aliam aliâ sublimiorem fingimus, aut lineam palmo palmum addendo protendimus, ab infinita semper vel excellentia vel extensione longe distamus. Immo qui rerum creatarum perfectissimam

Quid è rerum gradibus de Deo sciatur.

nam negant, ſed aliam alia perfectiorum occurrere, quocunque cogitatione vagêris autumant, ij ſibi hujuſcemodi per gradus aſcenſu nec ſupremam, nedum infinitam inventam dabunt; ſupremam autem ſi ex iis quæ poſterius de infinito dicentur, inveneris, ut infinitam evincas, ad ea quæ ſuperius ſunt dicta revertaris oportet. Quæ quidem ſi omnium maxima, ab alia non eſſet (ea quippe minor eſſe deberet) à ſe igitur ſuum eſſe, ideoque omnimodo illimitatum acciperet.

Argumentum Logicum, ſed non ſolidum rejicitur.

§. 8. Alii Logicum propriis principiis quaſi quibuſdam vinculis, Syllogiſmi arte contextis, illaqueant. Quod à cujuſque rei prædicatis objectivis atque eſſentialibus abeſſe non poteſt, id illi eſſentialiter affixum eſt; Atqui rei omnis perfectionis genere abſolutæ, iſpa Exiſtentiæ perfectio deeſſe non poteſt; Ergo Exiſtentia eſt illi eſſentialiter affixa. Exiſtentia porro denominat Exiſtentem, Exiſtit igitur aliquid undequaque perfectum, appellatione Numinis inſignitum. Quid ais, Logice? Quibus nam Elenchorum argutiis Syllogiſmum hunc falſi redarguas? Conſtrictum te ſentis, non perſuaſum, ut intelligas aliam eſſe diſputandi, & perſuadendi peritiam. Ecquid hic ambigui diſtinguendum, aut doctrinæ tuæ repugnans inficiandum? Hominem eſſe animal rationale, conceptum objectivum æternæ veritatis appellas, quid ita? Nonne quia animalitas. & rationalitas, & invicem connexa, & eſſentialibus hominis prædicatis incluſa cernuntur? Chimæram itidem impoſſibilem eſſe inter æternas numeras veritates, quod prædicatis illius objectivis implicata ſit, Non Entis, & Entis impoſſibilitas. Cur igitur hanc quoque cæteris non accenſeas, Exiſtit aliquid undequaque perfectum, cum res nulla pefectione carens, exiſtentiam cum reliquis, vel potius præ reliquis comprehendat? Quod ſi cujuſpiam Eſſentia Exiſtentiam involvat, illud utique eſſentialiter exiſtit, quod vero eſſentialiter exiſtit, id neceſſario exiſtit, quia eſſentiæ rerum neceſſariæ dicentur; quare non minus repugnat Rem undiquaque perfectam non exiſtere, quam Animal rationale non poſſe exiſtere, cum haud minus illius Exiſtentia, quam hujus exiſtendi potentia eſſentialibus infixa ſit prædicatis. Verum hæc tanta ex vocabulis Logicis coacervata moles uno ictu disjicitur, quam primum res haud obſcura verbis claris & ſimplicibus explicatur. Mitte vana objectorum inanium ſimulachra, Notiones ipſas conſule. Cum animo rei omni perfectione præditæ informationem habes, nimirum eadem exiſtentiæ formam habes, alioqui perfectionem omnem adeſſe, & aliquam abeſſe unà cognoſceres. Quid inde? nempe rei undequaque perfectæ hoc proprium præ cæteris tribuendum, ut ab exiſtentia præſcindi cogitatione nequeat, aut in ſtatu quem puræ poſſibilitatis appellant collocari. Hoc autem nil aliud ſignificat,

quam

quam si quid ejusce modi cogitetur, id non ut merè possibile, sed ut verè existens cogitandum. Cogitationi vero tali num quippiam verâ non fictâ naturâ consentiat, id scilicet argumentis aliunde petitis investigandum. Quare cum aliquid alteri essentialiter ideoque necessario affixum dicitur, quid cujusque Notio contineat ostenditur, non autem Essentiam quæ Notioni respondeat possibilem esse convincitur; neque aliud cuipiam in mentem venire potuisset, nisi cui fucatæ objectivarum essentiarum imagines illusissent.

Aliunde etiam ab Esse objectivo deductum.

§. 9. Cæterum ex ipsâ Notionis perfectione Non nemo naturam omnimodis absolutam evincere omnibus ingenij viribus nititur. Rei quippe undiquaque perfectæ Notio, neque à nobis utpote imperfectis, neque ab aliis pariter imperfectis oriri potuit, rem igitur infinite perfectam hujuscemodi notioni procreandæ parem excogitat. Quod enim cognitioni inest intentionaliter, id objecto realiter inesse pronunciat. Sed neque hic quidem ita experrectus est, ut objectorum somnia penitus dissipârit. Ex iis quæ obvia sunt, quid mancum aut deficiens, quid integrum seu perfectum, quid omne, quid aliquid, quid nihil intelligo; tum perfectum & omne intelligendo compono, vel defectum à perfecto alila quadam intelligendi forma separo, & rei vel omni perfectione præditæ, vel cui nihil deficiat notionem effingo. Hinc, & hoc modo, & hac facilitate nascitur ista cognitio, Ecquam hic non dico infinitam, sed vel excellentem perspicacitatem ingenij deprehendis? Tu tibi nescio quod infinitum objectum animo repræsentas, cujus impressione formetur ista cognitio; ego nil aliud præter ea quibus integrum, mancum, alique similia, notione vulgari mentibus inseruntur, ad ejusmodi notitiam efficiendam, nisi aliunde quid afferas, requirendum invenio. Quod si cognitionem tanquam rei cognitæ imaginem quandam aut similitudinem intentionalem intelligas, haud magno tamen molimine opus esset, rei quamvis numeris omnibus absolutæ inchoatum & impolitum simulachrum effingere. Sin autem cognitionem, ut oportet, in directione potius quam assimilatione constituas, ignorare non poteris, quam facile sit & frequens, ut rerum vel minimarum indiciis dirigamur ad maximas indigandas.

Cartes.

Contra Atheos.

§. 10. Hactenus de Deo cum Philosopis egimus, nunc rationem habemus cum quibusdam hominibus qui vix rationis participes esse videntur. Postquam hac stultissimo sæculo omnis de religione persuasio ab authoritate publicâ, ad privatam cujusque stultitiam est à multis redacta; ab alijs opinionum varietate, & scelerum impunitate paulatim extincta, exortum est profanum pariter, & insanum hominum genus, qui multiplices de cultu divino controversias, ipsum quo de colendo agitur Numen inficiando, dirimunt. Horum aliquos conscientia scelerum vindicem primò timere, deinde aversari docuit; tum ad alia omnia cogitationes avertere, atque

Quorum causa, & origo multiplex assignatur.

atque oblivione deinceps à ſententia odioſa ſine ſenſu deflectere. Alii dum vitiis putreſcunt corpora, obbruteſcunt animis, atque animalium inſtar ad paſcendos ſenſus abjecti vix aliud mente revolvunt, aut capiunt. Alterius innatam arrogantiam fortuna proſpera tam cœcam reddidit & immanem, ut *Dextra mihi Deus eſt* ſibi præfidens ſuique admiratione in amentiam lapſus aſſerat. Quoſdam atra bilis occæcat ne ſummi boni ſplendorem aſpiciant: eaque ſubinde malevolentia ſuffundit, ut odio humani generis, cui ipſi ſe odio eſſe ſentiunt, ereptum omnibus eſſe cupiant: cumque ſuavitate boni, quam alii percipiunt, acerbitate quadam animi frui vix poſſint, bonum quod deguſtare nequeunt, arrodendo deterere, ac contaminare gaudent. Sunt qui ex inſpirato infortunio in furorem, & deſperationem acti indignis vocibus Deo exprobrant, tum gliſcente rabie ulciſcendo dolori vindictam expetunt, neque alia major furentibus occurrit, quam ſi ex ſuis & aliorum animis, non venerationem tantum numinis, ſed opinionem evellant. Medicos etiam nonnullos hæc lues invaſit, quibus arte ipſa contagioni obnoxiis, faciliùs accedente nequitia virus afflatur. Quos etenim exercitatio continua humoribus corporum ſcrutandis immerſit, ii haud facile ad incorporeæ naturæ contemplationem emergunt. Tum adverſus Magiſtrum reverentia, aciem mentis Galeni ſcalpello acutiorem reddere reformidant. Itaque cum diſſecandis animalium viſceribus, præter variam temperaturam humorum, nihil ſibi in conſpectum veniſſe prodiderit, eo procliviores evadunt, ut mundi ſtructuram Elementorum tantummodo permixtione multiplici temperari, atque inde ratis motibus gubernari putent. Jam ſi avaritia inflammati, philtra, venena, abortiva medicamina propinando, aliorum libidini, iræ, dedecori famulari didicerint, atrocioribus porro in genus humanum graſſari pergunt maleficiis, & de vita etiam immortali eripienda mortalibus, omni demum ope, & arte contendunt. Qui vero Paracelſi deliriis fidem, vel potius fatuitatem addictam habent, ii in Magiſterio magno quod nugatoriis verborum præſtigiis conditum venditant, Divinitatem, & felicitatem, & corporis etiam immortalitatem ſtulte collocant. Ambitioſi ad opes, honores, pompam, dominationem, & tyrannidem omnia referunt, hæc quia adulatione, aſtu, perfidia, lenocinio, ac latrocinio à quibuſdam comparata, & aliquamdiu conſervata noverunt, neque ſe ad alias artes vel natos, vel educatos, vel propenſos inveniant, viam ſibi ad amplitudinem poteſtatis, flagitiorum magnitudine muniendam ſtatuunt; ac primo quidem haud amplius quam numinis patientia tantiſper abuti; tum ex ingenio ſuo injuriarum impatientiſſimo, Divinitatis indolem metientes, de illius vel ſcientia vel potentia dubitare; deinde Principem felicita-

citatis illius qua gaudent Authorem conſpicuum, pro Deo colere; poſtremo dum ſcelerum immanitate feritas, atque impunitate creſcit audacia. Deum pariter ac Principem, contemnere, ſibique ſolis venerationem expoſcere. Eſt etiam hominum genus, vel naturæ indole, vel ætatis immaturitate vanum prorſus, & volaticum, qui de nulla re ſententiam certam ferunt, ſed ad alicujus Potentis exemplum, & veſtes, & verba, & mores, & mentem variant: ſi quem ex ſatrapis, vel proſapia, vel potentia nobilem, tum argento, auroque ſtriatum, & plumis, tæniiſque verſicoloribus mirum in modum variegatum aſpexerint, mox ipſi in morem ſimiliter hiſtrionicum veſtiri feſtinant. Eundem ſi de Deo, rebuſque divinis profanè, & procaciter, cum Paraſitorum, ut fit, plauſu loquentem audierint. Plebeium deinceps & ignobile putant pietatem verbis aut factis oſtendere. Quod ſi Tenebrionem quempiam ſtolidum impia de Deo dogmata ex obſcuro gurguſtio exhalantem olfecerint, eò velut ad Sibyllæ antrum accurrunt, ejuſque doctrinam, non ut probam aut probabilem, ſed ut privatam, & prohibitam magni æſtimant. Et niſi jurandi, execrandique morem Magnificum, Magnatibuſque, quales videri volunt, decorum exiſtimarent, Dei, Divorum, aut Dæmonum, nec mentionem unquam facerent, nec memoriam ullatenus retinerent.

§. 11. Hæc fuſiùs paulò diſſerere viſum eſt, ut neminem lateat quibus caulis exorta, quibuſque Magiſtris Atheorum hoc tempore ſecta nitatur, ac proinde qualis ſit quilibet arbitretur. Ex veteribus, quorum ſcripta exſtant, fautores habet Lucianum Scurram petulantem, Pliniumque Philologum, non Philoſophum, qui magna varietate, ſed nullo delectu, non minus incertam, quam immenſam rerum farraginem cumulavit. Inter Philoſophos perpauci, & ignobiles nominantur, qui vel ut gloriolam novitate quærerent, vel ut multitudinis Deorum vanitatem reprimerent, vel ut celebrem eo tempore quidlibet improbandi artem oſtenderent, Divinitatem in dubium cum Philoſophiæ dedecore revocarunt. *Et quia dixit inſpiens in corde ſuo, non eſt Deus*, Atheo non eruditionis exiguæ, aut ſubtilitatis plane nullæ, ſed ſtupiditatis ſummæ ac væcordiæ maximæ DICAM impingam. Lubet à Tullii verbis accuſationem ordiri. *De hominibus nulla gens eſt tam immanſueta, neque tam ferrea, quæ non, etiamſi ignoret qualem Deum habere deceat, tamen habendum ſciat.* Dic puero, Dic rudi, dic ruſtico vel Barbaro poteſtatem eſſe quandam eximiam cujus imperio mundi corporei machina gubernatur, haud ſecus ac corpus noſtrum non ſuo nutu, ſed voluntatis imperio ad ambulandum adigitur. Doce porro poteſtatem illam licet è ſenſu remotam, non tamen idcirco ab animi ſententia removendam. Si hæſitantem videris, quære ab eo an voluntatem

Qui Deum negant ſtulti, dementes, furioſi probantur.

ſuam

ſuam tangat, aut videat, aut qua figura, aut colore ſit palam enunciet. Cumque ſe velle quidem probe cognoſcere, voluntatis autem figuram non agnoscere haud gravate conceſſerit: Inſta mox ut vim gubernatricem orbis haud negandam exiſtimet, licet figuræ ſuæ ſpeciem ſenſibus non objiciat. Unde facile capiet non omnia ſenſibus metienda, ſed quædam intelligi, quæ figuris haud quaquam pingi queant. Rurſus interroga, num quibus opus habuerit, ea ſibi non raro defuiſſe meminerit? Num idem quoque parentibus, aliiſque hominibus contigiſſe quandoque arbitretur? Nullus igitur hominum non aliquibus aliquando inſtrumentis agendi indiget. Tum potiorem ne fabri an mallei virtutem æſtimet? Vim igitur agendi inſtrumento præſtare comperiet. Inſtrumentum itaque cum alteri debeat, virtutem agendi ſibi certe acceptam referre non poterit. Id quo facilius intelligat, quæres iterum an vim illam ne morbo debilitetur, aut morte extinguatur, integram & illæſam ſervare queat? Quare ſi hoc quod nunc es, ut eſſe non deſinas impedire non poſſis, quomodo ut eſſes quod es efficere potuiſti? Num tibi dare poteras, quod datum ſervare non potes? Hinc ſe quilibet, & alium quemlibet à præſtantiore quadam natura pendere, eidemque omnia debere cognoſcet, cui proinde honorem, cultum, obſequium teneatur impendere. Neque in parentum origine ſiſtendum putabit, quippe qui pari indigentia conſervatorem alium & conditorem deſiderent. His aut talibus aut certe aliquibus Pueri & Ruſtici, ac mortalium ſtupidiſſimi Braſili, cujuſdam rerum originis excellenti natura præditæ venerationem addiſcunt. Quibus autem nullius induſtria inculcari poteſt, quod Pueri, ac Barbari tam facile capiunt, nulli ſtulti, ſtupidi, bardi vocantur?

§. 12. Occurret Atheus, ſeque non ſtupiditate, ſed ſubtilitate aſſenſum cohibere; Barbaris quidlibet perſuaderi, & cuilibet fidem adhibere, eo quod ex ingenii tarditate nil contra quod opponant, in mentem veniat. Verum enimvero non modo rationis quam attulimus facilis, & clara perſpicuitas, ſed & quotidiana docet experientia Barbaros, pueroſque non tantum dicenti credere, ſed argumenti vim mente concipere. Tu contra ſtultiſſime argumentando, haud minoris fatuitatis, quam argumentum ipſum non intelligendo convinceris. Eſſe aliquid primum & ſummum ex quo reliqua ducant originem negas. Unde tu ortus? à Parentibus, & hi rurſus ab aliis. Unde primus? ſi nullus, denſiſſima infiniti caligine circumfunderis, quam nemo niſi coactus ingredi voluit. Te nihil hic cogit, cui via plana ad cauſam primam oſtenditur. Deinde ſint alibi infinita, non tamen in ſerie cauſarum; nam machinam rotulis conſtructam infinitis, cui quippiam non adſit à rotulis diverſum, quod primæ motum imprimat, nemo cogitando, vel ſomniando finxerit. Fuit igitur inter homines primus.

Num

Num cœlo delapsus? quis demisit? an Terræ filius? Unde olim tanta fertilitas? undecunque illius originem haurias, ad aliquid quod à se sit, reliquisque proinde longe præstantius sit, recurrendum. Age nunc. Qui cymba bene instructa paludem trajici posse negaret; Nonne fatuum diceres, atque ea re diceres, quod quæ Barbaris pueriſque sunt cognita ignoraret? Sin autem cymba rejecta se cribro committeret, majoris, opinor, fatuitatis argueres. Tum etiam magis ridiculus esset, si id tanquam subtile inventum, & à vulgi captu sepositum ostentaret. Neque minus Atheorum est deridenda fatuitas, qui quod intellectu perfacile, planum, obvium, ad id quo de agitur accommodatum abjiciunt, eiq; aliud ineptum penitus, & absurdum, non subtilitatis modo, sed probabilitatis omnis inane subjiciunt, seq; propterea tanquam sagaciores & perspicaciores cæteris palam venditant. Sed audi quid porro garriant. Nihil videmus nihil corpora. In officina pictoris nil vides præter penicillos, pigmenta, picturas. Si quis hæc à seipsis enata, vel à se mutuo facta, quia Artifex non comparet assereret, nonne insignitæ stultitiæ manifestus esset? Eoque insigniore stultitia de mundi partibus diceretur, quo ordo pulchrior, varietas major, structura firmior, atque concinnior. At corpora ponimus infinita, & suo nutu mobilia. At contra infinitum numero, plurima, eaque difficilima, contra infinitum natura, nil affertur. Quis nisi stupidus ab aperta via deflectit, ut dumetis se induat, laceretque? Tum ex infinitate confusionem potius, quam distinctionem & ordinem universi colligas, præsertim si quod facis, intelligentiam corpora disponentem auferas: corpora enim infinita licet immota, vel numerantem implicant, dum à finitis ad infinita progreditur. quanto major petturbatio nascetur, cum ipsa inter se suo quodque motu agitatum innumerabili varietate concurrunt, resiliunt, redeuntque. Hinc tu ordinem universi deducis, unde qui cuncta turbata vellet, indigestum Chaos, celebratum Veteribus revocaret. Infinita corpora sua sponte disponi somnias, quæ nec mens infinita ordinatâ structurâ componere possit. Tum corporibus vel sine mente motum, vel utrumque largiris. Si mente carent, quo dirigente moventur? Si mentem habent, qua re tu stipiti antecellis? Si aliquod, certe & omnia ratione privantur. Neque enim rerum numerus naturæ immutat. Neque si stipitis figuram, motum, quietem, magnitudinem immutes, quibus solis corpori immutatio accidit, ex eo Mercurium mente præditum fabricabis. Corpora sola vides. Verum si corporum originem, aut ordinem, aut motum inspiceres, aliquid præter corpora intelligendum esse videres. Alioqui in majore obscuritate versaberis, quam si incorporeum aliquid, quod à te obscuritatis tantùm nomine recusatur, adcisceres. Sed esto. Non sit res aliqua incorporea.

Si tu tibi ſapientiam ad res ordine diſponendas tribuas, illi rei primæ & ſupremæ, quæcumque ſit, à qua tamquam à familiæ capite genus trahis ſapientia neutiquam ſpoliabis. Ea itaque quæ mundi partes redegit in ordinem, te ne ſinet impune ambitione, libidine, iracundia rerum humanarum ordinem perturbare? Si te, tuique ſimiles inultos abire patiatur, haud paulo magis univerſi concentum impediat, quam ſi Maria terris, Elementis aſtra permiſceat. Cæterùm ut ex Elementorum confuſione, & conflictu, plantarum pulcherrimam varietatem, atque amænitatem educit, ita tandem efficiet, ut ex hoc turbido generis humani ſtatu, ſingulos ſuo loco pro meritis collocando, decorus aliquando ordo, & jucundiſſima rerum ſpecies effloreſcat. Itaque in ultorem incurrunt Athei, quem ut effugerent, Creatorem negandum cenſuerunt. Quorſum hæc? Nempe ut intelligas Atheos Magnatum Morionibus ſimiles eſſe. Si cui iſtorum, ridendi cauſa, quæſtionem proponas: Principio abſurdi quippiam, atque ab intelligentia communi alienum ingerit. Si premas, miris ſe modis implicat, & illaqueat, facilia difficillimis probat, & in ea quæ vitare volebat, nullibi non præcipitem actum videas: Paria agentem, pariterque ridiculum ſpectaſti Atheum. Cujus ſtultitiam ex alia quoque ſcena ſpectandam exhibeo.

§. 13. Divinitatem olim coluerunt Hebræorum Patriarchæ, & Prophetæ, Indorum Gymnoſophiſtæ, Perſarum Magi, Ægyptiorum Sacerdotes, Gallorum ac Brittannorum Druidæ, Græcorum Philoſophi, ex omni natione Sapientiæ Principes: Nunc Mahometanorum, Judæorum, Chriſtianorum Theologi, Flos delibatus humani generis, veritatis optimi teſtes, ſi quid veri, & ſciendi cupiditas, & ingenii ſubtilitas, & induſtriæ labor eliciat. Sapientum tibi profero Senatus-Conſultum, non imperitorum hominum plebiſcitum. Cur ad hos non accedis, ut è plebe te eximias, & ſubtilitatis laudem quam tantopere ambis, ſubtiliorum hominum ſuffragio conſequaris? Equidem qui contra ſentiat reperio neminem, qui perſpicacitatem ingenii ad rerum naturam intime perſcrutandam attulerit. Sed ex eo tantum hominum genere, quod ſupra deſcripſi, in quibus ſi quid eſſet ingenii à natura inditum, moribus hebetatum, & depravatum intelligas. Si quem tu forte offenderis in quo & mentis acumen, & ſcientiæ ſtudium eluceat: Accede propius; & tenta venam diligenter: Jam tibi prædico, vel magna ignorantia, vel perdita nequitia, vel arrogantia intolerabili, vel his morbis omnibus laborantem invenies. Quæro jam ex te num Aratorem, aut Foſſorem fatuum putes qui funambulum agere velit, aut Fabrum qui calloſis manibus citharædum ſuperet vincere, aut adoleſcentum ſtultiſſimum qui ætate, & uſu in Republica peregrinus, trecentis Sena-

Senatoribus rerum experientissimis vel unus, vel cum paucis sui similibus contradiceret, neque quicquam non centies examinatum, & refutatum afferret. Atqui sub his personis, ne frustra sis Athee, de te fabula narratur. Nam si quæ de Collegis tuis dicta sunt, tecum reputes, haud magis, indoles, educatione, authoritate comparatos agnosces, ut cum reliquis quos nominavi de divinæ naturæ quæstione contendant, quam alios ad alienissima instructos vidisti, & stultissimis modò annumerandos censuisti. Hæc igitur ab arrogantia est profecta stoliditas, aliam nunc à cupiditate ortam videbis.

§. 14. Mulierculam amore fatuam putamus, quæ ostio crepante, vel cane latrante amasium adesse credat, quamvis idem centies in diem, aliorum hospitum accessu contingat; tum in alios amore Patriæ fatuos, non rarò incides, qui cuivis rumusculo qui ad Patriæ laudem attineat, licet sæpissime decepti, fidem prope certam adhibeant. Quâ causâ à prudentibus stultitiæ damnari putas? Eâ nempe, quod non tam rationum perpensione, quam voluntatis propensione sententiam de rebus incertis ferant. Id posse contingere, quod toties contigit, quotidieque contingit dubitare non licet, Idque in Atheos speciatim cadere, ex eo patet quod vix alius de Deo ambigat, quam qui scelerum conscientiâ vindicem reformidet. Quem quia cupit non esse, cupidè argumenta arripit quibus quod persuasum velit, suaderi solet; dumque ea attentè, contraria contemptim aspicit, grata tandem voluntati persuasio mentem occupat. Accedit etiam quod alibi passim, ubi quis Atheorum instar, conjecturis levissimis ad credendum inducitur, re probe perpensa, cupiditatis alicujus propensione momentum adjectum esse comperias. Quare si qui ductorem cæcum videnti præmittit, manifesti stuporis evincitur; stultos Atheos qui voluntate judicium regendum tradunt, nemo, qui stultitia par ipsis non fuerit, appellandos esse non videat.

§. 15. Fatuitatis itaque & stultitiæ appellationes Atheis aptè convenient; videamus an amentiæ similiter nomen congruat? Quis amens, aut demens vocari solet? Nempe qui mentem amisit. At qui mentem amiserit, hominem amentem, cum ne quidem homo sit, appellare non poteris. Quid igitur? Mentem amisisse putamus, qui notiones à naturâ menti insitas non retineat. Quæ porro notiones dicendæ sunt naturales? Nempe quæ ad naturam humanam tam propriè pertinent, ut iis vix hominum quisquam careat, & ægre sibi quilibet evelli sinat. Quod enim commune omnibus, & à quolibet ferè inseparabile, id iis innatum, & naturale dicitur. Quare qui notiones communes, & altè omnium mentibus infixas amiserit, eum amentem haud immeritò nuncupaveris. Eundem quoque mente

non integrâ esse dicimus, quod mens communibus privata notionibus, haud aliter ac corpus membris truncatum, manca, & mutila, atque adeo inutilis censeatur. Id si de aliis intelligi notionibus soleat, quid de eâ quæ reliquarum præcipua, & caput est cogitare debemus? Hac truncata mens Athei, veluti truncus evadit, *avulsumque humeris caput, & sine nomine corpus.* Virg. l. 2. Ænead. Cui infamiæ ut obviam eat, opinionem numinis non à natura, sed ab hominum ambitiosorum astutiâ insitam ait, quò vulgus imperitum, & credulum superstitione territum, dominationi suæ obnoxium redderent. Itane vero? Quod tot hominum summorum, mediorum, infimorum judiciis approbatur, quodque ab omnibus tam facile discitur, vel potius sine disciplina cognoscitur, & à nemine nisi vel nefario, vel stolido, & arte quidem adhibita ægre dediscitur; quodque inter tot humani generis opinionum, errorum, ac morum vicissitudines, tot sæculis, tot provinciis, ac nationibus fixum, & immobile perseveraverit, id fraude in animos irrepisse, ac non intimis omnium mentibus à natura impressum, & insculptum esse putabimus? Nam quæ alia ab aliis disciplina recipimus, quam facile nisi à natura infixa sint, vel oblivione elabantur, vel potius opinione contraria eradantur, nemo rerum, hominumque peritus ignoret. Quam proclive est sententiam licet ratione firmissima stabilitam, conjecturis inanibus quæ verisimilitudinem aliquam, vel adumbratam tantummodo imaginem veritatis habuerint, in dubium vocare, atque etiam seu tarditate ingenii, seu cupiditate gloriolæ, seu emolumenti spe, odio denique, amore, pervicacia penitus abrogare, abrogatamque è rerum propemodum monimentis, hominumque memoriis obliterare? Hanc itaque tam latè patentem, tamque alte inhærentem de Deo persuasionem, neque Magistratuum versutiæ, neque etiam Magistrorum industriæ, sed naturæ debemus beneficio. Si metus Numinis licet multis exosus, paucorum astu, in omnium animis tam altas radices egerit; cur grata scelerum impunitatis opinio, tam paucis adhæsit? Cedo provinciam, urbem, oppidum, pagum unicum, quem arte, astu, sollertia ulla ad suas unquam partes Athei traxerint. Quamvis rerum suarum satagant, atque ad pestiferum errorem cæteris inhalandum, inflammato nocendi studio rapiantur. Forte legum repagulis opinionis suæ progressum cohiberi dicent; quæ tamen cum tot fanatici absurdissimorum dogmatum Architecti perruperint, palam fit Atheorum sectam præ cæteris omnibus, cum scientia intimis humanæ mentis visceribus altissimis infixa, ac difficillime extirpanda confligere. Cumque se illius scientiæ quæ omnium mentibus arctissime copulata, ac veluti concreta sit, expertes esse fateantur, amentium omnium dementissimi comprobantur.

§. 16. Ne-

§. 16. Neque solùm fatui, & amentes, sed furiosi & Phrenetici demonstrantur, cum fallaci caducæ felicitatis illecebrâ, cruciatus æterni discrimen incurrunt: eoque insaniore furoris impetu, quam pro Phrenetici ad modicum ardoris exæstuantis levamen, se aquis immergunt, præcipites feruntur; quanto jacturæ gravioris periculo exponuntur. Si Deus sit, quid de te statuet Athee? Si sapiens est, & justus est. Nihil enim sapiente magis indignum, quam in minimis decorum ordinem servare, maxima fædè perturbata relinquere. Quid autem cogitatu turpius, quam innocentiæ afflictæ solatium, nequitiæ exultanti supplicium, iniquitate intolerabili denegari? In hâc vitâ utrumque deesse passim videmus, aliam igitur superesse cognoscimus. Sed de eâ alibi copiosiùs. At fieri potest ut anima sit mortalis, neque sit qui delicta mortalium ulciscatur, cum Philosophi alii aliorum argumenta improbent, cur igitur incerto futuri doloris metu, præsentis gaudii sensum inquinem? Sed & fieri eâdem ratione poterit ut ardens febre freneticus se frigidâ, vel vino illæsus ingurgitet; multa enim Medici de Morbis, morborumque remediis varie disputant, contraria ne, an simili adhibenda dubitant, tum morbi naturâ incognitâ, quid contrarium, quid simile unde dijudicent? Cæterum notiones, aut experientiæ perspicuæ tot sapientum authoritate, tot sæculorum diuturnitate, tantâ generis humani conspiratione firmatæ, insana temeritate negliguntur, propterea quòd homines qui artis suæ fructum & laudem in discordiâ, seu disputatione collocant, parum inter se consentientes reperiantur. Vetus verbum, & verissimum audi, *Nimium altercando veritas amittitur*, ex quo longe aliud quam sperabas colligi cernes. Nam si qui disputandi rabie, uti sæpe fit, excæcantur, & continuis verborum concertationibus veritati, quæ solitaria contemplatione gignitur, & pauca inter paucos collatione fovetur, extirpandæ funditus, bellum indicunt; quique nova, non vera ad ostentionem; dubia, non certa ad contentionem exquirunt, utque se, omnia ex aliena transcribendi suspicione purgent, quædam ab usu, & sensu commnni alieniissima comminiscuntur, omnibusque grassantur viis ut obtentu quærendi, veritatem extinguant; hi, inquam, inter se, aliisque sedatiore mente præditis, licet argumentis dissideant, sententia conveniant, ut impios hujus vitæ felicitate non à pœnis absolutos, sed in aliam tantummodo comperendinatos judicent, manifestò demonstrant tantam esse de Numine flagitiorum vindice evidentiam, ut nemo nisi furor cæcus dubitare de eo ullo modo possit. Atheosque proinde qui se periculo tam gravi, & certo, & causa tam levi offerunt, non Phreneticos modo, sed vesanos omnes quos furiæ ardentibus tædis agitant, insanabili mentis vecordia superare. Quare non modo ut fatui deridendi sunt, sed multo magis ut furiosi, & pernicioſi

legum vinculis constringendi. Sed leges non desunt: utinam nec legum custodes desint officio, ne de quibusdam hac in re, quod Iuvenalis in aliâ dubitando dicamus; *Et quis custodiet ipsos Custodes?* Deum igitur Esse argumentis tum ad subtilitatis Metaphysicæ normam exactis, tum ad captum, usumque popularem accommodatis ostendimus.

Dei unitas & simplicitas ex Aseitati coligitur.

§. 17. Sequitur ut unum esse doceam. Neque mihi opus erit ut ad argumenta deflectam Dialectica, quibus Deorum multitudinem vel dissentiendi periculo, vel celebratâ unitatis præstantia, vel structura mundi corporei ad usum unum finemque conspiratione partium destinati repudiem; cum è primo gradu, quo ad existentiam Numinis investigando conscenderam, ad ejusdem unitatem contemplandam adducar. Eamque non qualemcunque sed maximam, quæ compositionis expers, simplicitate summâ contineatur. Accipe enthymema breve. Deus à se est, unus igitur & simplex est. Finge enim si lubet ex variis compositum facultatibus, certè vel singulæ à se, vel ab aliis existunt aliæ. Quæ vero facultas è se est, cum esse limitatum habere non possit, omne *Esse* habeat necesse est, ac proinde reliquarum, si quod habent, *Esse* complectitur; quamobrem illa sola facultas quam à se existere ponimus, omne id quod ad Divinitatem attineat, continebit; neque ei quidquam adjici, quod ita infinitum est ut cuncta concludat, poterit. Tota igitur est in una incomposita facultate Divinitas. Quòd si ex hujus unius, quæ à se est, fæcunditate progerminet alia facultas sive substantia, ejus Esse vel illimitatum fuerit, vel limitatum; Si prius, ergo omne Esse continet, neque ab ea quæ à se est distingui potest, cum utrique omne, ideoque & idem Esse conveniat. Si posterius, parte limitata non indiget, cujus illimitatæ naturæ Esse nullum desit, quæque propterea etiam antea quam pars illa intelligatur adjecta, undequaque completa intelligitur. Itidemque liquet si facultates singulæ à seipsis existant, singulis Esse omne complexis, eadem omnino inesse, ideoque nullius inter se discriminis superesse vestigium. Qua ratione brevissima, juxta ac clarissima, non modo plures Divinitates, sed plures etiam à natura divina seu realitates, seu formalitates, seu virtualitates excludimus, quælibet enim cum à se sit, atque ea re nullum non esse contineat, tantundem ac quotlibet comprehendit, ac proinde nihil in ulla reconditum latet, quo ab altera discrimine ullo intraneo distinguatur, quamvis diversis, atque imperfectis notionibus ad diversa relatæ diversis nominibus appellentur. Contemplare justitiam non Universim acceptam, sed divinam. Si divina est, & à se est, sibique nullum non Esse vendicat, atque alia quæcunque naturæ divinæ decora, ambitu quodam undique interminato complectitur. Quæ sibi mutuo quo pacto involuta sint atque implicita, juvat explicatiùs & distinctiùs, expo-

exponere. Deus à se est, in eo igitur esse quoddam undique perfectum, quippe cui nihil desit, concluſum vides; porro ſumme perfectum & imperfectionem omnem excludit, & nullam non perfectionem puram, & defæcatam includit, in Aseitate igitur una involuta ſunt omnia. Rurſus, idem apertius. Deus à se est, hinc primo Esse quoddam à nullo pendens, ideoque inconcuſſum, & immobile, id est æternum elicies: deinde si à se Est, corpus non Est ut ſupra vidimus; incorporeum igitur, hoc autem cognoſcendi, & volendi vim continet, in cognitione ſcientia, ſapientia, veritas; in voluntate clementia, juſtitia, bonitas; cognoſcendo & volendo operatur, operatione rebus ineſt, è quibus potentiæ, & præſentiæ notiones emanant. Quid diſcrimina fingis ubi omnia indiſcreta, atque in una Aseitate involuta, denique unum & idem in diverſas tantummodo notiones, & nomina evolutum, atque ad mentis veluti obtutum expanſum aſpicis. Si hoc ſubtilius, illud facilius. Perfectius est in quo nihil niſi undequaque perfectum cogitari queat, quam ſi aliquid in eo poſſit intelligi, quod perfectionem aliquam non includat, ſed eam tantummodo velut affixam, aut annexam habeat; præſtantius enim est perfectionem innatam, quam adnatam habere; Illuſtrior itaque fuerint Divinitatis ſpecies, ſi nulla non perfectio divina reliquas omnes unitate intima cogitetur involvere, quam ſi ex pluribus quomodo libet à se mutuo diſtinctis compage quadam coaleſcat una Divinitas. Esse autem perfectiſſimum ei quod Omne contineat tribuendum, nulla igitur divinis, ut vocant, attributis inſerenda diſtinctio: Neque aliud, opinor, cuipiam veniſſet in mentem, niſi quem ſenſus de intellectu hallucinari coegerit; namque ut cuique ſenſioni quippiam quod ſentiatur objectum vident, ita intellectioni cuique ſimulacrum quoddam affingunt, ut aliud juſtitiæ, aliud miſericordiæ cognitioni reſpondeat: quæ quia res diverſas dicere non audent, Realitates, aut Formalitates, aut Virtualitates appellant. Quarum hoc loco veſtigium nullum cernis; ſi quæ vero alibi cerni putes, ſuo quodque loco obliteratum, detecta paulatim fraude fateberis.

§. 18. Sed quia forte quod toties inculcatum est, nondum animo firmiter infixum tenes, ut ei quod à se est, omne Esse deberi perſuaſum habeas, cum extra illud etiam aliud quoddam Esse quod creatum appellatur intelligas, viſum est hunc tibi ex animo ſcrupulum dubitationis evellere. Nam qui inter Theologos Myſtici appellantur rem quamque creatam Nihil appellant, atque è ſublimi contemplationis faſtigio Morales admonent, ut quiſque in ſuo Nihilo, quod unicum ſibi quiſque jure arroget, omni loco, & tempore immotum animi defigat obtutum. Quid quæque res ſit, virtutem illius propriam atque potentiam conſiderando cognoſcimus.

Omne esse purum in Deo est. creatura verò è Myſticorum ſententiâ Nihil esse dicitur, & quo ſenſu.

In

In Esse creato ecquam ad ipsum Esse potentiam vides, præter esse posse, & posse non esse? Prius causæ, non sibi: posterius sibi, non causæ debet. Nam quod possit esse, suæ nequit arrogare virtuti; cum antequam esset; ac proinde cum nullam virtutem haberet, diceretur de eo quod esse posset, non illius sed causæ declarando potentiam: Posse verò non esse, cum impotentia sit, atque defectus, omnis autem defectus, ut rectè monet Augustinus, ex Nihilo sit, vel, ut S. Thomas loquitur, in privatione situs sit; id utique Deo cujus Esse purum, & limpidum ab omni face Nihili liberum est, assignari non potest; sibi itaque soli hoc solum ut proprium, suumque vendicat. Quare si rei naturam potentia demonstret, quod ex se tantum habet ut possit non esse, ipsius *Non esse*, seu Nihili naturam obtinet. Hoc loco sileant necesse est, qui possibilitatem propriam creandis attribuunt. Prætereà quod ipsius *non esse*, quam *Esse*, centies millies amplius sortitum est, id ipsius *Non esse* nomen aut Nihili sortiri debet, veluti si quippiam partis auri millesimæ admixtione neglecta, simpliciter cuprum vocemus: Res autem singulæ creatæ *Esse* tantum unicum, & definitum possident, toties autem Non Esse, quoties res alias diversas nominare licebit. Vitis enim tantummodò vitis est. Sed non est Aquila, non est Balæna, non Leo, non Homo, non hic, vel ille, aut alius Angelus: ut ipsius Esse unicum tot aliorum *Non esse* accumulatione oppressum, ac propemodum extinctum, seu potius ex infinito quasi *non Esse*, minima ipsius *Esse* admixtione conflatum esse videatur. Neque hic necesse est ut objectiva quædam Nihili simulachra, sed ejusdem tantummodo rei positivæ nationes varias comparando cum diversis, effingas, unde rem limitatam haud magis Esse proprium includere, quam alienum excludere perspectum erit. Deus, fateor, non est Creatura, sed quicquid Essentiæ puræ è creatis eliquare cogitando liceat, id quà defæcatum, atque à Nihilo purgatum apparet, Creatori negare non licet, Atque ita simplicissima essentia omne Esse complectitur, ut pertexamus institutum de simplicitate sermonem, ut nullum Esse cuilibet formalitati Essentiali desit, quo ab altera quoquomodo distinctione vel minima discernatur.

vide. l. 2. n. 52. de negativis,

Decreta Dei libera. Objectio.

§. 19. Verum ingens hoc loco simplicitati divinæ moles objicitur, quam nemo hactenus arte ulla, vel machina amoliri potuit vel perrumpere. Deus ita mundum ex Nihilo fabricare decrevit, ut decretum hoc omittere, atque aliud decernere potuisset. Hoc igitur decretum non necessarium, ab essentia Dei prorsus necessaria reipsa distinguitur. Nam qui fieri potest ut necessarium sit idem, & non necessarium? aut aliquid ab alio non esse diversum, sine quo existere, ac suum esse proprium potuisse habere? Non igitur est simplex, sed ex natura necessaria, & de-

decreto libero conflata Divinitas. Deum ne necessario de rebus creandis statuisse censebis? Ecquod in illis tam excellens, tam illustre bonum conspicit, ut eo se nullo modo carere posse judicet? Num inopiæ subsidia, aut timori præsidia, aut dignitati quærit insignia? cur ea necessario velle debeat, quæ sibi minimè necessaria noverit? Quid ni indifferenter se habeat ad singula, ut quodque pro arbitrio seligat aut rejiciat, quibus omnibus absque emolumento abundet, aut detrimento careat? Nescio quid voluntatem trahat nisi vel rei magnitudo, vel volentis indigentia, vel præceps & cæca cupiditas. Magnitudo non trahit, nam quod tibi magnum, id Deo minimum, ac prope nihil videtur; quod autem trahit, ei quod trahitur virtute præpolleat necesse est. Reliqua allegare non audes, ne compositionis maculam abstergendo, majorem inopiæ, vel inscitiæ divinitati notam inuras. Sed forte Bonitatis suæ redundantiâ quadam haud coercendâ, in creaturas exuberat. At non cæco impetu rapitur, sed cognitionis ductu regitur divina bonitas. Aliquid igitur videat necesse est, sine quo nec bonitate suâ plenè frui, nec felicitate perfectâ gaudere queat. Quid autem illi defuerit, cui ex seipso apta sunt omnia, quæ ad beate vivendum conferunt? aut quid esse creatum tantâ Nihili aspersione fœdatum essentiæ puræ splendoris adjiciat? Quocirca vi suâ indifferens est divina voluntas, cum ratio nulla ad valendum abripiat adigatque. Quamvis autem ab æterno decreta conceperit, ac sine ullo initio vel noluisse semper vel voluisse noscatur, id tamen virtutis indifferentiæ non obstat.

Non sunt necessaria: sed indifferentia non modo fuerant sed & semper sunt.

§. 20. Idque ei palam ac manifestò patebit, qui genuinam æternitatis divinæ notionem mente formaverit, quam in fixâ, & immobili illius esse quod habet perseverantiâ sitam videas; cum ex eo quod â se sit, omne esse contineat, unde nec aliud aliunde quærendum, nec quod habet aliena vi quassandum, aut ab immobili statu dimovendum intelligas. Porro in eo quod natura sua fixum est, & immobile, nec præteritum, neque futurum, quæ secundum prius, & posterius fluxionem quandam, & successionem indicant, sed tantumodo *Nunc* quoddam incommutabile semper incipiens, nunquam desinens cogitare potest. Quare licet olim, & semper de universo condendo decreverit, id tamen decretum si ut in divina mente conceptum, non ut ad temporis decursum cogitatione nostra relatum spectes, ita voluntatis indifferentiam illæsam servat, ac si non ut pridem egressum, sed ut nunc primum ab ea indifferenter egrediens consideretur. Quare suspensum ad utrumvis, voluntatis nutum, alterius electione jam diu sublatum existimare non debes, sed ita nunc exerceri, non extingui ad volendum aut nolendum indifferentiam,

Idque ex Æternitatis notione colligitur.

ac si nunc tantum velit quod semper voluit, neque unquam velle desistit. Nam cum voluit, ac volet, in Deo sit idem ac vult, seu velle quoddam persistens, & immobile; argumentum à verborum nostrorum temporibus ad fluxionem temporis significandam inflexis, ad æternitatem Dei stabilem imperite traducitur. Hinc etiam nullo negotio percipies, cur Deus etiam in decretis non necessariis incommutabilis esse debeat; quod enim quisque nunc vult, licet haud necessario velit, hoc ut nunc volentem, id ipsum non velle quis cogitet? Deus autem quod vult, non ut olim voluisse, sed ut nunc semper volens intelligitur. Cæterum qui æternitatem numinis decursu cujusdam temporis imaginarii metiuntur, iis aliter tum de indifferentia, tum etiam de immutabilitate Philosophandum est. Decreta nempe vetera non rescindere, quia nil ejus animo novi possit occurrere, qui ab æterno cuncta prospexerit: Eadem autem olim cum indifferentia facta, quia omnia circumspiciendo nihil invenit quod necessario ad decernendum urgeret; determinatione tamen antiqua, indeterminationem in posterum tempus sublatam. Quæ licet crassa quadam & insulsa fluxi temporis cum æternitate stabili commensione fingantur, nil eos adjuvant, qui Deum nihil non necessario decrevisse nulla ratione solida nixi, sed ancipiti vocis unius significatione seducti pronunciant. Libertatis enim vocabulum, quia ad necessitatem alicubi detortum vident, licet alibi centies indifferentiæ astrictam sciant, decreta Dei tametsi necessaria, libera tamen futura non dubitant. Nos autem divinæ voluntatis indifferentiam, non ex voce ambigua, sed ex certa ratione deduximus, qua nihil esse quod necessario determinet, sine summa divinitatis infamia, demonstravimus. Mitto indubitata sacrarum paginarum oracula, quibus Deus nos ante constitutionem mundi elegisse, atque omnia secundum consilium voluntatis suæ operari dicitur. Constat autem necessaria non eligi, sed obtrudi, neque de rebus quæ non possunt non evenire consilium capi. Patres autem palam & passim affirmant Deum genus humanum condere, vel non condere, redimere captum à Diabolo, vel non redimere potuisse. Aristoteles impii erroris accusatur à Patribus, Abialardus, Wicleffus & Astrologi damnantur à Conciliis, quod decreta Dei & opera necessitatis legi subjicerent; quæ quia ab aliis accurate tractata, congestis & expensis Scripturæ, Patrum & Conciliorum sententiis, consulto prætereo. Perperam ergo simplicitati divinæ, decretorum omnium falsa necessitate consulitur.

Quam multi depravant.

§. 21. Alii dum simplicitati divinæ consulunt, humanæ rationi mortiferum bellum indicunt. Ipsam enim eandem volitionem Dei necessariam, eodemque plane modo se intrinsecus habentem, putant idoneam, quæ sola absque ulla intranea, vel extranea variatione rerum verè, propriè, & intrinsecus

Confutatur Suarii aliorumque sententia.

secùs volentem reddat, aut nolentem; adeo ut si ante mundum conditum, fingatur factum quod fieri potuisset, ut Deus mundum condere noluisset, nulla prorsus vel intra vel extra diversitas extitisset. Hoc si explicatè narrasse, refutasse non fuerit, amplius in posterum ad aliquid refutandum excogitare tenebimur, quam ut illud cum primis ac notissimis humanæ scientiæ principiis apertè pugnare, atque ab omni intelligentia alienum esse clarissimè demonstremus. Ecqua lege cuipiam interdicas ne somnia sua pro dogmatis propalam in scholis venum exponat, ubi merces hujuscemodi venales videris? Idem eodem plane modo se habens, & reliquis etiam omnibus invariatis, volens aut nolens esse poterit. Si Velle, & Nolle, nihil diversitatis indicent, atque illud Velle è cujus fæcunditate tanta rerum omnium exundat ubertas, ab eo Nolle quod sterilitatem, vastitatem, & vacuitatem meram inducit, solo nomine seu denominatione discrepet; in cæteris certe potiore jure vocum tantummodo, non rerum varietate contenti esse possumus. Scilicet una simplissima & necessaria natura Dei, eademque invariata, est ipsum Velle aut Nolle indifferens, & non necessarium, quod ad entitatem quidem attinet, sed non quoad denominationem: quoad sufficientiam, sed non quoad efficaciam; quoad Esse, non quoad terminari. Quorsum hæc? Nempe ut oblatranti Dialectico offam ingerant. Jejunus enimvero sit qui talem arripiat. Ecquam enim vim his verbis denominationi, efficaciæ, terminationi subjiciunt? num in Deo vel extra Deum differentem ullum se habendi modum significant? Nullum omnino. Idem igitur est denominatio quod Entitas, efficacia quod sufficientia, neque terminari ab ipso Esse distinguitur. Haud immerito ludus vocatur literarius, in quo sic literulis, & voculis in modum plane puerilem luditur.

Visquii etiam multorumque sequacium.

§. 22. Alii itaque verbis hujuscemodi aliquid saltem extraneum significari volunt. Audi nunc præclarum inventum quo jamdiu scholæ circumsonant. Deus ab æterno res liberè decrevit efficere, eaque libertate quæ necessitati repugnet. Transferto nunc eò animum ut exordium mundi cogitatione præcurras. Quid in Deo? Voluntas tantummodo necessaria. Quid extra? Mundi futuritio. Quid hoc? Ens negativum ab æterno existens, & mundus suo tempore conditus. Quid si rem quampiam alio atque alio consilio ductus creare velit? eadem certe negatio, eademque res animo obversatur. At actio, seu res quædam modalis diversa cognoscitur. Euge vicisti. Sed quia Deum non necessario velle quod velit autumas, *finge* noluisse mundum creare. Qua nam re hoc nolle à priore velle distinguitur? Num Deus tibi alio modo se habet? Negas. Atqui ex hoc Nolle vacuitas, ex eo Velle consequitur rerum copia. Mirum sane & prorsus incredibilis ex eadem causa eodemque se plane modo habente

modò nihil, modò plurima, & maxima emanare. Nonne vides te in eundem laqueum, quo alios irretire, atque irretitos deridere solebas, incidere? At illi, inquies, nihil apponunt, quo Nolle à Velle secernant. Tu vero quid? Deum nolle mundum producere, negatione mundi non modo ab æterno, sed nunquam non existente completur. Egregium sane complementum. Putabam velle & nolle voluntatis affectiones esse summè intimas: In nobis quidem sunt, in Deo autem jure quoque potiore deberent esse, quo voluntatis ejus liberæ vis, & efficientia major agnoscitur. Res ne liberè eâque libertate quæ necessitate contraria sit, à voluntate derives necessaria? Quid non cogit mortales dicere, & facere dura necessitas? Hoc quoque in angustias reducti coguntur asserere. Itaque res ipsas à voluntate Dei necessariâ proximè emanare, liberè tamen, non necessario contendunt, haud secus atque ipsæ volitiones, non aliæ actiones à voluntate nostra procedunt. Deus igitur non est indifferens ad volendum, sed tantum ad agendum. Hoc quoque non nemo concedit. Sed primò sine causa, nam velle, & agere inter se confundere potuisset. deinde sine fructu. extraneorum enim productio effectus est libertatis, non exercitium. De nobis è nobis ipsis experientia intima, de Deo è sacris literis interpretatione propria & clara colligimus. Omnia quæcunque voluit, fecit. Nisi prius sit natura velle quam facere, ut à volitione tanquam à fonte promanet affectio, Tautologiam insulsam Davidi & Prophetæ sapienti, & eleganti Poëtæ per calumniam affingis. Diceret enim, Omnia quæcunque fecit, fecit. Faciendo quippe & non aliter velle judicas. Jam vero cum Deum ita mundum audimus dilexisse, ut filium suum unigenitum daret. Incarnationem à dilectione velut à causa deducimus. Quod si amare mundum, sit dare filium, vide quam te subtilem interpretem præstes. Sic Deus amavit mundum, ut mundum amaret. Præterea ante constitutionem mundi elegisse nos dicitur. Electio sane indifferentiæ libertatem sonat, eademque effectioni præcessit, habet igitur liberam volitionem, ab actione indifferente distinctam. Idque licet scripturæ tacerent, manifesta ratio loqueretur. Quis enim ab æterno Deum libere volentem aut nolentem per voluntatem necessariam, & res nondum existentes, aut negationes rerum existentiam excludentes intelligat. Senex, inquiunt, ab annis præteritis nominatur. Idemne, si deliret, à sapientia præterita sapiens erit? Mitte verba, quid velle quid nolle sit inspice. Qualis sit cujusque notio, & natura, non quâ voce vulgus appellet, quærimus. Antequam quicquam esset à principio Deus solus seque solo contentus occurrat primùm animo ut volens mundum condere, tum, quod fieri potuit, eundem noluisse quicquam efficere, mente reputa. Has tu notiones tam dissimiles, tam contrarias, rebus positivis,

Herice.

vis, quæ tunc nihil sunt; & negativis quæ tunc, & semper nihil sunt (ac si quid essent, tamen extranea essent, atque à facultatis volentis, aut nolentis indole aliena essent) compleri, & conciliari posse confidas? Non ut cuiquam persuadeas, hæc commenta fabricas; sed ut disputatoris ferociter invadentis petitiones evadas. Qui tamen, si promptus fuerit, hac arte se repelli non patietur. Instabit enim ut negationes ex arcano penu, vel potius ex obscuro non Entium specu depromas, quibus varia Dei decreta, idem ob diversa proposita nolentis efficere, compleantur: cogetque te versicolores ejusdem rei negationes, hoc est rei unius, non unum, sed multiplex & multiforme non esse, monstra sane ridicula, in theatrum cum spectatorum risu producere. Tum tibi thesaurum, quem ex positivis & negativis somniando corraseras, expilabit, teque ad deditionem egestate compellet; veluti cum Deus culpam venialem absque gratiæ infusione condonat, quod tibi, qui gratiam cum veniali componis, inficiari non licet, ecquid è tanta copia suppetit, quo decretum hoc termines, atque perficias? Non gratia, quia hanc vel non infundit, vel si infunderet cum culpa leviſſima non pugnaret; non aliquid negativum aut privativum, cum peccatum habituale in privatione constituas, privationi autem habitus, vel positivum oppositum, non alia privatio adversatur. Mihi vero, qui res non existentes nihil esse, ac proinde nulli usui esse docuerim, quique negationum, & actionum modalium figmenta sustulerim, atque adeo opinionis hujus fundamenta subverterim, tribus eam verbis falsitatis arguere licuisset. Sed libuit hic tantisper immorari scribendo, ut hæc legendo cognosceres, quam ludicre res seriæ ac summæ tractentur, quamque etiam ab iis qui summi putantur, inanis sæpe opera in quæstionum difficilium explicatione præstetur, dum argutiis potius ad litigandum, quam argumentis ad persuadendum utuntur. Satius fuisset tanti Mysterii ignorantiam taciturnitate pia profiteri, quam inscita & inutili disputatione prodere.

§. 23. Restat celebris Cajetani sententia, qui decreta Dei libera, verè, intrinsecus, atque ex natura rei à voluntate necessaria, seu natura distinguitur; eaque in Deo inesse, ut abesse potuerint, palam & disertis verbis asserit; à quo tantum verbo dissentiunt, qui distinctionem ex natura rei, cum virtuali commutant, durique pronunciati rigorem, mollire vocabulo temperant. Cajetanum reliqui execrantur, propterea quod pulcherrimam naturæ simpliciſſimæ speciem proprietatibus male consutis, consarcinatisque dividat, atque deformet. Ac mihi quidem etiam minùs quam aliis placere debet, qui

In. 1. p. q. 9. a. 2. & 3.

Opinio Cajetani rejicitur.

qui distinctionem quamcunque quæ rebus insit, realem putem. Ego enim ita soleo rationes sciendi mecum subducere, ut nihil ultra sciendum reliqui cernam, ubi à notionibus claris, distinctis, & quasi seorsim inter se discriminatis, ad alias confusas, permixtas, atque invicem implicatas confugiendum esse videro. Itaque quod non Est, id ego Nihil omnino esse pronuncio, eaque re ad nullum usum adhibeo. Quod autem est, seu Esse quodcunque obtinet, id itidem Rem, aut Realitatem, Ens, aut Entitatem, sermone simplici & claro nuncupo. Quodque rei non cogitatione affictum, sed naturâ infixum esse comperio, id mihi Reale dicendum videtur. Eoque me ab hac persuasione ægriùs divelli patior, quò difficillima quæque in Philosophiâ, & Theologiâ lustrando, minus indies appareat necessarium, ut scientiam è notionibus impermixtis liquidò promanantem, confusione turbare, atque obscurare debeat. Neque enim in locum ullum incidisse me memini, cui explanando vel rebus quæ nondum sunt, vel quorum haud aliud est esse, quam quod alia non sint, suum quoddam, nescio quod, esse tribuere necesse fuerit, vel si illud vane comminiscendo tribuerem, explanari posse perspexerim. Neque majore me seu necessitate cogi, seu utilitate duci video, ut insignem distinctionis veræ, & Realis imaginem, formalis, aut virtualis fuco contaminem; cum nullius usquam, præterquam illius quæ manifestò realis est, distinctionis præsidio egeam, Et nihil insuper cæteri alias fabricando operæ pretium faciant, quam ut os Logici procaciter obloquentis occludant. Itaque hæc à me sententia probari nullo modo potest, quippe qui distinctionem omnem interiorem vel realem, vel inanem esse censeam; & realem omnem, præter eam quæ personas ab invicem distinguat, à Deo alienam esse sciam. Quibus autem visum est ea distinctione vel attributa inter se, vel personalitates à natura secernere, quam voluntati necessariæ, & decretis liberis Cajetanus interjicit, ij certe cur Authorem hunc tam acerbis incessant maledictis causam nullam invenio. Nam quod decreta libera quæ Deo nunc insunt, abesse potuerint, reprehendi, sublata compositionis labe, non potest. Entis enim necessarij quòd perfectione quadam careat non necessaria, præsertim si ejus loco alteram parem habeat, vitium esse, quis aliâ ratione cogitet, quam qua illius quod potest non esse, ab altero quod non esse nequit, discrimen eluceat; ideoque utriusque cum una sunt, non unum & simplex, sed conflatum & varium essentiæ genus appareat: quasi vero liberi decreti perfectionem, ex eo quod Entis increati intima & incommutabilis affectio sit atque proprietas, haud satis à rerum creatarum turba promiscua, tam illustri dignitatis nota distingueres. In eo enim præcipue nonnullos hæsisse audio, ut hæc Dei decreta à rebus creatis internoscerent, atque eo Cajetanum

Sed à Scotistis immeritò.

num graviſſime premi ſenſiſſe, quo ſe nec leviſſimè tangi ſentiat. Sed neque Cajetanus nec alius quem mihi uſpiam reperire licuit, hujuſmodi ſolvendi ſpem unquam probabilem oſtentavit, neque ex iis quæ recepta ſunt Philoſophiæ principiis, ſolvendum in poſterum tempus ſperem.

Libertatis divinæ nodus ſolvitur.

§. 24. Agedum, quid notiones claræ Myſterio obſcuriſſimo lucis affundant, quamquè Philoſophiæ cum fide conciliandi ſpem afferant, videamus. Satis, opinor, ex iis quæ alibi explicata ſunt apertè patuit, figuram à figurato, motum à mobili, intellectionem ab intellectu, volitionem à voluntate, adeo nullo diſtinctionis intraneæ limite diſterminari, ut ſi vel mente tantummodo abſtrahantur, notio non modo parum Philoſophica, ſed plane Chimærica fabricetur. Deum igitur libere volentem aut nolentem ad noſtræ voluntatis exemplar, mutabilitate demptâ, conſidera. Qua cognitione clariſsima compoſitionis ullius, quæ vel reipſa fiat, vel cogitatione fingatur, neque indicium vel minimum, aut umbra relinquitur; ac veluti radio uno luminis, mox omnis quæ tamdiu Myſterium tam arcanum abdidit caligo diſpellitur. Age omnem vel argutandi ſollertiam, vel calumniandi verſutiam excute. Quid minùs perfectum, ac Deo minùs dignum ſingula undique explorando reperias? Nihil hic ſimplicitati officit, immutabilitati Nihil. Neque enim aut noſtrum velle ex voluntate, & volitione conflatur, neque Deus quod ſemper eſt volens, ullo unquam tempore velle deſiſtet. At enim Deus aliquid habet intrinſecùs quod potuiſſet non habere. Falleris. Quamvis enim ab æterno mundum ita creare decreverit, ut contrarium decernere potuiſſet, non tamen hoc decretum tanquam aliquid diſtinctum atque agglutinatum habere cogites, cum neque corpus hoc pacto figuram, aut motum, neque anima intellectionem & volitionem habeat. Hunc enim ſermonem vulgus ad captum ſuum, non ad Philoſophiæ uſum aptavit. Sic igitur Philoſophum loqui decet. Deus ita nunc eſt volens, ut nolens eſſe potuerit; id eſt, ita nunc eſt, ut aliter eſſe potuerit; unde aliud & aliud eſſe, non aliam & aliam formam eſſentiæ adjunctam, & ab eâ diſtinctam ſignificet. Hoc igitur fortaſsis accidentarium quoddam eſſe, quia potuiſſet abeſſe, ſuſpicêris. Sed vana ſuſpicio. Nam quod incommutabile eſt, id non ad accidentarium eſſe, ſed ad Eſſe ſubſiſtens referendum centies docentem audias Auguſtinum. Quare non quod potuit, ſed quod poterit abeſſe, id accidentarium dicendum erit; ſi huic nomini eſſe quoddam imperfectum ſubjici velis quod certe velle debes, alioqui bruto fulmine minitaris. Ecquæ porro imperfecti ſpecies occurrit animo, ex eo quod Deus res creatas ita fieri velit, ut noluiſſe perinde potuiſſet, cum non ſit volendo, quam nolendo perfectior? Non hoc velle dimittet ut aliud aſſumat, ſed quod aſſumpſit, omittere, atque aliud velle aut

l. 1 n. 27. &c.

nolle

nolle dignitate par ſuſcipere potuiſſet. Immo ſi voluntatem ad partem alterutram neceſſario nutu propenſam, & non velut æquatâ librâ ſuſpenſam obtinere fingamus, eam rebus creatis aſtrictam cogitando, nequicquam ab indigentiæ labe purgabimus. Quare ſi tu accidentarium voces, quod perfectiſſimum cernas parum laboro. Ego vero neque à Magiſtro tuo Porphyrio hanc tibi loquendi legem irrogatam intelligo, ut quod potuit non eſſe, niſi poſſit etiam cum Eſſe aliquo alio commutari, accidentarium appelles, utrumque enim accidentibus iis convenit, ex quibus ſingulis definitionem omnibus communem extraxit. Verum Volitio Dei libera ut accidens non ſit, erit tamen quippiam reipsâ à voluntate diſtinctum, quia aliquid eſt, quo voluntas carere potuiſſet? Semper in eodem luto hæres. Nunquam ne tibi è cerebro hæc craſſa phantaſmata patièris extundi, quibus motum & mobile, volitionem & voluntatem, veluti binos inter ſe afferes, cogitatione compingis? Quoties tibi inculcatum eſt, nihil etiam inter ſomniorum ludibria Phantaſia confingi, tam à ratione omni, & intelligentia alienum, quam ſi quis motum divulſum à mobili, atque à ſeipſo ſuſpenſum, aut volitionem à voluntate diſtractam cogitet. Hoc tibi toties ut rationi diſſentaneum, neque uſu ullibi neceſſarium ab animo aluminandum ediximus, adeo ut ne quidem ad Euchariſtiæ myſterium explicandum accidentia à ſubſtantiis vel re, vel mente ſeparari debeant. Itaque ut reſponſione Logicum bicorni repellas, hoc tibi habeto. Potuit Deus hac volitione carere, id eſt potuit hoc non velle, concedas; habet illam inſtar formæ cujuſdam inhærentis quâ carere potuit, Neges, Nolitionis igitur à voluntate diſcrimen audacter negare poteris. Atque ex omni diſputatione comperies obſcuritatem aliunde nullam oriri, quam ex notione perverſiſſimâ ſed dudum inolitâ, quâ rudes Logicorum animi jam inde à primo Philoſophiæ veſtibulo depravantur. Enuntiationes enim quaſdam perſpicuas, atque ad rei ſubjectæ indolem, quod rarò contingit, aptiſſime conformatas, quibus Socratem *eſſe* ſapientem, corpus rotuudum *eſſe* dicimus, praviſſime detortas ſic explicant, ut Socratem habere ſapientiam, corpus habere rotunditatem, ſubjecti, formæque inhærentis, ſed binarij rerum diſtinctarum imagine perquam fallace ſignificent. Quæ quamdiu ex animis obliterata, ac penitus eraſa non fuerit, neque ad hæc quæ nunc agimus, neque ad alia nec pauca, nec obvia, de quibus alias rractamus, capienda paratos fore prævideo. Quoniam autem quam difficile factu ſit non ignorem extirpare radicitùs quod altas conſuetudine longâ radices egerit, eadem mihi identidem aliis atque aliis verbis exponere neceſſe fuit, ut errorem veterem veluti ictibus ſæpius repetitis excinderem. Quod

ut

ut in rebus vulgo cognitis magna temporis jactura committitur, ita in aliis à communi ſcholæ ſenſu remotis, haud abſque detrimento gravi veritatis omittitur. Atque ut ſententiam meam, reliquarum incommodis nullis urgeri cognoſcas, Ego à decretis liberis neceſſitatem omnem excludo, ac voluntati divinæ indifferentiam majorem, ſuique magis potentem, ac minùs impeditam, quam humanæ tribuo. Tum tibi Dei ſpeciem volentis, ac nolentis exhibeo, non Nominum, at *Non Entium* varietate fucoſa ementitam, ſed vera, clara, & interiore diverſitate conſpicuam, qualemque in nobis ipſi volentibus atque nolentibus experimur, Hancque à compoſitionis cujuſcunque macula, vel umbra tenuiſſima puram oſtendo, cum & noſtrum *Velle* ſimplex & incompoſitum eſſe probaverim. Nihil etiam Deo commutabile, accidentarium Nihil affingo. Præterea voluntatis Dei liberæ rerum omnium cauſæ, in ſpiritu volente imaginem vivam, in corpore moto veſtigium non obſcurum aſpicias. Poſtremo tibi unde res creatæ profluunt fontem aperio. Neque enim à voluntate, in qua neceſſitas mera cognoſcitur, creatum ſeu non neceſſarium Eſſe, cauſæ ſuæ non modo diſſimile, ſed contrarium, emanare cognoſcas. Sed Entis non neceſſarij poſſibilitas, in voluntatis neceſſariæ potentia eo modo fundatur, quo voluntas Dei neceſſaria, juris ſui, & poteſtatis eſſe cenſetur, & circa quædam pro arbitrio volendo, aut nolendo verſari poſſe intelligitur. Nimirum ut, quod rationi apprimè conſentaneum eſſe liquet, cum effectu cauſa conſentiat. Quodque ſine varietate volentis & nolentis intranea, nemo cogitatione complecti queat, id mihi, qui Deum aliter ſe habentem volendo, quam nolendo conſtituo, explicatu proclive, ac promptum fuerit, ut ex ipſius cauſæ viſceribus rationem exprimam, qua vel multa, vel pauca, vel nihil omnimò efficientem intelligas. Deus enim volendo, atque ex volendi modo fæcunditatem effundit, eandemque nolendo quaſi in ſemet trahit, & ſorbet. Quam ſi tibi eadem omnino ſpecie volentem pariter & nolentem abjicias, nihil uſpiam in fonte reperies, cui rivorum & redundantiam & ſiccitatem attribuas; quove rerum creatarum à causà increata, velut ab origine prima deductionem, aut à radice primigenia cunctarum fœta ſeminibus germinationem animo contempleris.

§. 25. Verum haud magis viſa eſt decretorum libertas, quam Perſonarum Trinitas cum naturæ ſimpliciſſimæ unitate pugnare. Nam quia Pater filium gignit, & ex utroque procedit Spiritus Sanctus, è productione non ficta colligitur vera diſtinctio. Ecquis enim hunc eſſe Patrem, & alium eſſe Filium à Patre reipsa prognatum, abſque alterius ab altero diſtinctione reali cogitet? De hac autem cogitanti ſpecies quædam compoſitionis realis occur-

De trinitate.

Difficultas de compoſitione, & contradictione proponitur.

occurrit. Nam ſi Pater ita filio naturam tribuat, ut proprietatem ſibi nullam non communicatam retineat, non erit quo Patrem à filio internoſcas. Naturam igitur dat, paternitatem non dat ſed ſibi retinet, quare vel in unam rem ſimplicem contradicentia cadere, vel è naturâ & paternitate reipſa diſtinctis perſonam Patris conflatam eſſe fatebimur. Neque filii quoque perſona ſimplicior, quippe quem genitum ſcire non licet, niſi vel natura, vel *filietas* quam *filiationem* Scholaſtici vulgò nuncupant, producta noſcatur; non autem natura, quam quia Patri, filioque communem, communicatam oportet, non productam: filiatio igitur, unde hanc produci, illam non produci, rurſus illam communicari, hanc autem minime communicari, cum non ſit utrique communis, ſequitur; quæ cum de reipſa ut in ſe eſt, non autem ut menti hallucinanti ſubeſt, pronuncientur, diſtinctionem in reipſa, ac proinde Realem indicare videntur. Qui vero diſtinctionem ſeu formalem, ſeu virtualem non affictam ſed infixam adhibent, ignorantiæ potius latibula, quam veritati conſtruunt propugnacula. Namque ut Quod eſt, id res eſt, & reipſa exiſtit; ita quæ rebus ipſis diſtinctio ineſt, ea diſtinctio Realis eſt: utque inter rem, & purum Nihil haud quicquam medio loco ſitum, abſque utriuſque confuſione cognoſcimus; ita diſtinctionem inter Realem, & Nullam, ſi quam aliam rebus inſitam comminiſcimur, utriuſque notionem commixtione fœdiſſima obſcuramus. Eſto illis hoc licitum, quos incorporea corporeis, cognitiones cognitis, Entia non Entibus proprietatum confuſione miſcere non pudet; mihi vero qui veritatem fidei non tam verborum præſtigiis, quam rationum præſidiis tueri velim, notionibuſque confuſis, velut offuſis nebulis, rationis puræ radios infuſcari cenſeam, nullo modo licet. Neque illis etiam licentia quam arrogant utilis eſt. Nam qui viſionem à facultate videndi tanquam rem à re diſcrimine non formali, aut virtuali, ſed reali diſtinguunt, eò quòd objecta vel ſpecies aut luminoſa corpuſcula viſionem, non viſum pariant; naturam inter non productam, filiationemque productam, diſtinctionem inficiari Realem nullo jure poterunt. Quoſque contradicentia quæ vocant *intentionalia*, ut ſciri, non ſciri, minimè terrent, ita tamen contradicentia *Phyſica*, ut fieri, non fieri, ſummoperè reformidant; ad Phyſica vero pertinent gigni, non gigni, ideoque non Logicum ſolum ſed Phyſicum, aut etiam Metaphyſicum pari metu ſollicitum habere debent. Nam quâ ratione filium gigni, non fieri poſtea docebimus, eam diſtinctioni tollendæ inter Genitorem & Genitum nihil opis afferre videbimus. Idque vel ex hoc loco cuilibet videre licebit. Diſtinctionem etenim realem ſi ab effectione ſolâ deducimus, undenam filium, quem genitum non factum credimus, verè, propriè, & realiter à Patre diſtinctum eſſe colligimus? Sed & alia quoque non deſunt

desunt compositionis indicia. Utrum horum mavis accipe: Paternitatem à naturâ vel interiore discrimine distinguendam, vel utrumque planè idem intrinsecùs esse dicendum. Si prius, ergo Pater est à natura, & Paternitate compositus: si posterius, vide quid huic argumento respondeas? Paternitas à natura intrinsecus non distinguitur, idem autem, ut patet, de filietate censendum; ergo nec intrinsecus à filietate Paternitas, ideoque nec filius à Patre distinguitur. Nihil autem distinctio seu formalis, seu virtualis juverit. Nam Paternitas, & filietas virtualiter tantum, aut formaliter à natura distinctæ, haud amplius quam virtualem, aut formalem ab invicem distinctionem ostendunt. vel sic potius, ut argumentum axiomatis vulgaris, *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*, & vim, & verba contineat. Paternitas & natura absque distinctione reali sunt eadem, filiatio itidem, Paternitas itaque & filiatio absque distinctione reali sunt eadem inter se. Hoc etenim Pronunciato, vel eadem vel nulla probatur identias. Nodum autem tantummodo monstrant, non solvunt, qui medium terminum(nam & verbis, non modo sensis pugnantibus assuefacti, quod in medio est, terminum vocant) singularem in Syllogismo, & pluribus incommunicabilem requirunt. Hoc enim opus, hic labor est, ut natura quæ una sit, eandem idcirco singularem non esse doceas, ut simplex unitas cum Trinitate non ficta sed verâ cohæreat, eademque natura personis tribus communis appareat. Quod obscuro distinctionis formalis, virtualisque vocabulo nihilo quam antea clarius evadit, sed eo potius nomine identitatis & distinctionis notio clarissima obscuratur, eodemque axioma receptum non tam interpretando ad Divina applicas, quam inficiando repudias. Nam qui naturam unam pluribus communem asserit, is proprietates quæ personas plures constituunt, easdem inter se negat esse, licet unamquamque, & naturam eandem fateri cogatur, ne præter compositionem, è natura proprietatibusque distinctis, etiam his tribus, & natura una Quaternitatem inauditam numeret in Trinitate. Sunt qui simplicitatis tuendæ causa, proprietates per cognitionem tantum extrinsecus à natura distinguunt; ii tamen principiis inhærendo vulgaribus, cum proprietates omnes accidentarias, in iisque etiam modales à subjectis intrinsecùs distingui censeant, quo se è difficultatibus expediant nihil inveniunt. Sed vel distinguendi personas fundamento subverso, ruinam fidei cum Sabellio moliuntur; vel longo sermone nihil explicando, atque etiam explicari nil posse profitendo, causam hanc in alteram vitam comperendinant, eamque non modo non decisam, sed obscuritatibus minime necessariis involutam in medio relinquunt.

Quam distinctio formalis aut virtualis haud expedit.

Vasquius & alii.

§. 26 Ascultа nunc, & quid Philosophia claris exorta principiis, fidei declarandæ conferat, diligenter attendito. Nam quæ à contradicentium

Sed Notio modorum superiùs explanata dissolvit.

propositionum pugnâ, & compositionis labe argumenta ducuntur, atque omnibus visa sunt aliorum omnium difficillima, ea explicatu facillima planè perspicies. Tres personalitates, seu proprietates quibus personæ invicem distinguuntur, tres esse unius naturæ Modos, vel naturam trino modo se habentem statuo. Qui quidem Modi cum immutabiles sint, atque eâ re accidentariis oppositi, quibus etiam substantiæ statuuntur adversæ, substantiales propriè, aut tres substantiæ, vel Hypostases more Græcorum dici poterunt. Latini vero cum substantiæ voce non modo quod accidenti contrarium est, verum etiam quod velut Essentia, aut natura, commune est, linguâ suâ etiam propriè significari perpenderent, ut in loco lubrico cautè procederent, neque loquendo periculum errandi crearent, subsistentiam substantiæ voci substituunt, quæ subsistendo fluxi, commutabilisque accidentis instabilitatem excluderet, nec tamen Essentiæ, ut nondum eo sensu recepta, notionem ingereret. Tribus igitur Modis si naturam divinam subsistentem intelligas, trinam substantialiter, seu tres substantias, haud aliter ac naturam corpoream sive *Extensionem* figurâ, motione, quiete accidentaliter ruinam, seu accidentia tria, absque omni compositionis labe, vel notâ cognosces. Modi quippe tam subsistentes, quam accidentes, cum non ut quid ab eo quod modificant discriminatum, sed ut quo illud alio atque alio modo velut affectum est, cognoscantur, tum compagies ex hoc, & illo commissæ suspicionem amovent, tum Axiomatis vetusti obstaculum removent. Nam, ut alibi dictum est, quod in seipso spectatum non apparet ut *Quid*, ad ea non pertinet *Qua* uni Tertio eadem dici queant. Neque magis obstat, filiationem produci, naturam non produci; cum è motu producto, non mobili; volitione quoque producta, voluntate vero non producta, nulla proprietatis à subjecto distinctio, ideoque nec compositio ulla effici, cogique potuerit. Quam cùm in illis ne separatione quoque, nedum productione solâ concludi potuisse memineris; eam hîc duorum signorum altero, quod ambobus alibi frustra tentasti, demonstrandi spem omnem perdideris. Neque enim ut ibi motus ab extensione, ita filiatio hîc à filio separabilis est. Cæterum haud secus atque anima intelligens, sive quodam modo se habens, volentem se, vel alio modo habentem reddit, eoque accidentaliter bina redditur, vel accidentia bina noscuntur, nullo compositionis occurrente vestigio; ita Deus modo quodam intelligendi, quem mox docebimus, filium producens, id est alio quodam sed incommutabili se reddens habentem, substantialiter binus apparet, sive in eo bina discernitur subsistentia, & vere, proprie, & intrinsecùs sive realiter productus à producente absque simplicitatis, quæ compositionem non numerum aspernatur, jacturâ distinguitur. Nam & anima nostra ut intelligens, à seipsa ut volente,

volente, licet accidentaliter, quia commutabiliter, vere tamen, & realiter. distincta cognoscitur. Quanquam distinctione reali haud tanta proprietate de anima, quam de Deo loquentes utimur; quia subsistentiæ in eo distinctæ ab substantiam, quam solam cum veteribus *Rem* presse loqendo dicimus; haud paulo propius quam accidentariæ quædam mentis affectiones accedunt. Sed recolenda sunt tantum, non repetenda quæ modis explicat, & decretis Dei liberis applicata sunt, ut argumenta è Philosophia communi nullo unquam tempore dissolvenda, priusquam ad hunc locum ventum esset, pleniſſimè dissoluta comperias. i. r. n. 27 l. 2. n. 24.

§. 27. Sed non modo argumenta dissolvere, sed mysterium ipsum, quoad licet, evolvere operæ pretium sit. Ac primo quidem cum in fæcunditate, & actuosa vi perfectum quiddam, & illustre, Deoque dignum pateat inveniri; restat ut hoc quid, & quale sit investigem; in eoque quod optimum & maximum investigando comperiam, id ei quod *A se est*, cuique proinde Esse omne perfectum & purum ineſt, adjudicem. Quoniam vero notitia omnis ab eo quod de se quisque, sensu quodam intimo, velut experiendo noverit oriunda, addendo, & diminuendo propagatur ad alia; ut à nobis incipiam, corpori nostro tum optimè esse censemus, cum ad agendum est optimè comparatum, adeo ut Medici morbum, animati corporis malum maximum actionis læsione definiant; cumq; actiones omnes corporũ, motio contineat; hanc autem ad metam dirigi oporteat, motum omnem à directione, seu cognitione velut ab origine prima duci necesse est. In hac igitur sic tanquam in primo, puroq; fonte sinceram fæcunditatis actuosæ contemplemur imaginem. Et cognitionem quidem nostram, mancam quodammodo, & imperfectam agnoscimus, eo quod facultatis patientis, non agentis, quod alibi vidimus, proprietas sit; anima vero hac passione quam recepit imbuta, aliam quidem passionem similem, seu cognitionem, facultate patiente non producet; sed qua determinandi & applicandi vi pollet, per directionẽ ad agendum instructa potest intelligi; vim autem determinandi haud alibi in nobis ipsi, quam in voluntate positam expetimur; quare nec per solam cognoscendi potentiam, nec absque cognitione quæ volunratem dirigat agere possumus; vim tamen agendi præcipuam, qua voluntas actuosa ad agendum armatur, in cognitione sitam esse cognoscet, qui emanationes illas cæcas rerum cognitionis expertium aliarum ab aliis, ut frigoris, caloris, aut ignis, ex animo mecum evulserit, & fæcunditatis omnis stirpem primam, atque primariam scientia niti perspiciet. Neque enim è causis effecta, quasi locustas è tenebricosa voragine exilire putandum, neque aliud putandi, ex iis, quæ nota sunt effectis, ansa præbetur. Res enim omnes, sive substantias à Deo solo, qui cognitione non caret, productas ostendimus; rerum autem, si incor-

Mysterii explicatio tentatur.

Cognitio est activitatis, seu fæcundi tatis origo.

si incorporeæ sint, mutationes à cognitione pendere perspicuum est; sin corporeæ fuerint, motione ad cognitionem dirigentem ultimò revocatâ, perfici demonstratum est. Neque sane ut mentem in partem omnem vertas, & torqueas, causam agentem, quæ quo modo agat, vel quid agendum sit nesciat, sive actionem directione carentem intelligas. Et quia Architectum plus operi, quam cæmentarium, aut fabrum conferre fatemur; actionem amplius cognitioni dirigenti, quam voluntati applicanti debere fatendum est. Unde obiter omnipotentiam Dei qua omnia creat, in utrâque quidem tam cognitione dirigente, quam volitione determinante, sed in priore potissimum sitam noveris. Ut creationem in Ideæ directricis adumbratione potissimum sitam cogites. Sanè qui rem penitius inspexerit, is ædificium magis ex intellectus exemplari descriptum, quam è voluntatis quodam thesauro depromptum videbit. Ecquid enim præter rerum quarundam ordinem ædificando producimus? ordinem porro magis ad directionem ordinantem, quam propensionem determinantem referri manifestum est. Quare si tam foret mens nostra perfecta, ut instrumentis agendi non egeret, atque opus ejusmodi, ut faciendum esse sine ulla dubitationis causâ liqueret; nihil obstaret, quin è solius Ideæ, seu disignationis ordine exemplari, ordinata rerum dispositio sine causâ adjuvante, aut determinante profluere censeretur. Quoniam vero in concinno situ corporum, decori illius, & pulchri quod in notione ordinante Mens continet, signum quoddam erigit, notamque relinquit; palam est nisi materiæ disparitas, suaque eam debilitas prohiberet, non obscuram sui significationem, sed repræsentationem manifestam, non notam impressam, sed formam expressam, effigiemque sibi simillimam effecturam. Nam quò forma producta similior, ex eâdem eò producenti similior notitia altera orietur, sive eò magis notitiæ actuosæ fœcunditas exercetur: causa quippe sui ipsius propagatione propriè fœcunda cognoscitur. Quò verò sui similitudinem majorem exprimit, eò nempe propius ad Identitatem efficiendam, sive ad seipsam propagandam, seu potius alteram ipsam producendam accedit. Propagatio namque Identitatem, productio vero distinctionem postulat; cumque uttaque fœcunditati conveniat, eo fit ut res quâ fœcunda intelligitur, alteram ex se, quæ quoad licet, simul & eadem, & distincta sit, promere videatur, ut productio velut unius & ejusdem multiplicatio sit. Magis autem Identitas quam distinctio spectatur, quia hac illa perfectior est. Quare quo productio perfectior, eo producentem inter & productum, distinctionis minus, Identitatis amplius cernitur. Id autem plenissimè perfectum cerneres, si fœcunditatem exercitam, non tam naturam, essentiam, substantiam, seu rem alteram, aut illud efficiendo, quam naturam eandem

Et potior pars.

Fœcunditas plenè, & perfectè exercita.

eandem cum altero communicando coognſceres. Eoque modo rei fœcundæ propagatio, aut ejuſdem emanatio, ſive transfuſio, id eſt, propriiſſima fœcunditatis actio notione prima, & intima perciperetur. Nihil autem hic occurrit cui facientis, creantis, facti, vel creati voces congruant, quippe quæ ex actionibus, quas circa res tantum, aut ſubſtantias diverſas exerceri videmus, ductæ fuerint. Cæterum fons, origo, principium, terminus, productio quoque & emanatio, & generatio, quibus ejuſdem rei veluti protenſio, derivatio, & communicatio cognoſcenda proponitur, quoad ſignis vulgi conſenſu, & uſu ſancitis, res minimè vulgares ſignificari queant, ad hoc declarandum haud incommode uſurpantur. Cauſæ vero vox anceps eſt, qua prolata Græci Principium, Latini potentiam effectricem intelligunt.

Eſſentia divina.

§. 28. His porro haud curſim lectis, ſed ſtudioſe perpenſis, menti purgatæ, & velut initiatæ propiùs ad ſacrum arcanæ Trinitatis Adytum licebit accedere. Principio in quodam intelligere, & velle à ſe, id eſt ab alia cauſa non facto, ideoque infinite perfecto, ipſum Dei *eſſe*, ſive Divinam eſſentiam, naturam, Divinitatem denique ipſam conſtitutam eſſe monſtravimus. Hoc intelligere, & velle fœcundum eſſe liquet, cum omnis ab intellectione, & volitione fœcunditas oriatur; tum infinite, ſeu perfectiſsime fœcundum eſſe conſtat; ideoque ſui quoque propagatione, non autem alterius tantum ſubſtantiæ effectione, ubertatis copiam effundere poſſe conſequitur. Naturæ vero propriæ communicatio, cum nihil non infinite perfectum, ac proinde nihil ulla ratione aſpernandum contineat, neceſſaria eſt. Verum in ejuſdem communione naturæ, diſtinctio dantis ab accipiente difficilis intellectu videtur. At ſi quibus natura communis eſt, ſingulos proprietatem peculiarem habere perſpexeris, diſtinctionem quæſitam inveneris. Cuique porro commune eſt intelligere, & velle increatum, hoc autem ſe aliter habere ſcitur, cum ut communicatione acceptum intelligitur, ac ſi ut communicationis principium; & fœcunditatis illius origo prima noſcatur. Hoc igitur intelligere, & velle non factum, præterea ut non communicatum, ſed ut communicationis fontem, neque tantum ut rem increatam, ſed & productionis communicativæ principium ſine principio, fœcunditatemque, ut ita dicam, fontalem exercens cogitando, naturam divinam primo modo ſe habentem, & quia modus incommutabilis, ſubſiſtentem, quia porro natura rationalis eſt, Perſonam in Trinitate primam intelliges. Quoniam vero quod in Deo eſt, id totum intelligere quoddam & velle eſt; is intelligendo tantum & volendo ſeu naturam alienam efficiat, ſeu propriam alteri perſonæ tribuat, fœcunditatem exerit. Et naturam quidem ut condat extraneum, tum intellectione dirigente, tum voluntate inſuper libere eligente utitur, neque enim opus tanti eſt, quin eo tan-

Perſona prima.

tantus Opifex qui in se uno omnia habet, facile carere queat. Itaque in res externas per intellectionem simul & volitionem Divinitatis exundat Plenitudo. Nostra quoque cognitio nisi voluntas accedat, vel res extraneas ordinando, vel etiam vocem proferendo, nec significationem sui levissimam dare, nedum repræsentationem effingere ullo modo potest. Neque etiam quod cognoscendi facultas sine determinandi vi, quæ ad voluntatem nostram attinet, vel in mente quicquam pariat reperire potuimus, & patientem potius, quam agentem à veteribus existimatam videmus. Quocirca videndum est, num in Deo alia per intellectionem, per volitionem alia naturæ divinæ communicatio discerni queat, an per utramque simul una sola processio concedi debeat? Nam de emanatione quavis alia per naturam, aut potentiam, mihi disceptatio nulla esse poterit, qui quicquid in Deo est, vel ut in ipso est, vel ut cogitatione nostra esse fingitur, ad intelligere, & velle revocem; neque incorporeo cuilibet præter cognitionem, & volitionem, aut appetitionem proprietates ullas attribuam. Infinitum ergo illud intelligere prout fœcunditatis communicativæ principium sine principio in persona prima subsistit, & volitionem indistinctam non tempore, non causalitate, non origine, sed notione præcedit; illud, inquam, intelligere, num personam aliam, cui naturam totam quam habet, ideoque simul & intelligere & velle infinitum tribuat, producendi vi polleat, disquirendum? Et è vestigio quidem occurrit quod quærimus. Namque & cognitionis fœcunditas declarata est, eique vel ut imperfectæ, vel ut indeterminatæ, non aliter, subsidium voluntatis adjunctum est: Principiumque fœcundum Termini producti Identitatem maxime spectare ostensum est; postremo quid nosse ad volitionem eliciendam conferat nemini ignotum est, nihil igitur vetat quin persona prima secundam per intellectionem illud intelligere, & velle infinitum sive naturam communicando producat, ut utriusque sit idem Esse, eademve Essentia, substantia, sive natura, vel utraque sit unum & idem, sive una eademque res, quæ tamen distinctionem interiorem, & propriam non excludat, cum res una non uno modo se habeat, in qua Dantis & Accipientis, Producentis & Procedentis rationes appareant; sed, ut par est, Identitas distinctione magis eminet, cum hæc quidem ad Modos, ad rem vero ipsam illa pertineat. Jam vero licet res una tantum communicanda proponitur, altera tamen per volitionem communicandi quasi via quærentibus aperitur. Resque una si & alterâ quoque ratione communicata noscatur, fœcunditatis actuosæ vis amplior, & species quædam illustrior cognoscentis animo obversatur. Et volitionem quidem aut amorem boni cogniti haud inertem esse, vel è nobis ipsis discere licet, quos urget & agitat, & ad nihil non agendum instigat, quare ut in re com-

per-

Emanatio nulla nisi per intell. & vol.

ἀρχὴ ἀνάρχου.

Persona Secunda.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 183, Stück 1, [184] - 176
PUBLIC DOMAIN

aperta & conteſtata, minus in ea laborandum eſſe videtur. Cumque divina volitio infinita ſit, ei fœcunditatem quæ cogitari queat ſummam, abjudicare nefas fuerit. Hæc autem quia identitatem propagatione præcipuè intuetur, communicatione quoque naturæ virtutem exerit. Quoniam vero amoris illius infiniti vim totam, perſona prima producens cum ſecunda procedente, ut vidimus, intelligendo communicat; quippe quæ haud alia ratione diſtinctæ ſint, quam quod idem intelligere, & velle, eademve natura, eaque non acciſa, ſed integra, non alia re, ſed modo tantum alio dantis & accipientis utrique conveniat; iſque modus nil habeat quod amorem in prima feracem, in ſecunda ſterilem reddat; cum velle, nequaquam volendi via, ut intelligere intelligendo, infinite, ideoque plene exercitum, ac proinde haud iterato, ſimiliter exercendum accipiat; cumque ambæ perſonæ inſuper intellectione communi ſe mutuo reſpiciant, & interminatum quendam boni quoque communis Oceanum, qui etiam ut utrique ineſt, volitione pariter communi diligatur, aſpiciant; abeſſe non poteſt quin immenſo quodam amoris mutui exardeſcant incendio, quo Tertia à duabus perſona procedat, cum & in virtute utrique communi, & in utriuſque etiam amore reciproco proceſſionis origo poſita ſit. Quare Græcorum errorem qui Perſonam tertiam à prima ſola deducunt non Eccleſiæ tantum authoritate, ſed & Philoſophiæ ſubtilitate coarguas. Tertia.

§. 29. Jam vero Perſona ſecunda intelligendo producta, *Verbi* nomine non accommodato tantum, ſed proprio appellatur: haud ea tamen ratione quæ paſſim traditur, quòd intellectioni noſtræ, ab effectrice vi mentis natæ, reſpondeat; quippe quam abſque voluntatis auxilio nec intus, aut foris agentem invenias; ſed hic ut alias, è pluribus unum, quod Deo conveniat, concinnandum, atque è verbo vocali ſupplendum, quod intelligentiæ verbo deeſſe cernimus. Hoc quidem directio formalis, ſeu cognitio eſt, illud autem directionis ſignificatio, & manifeſtatio eſt, eaque prolata, ſive producta. Utrique verbo à Græcis pari jure λόγῳ, quam vocem Evangeliſta ſelegit è pluribus, applicatur. Itaque Perſonam ſecundam qua productam, quaſi Verbum voce prolatum cogita; item qua producentis cognitionem, per quam nempe producitur, directe magis & explicite, quam volitionem enunciat, ſignificat atque declarat. Namque & vocibus id proprium eſt, ut loquentis notitiam omnes, volitiones autem paucæ, quæ ſcilicet de induſtria aptatæ ſint ſingulis, eloquantur. Cæterum qua ratione producentis declaratio plena, & perfecta, atque etiam intima conſideratur; ea nimirum non voci & impari, & emiſſæ, ſed cognitioni reſpondet. Neque omittendum eſt quod apud Ariſtotelem λόγῳ pro definitione, apud Cur ſecunda Verbum. Jo. 1.

alios pro ſermone, oratione, vel concione quantumlibet longa ſumatur; ut verbum impartibilitatem, definitio æqualitatem, oratio ubertatem & copiam, quà verò ſcripto, quod permanet, conſignentur, æternitatem ſcientiæ productæ ſignificent. Perſona vero tertia, quia amando producitur, amor autem reſidere in corde cenſetur, vocatur appellatione propria Spiritus, velut Halitus é corde, ſeu pulmonibus cor ambientibus, atque ad ipſum ſingulariter pertinentibus amoris æſtu, & impetu expiratus. In Deo igitur Dicere, ſeu verbum proferre, id quod & cognitionem, & actionem includit, perſonæ ſecundæ productionem ſignificat; ſpirare vero Tertiæ, quo non tantùm amandi velut affectio, ſed & amoris ardore anhelantis actio concluditur. Quare intelligere, & amare tribus commune eſt, Dicere vero primæ, Dici ſecundæ, Tertiæ ſpirari, ſeu ſpiratio Paſſiva proprium eſt; denique primæ & ſecundæ ſpirare, ſeu ſpiratio activa convenit. Verum & ſecunda quoque filius, & Genitus nuncupatur, Tertia non item, cujus emanatio communi tantum Proceſſionis, non autem peculiari Generationis vocabulo ſignificatur. Hæret Augnſtinus. *Nam difficillimum*, ait, *eſſe Generationem à Proceſſione diſtinguere*. Alibi vero deſperat. *Diſtinguere inter illam Generationem, & hanc Proceſſionem neſcio, non valeo, non ſufficio*. Tum, *quid hujus differentiæ modus ſit, prorſus nos fugere* profitetur ingenuè Damaſcenus. Quodque magis admirandum eſt, Scholaſticorum etiam unus, aut alter diffidit ingenio. Reliqui *obſtipo capite, & figentes lumine terram*, in eo ſolo meditabundi & immoti conſiſtunt, ut definitionis unius, qua Generatio explicari per originem Viventis à Vivente tanquam à principio conjuncto in ſimilitudinem naturæ ſolet, ſingula quæque *exporrecto trutinentur verba labello*. Quamquam autem in Spiritus ſancti proceſſione, neque originem viventis à vivente, neque principium etiam conjunctiſſimum, neque demum ſimilitudinem ſummam in Identitate naturæ poſitam, deeſſe videant; hanc tamen ſimilitudinem *vi productionis* transfundi negant, eamque definitioni integræ appendicem adjiciunt, ut generationi quiddam abeſſe pronuncient. Atque ut accrementum hoc veluti nativum ſervari velim, non autem ut aſcitum præcidi jubeam. Ecquam ſimilitudinem majorem productio per intellectum, quam productio per voluntatem oſtendit? Reſpondent unâ voce omnes, objectum cognitum, nam cognitioni cuique ſuum affingunt objectum, menti noſtræ per vicarium ſui ſimulachrum ineſſe, quod ſpeciem impreſſam appellare ſolent. Unde inquies advectum, & qua arte confectum, tum qua via in Thalamum mentis ingreſſum? Acroama ſubtile, atque, ut putant, Ariſtotele dignum accipe. Cum ſolem aſpicis, illius radii, vel ex opinione communi ſpecies quædam intentionalis ipſa luce gracilior oculorum aditum primum invadit: inde ſobolem in ſenſus communis conclave

Cur Tertia Spiritus.

Cur ſecunda non Tertia filius.

De Trin. l. 15. c. 27. l. 3. contr. Max. c. 13. l. 1. de fid. cap. 13. Greg. in 1. d. 13. q. 1. Gabr. ibid. q. unicâ.

Perſias

Reſpoſino communis explo-ditur.

Commentum facile de ſpecie-bus.

clave transmittit, hinc alia sursum versus, ad Phantasiam attollitur; atque ut posterior quæque priore gracilior est, ultima vel per tenuissimam rimam in abdita penetralia mentis irrepit, quâ sol tibi alter, vel idem per formam vicariam intus exoritur, Ipsaque mens Solaris redditur, itidemque Lunaris, & Iovialis, & Animalis, & Angelica, & Chimærica, & plumbea, & fungina, prout cujusque in se recipit simulachrum. Hoc etenim pacto intellectum intelligendo omnia fieri arbitrantur. Sunt etiam qui Cranium vacuum, & hoc quidem rectè, delineatum exhibent, in quo varia per sinciput, & occiput facultatum cænacula, & specierum receptacula, seu potius ab Anatomicis deridenda spectacula, œconomiâ mirabili distributa conspicias, per quæ paulatim, & gradatim ad mentem extraneis patet accessus, cujus afflatu, vel attactu quoddam Esse subtilissimum, quod Intentionale nuncupant, objecta crassissima commutantur. Nam & ipsis objectis Essentiam intentionalem & spiritualem in animo sitam adjudicant. Atque hoc tam præclaro commento nititur, quæ cognitioni præ volitione similitudo tribuitur, in qua Generationis à Processione discrimen inquiritur. Id quod animam motu corporeo proximè, speciebus exclusis, afficiendo, atque objectivas imagines destruendo jampridem evertimus. Tum species materiales per multiplices facultatum veluti fornaces ad purum excoctæ, vel scoria deposita in spiritualem naturam transeunt, atque eâ re objectis coporeis similes esse desinunt; vel materialitate retenta, haud erunt iis motibus, quibus ego solis utendum censeo, magis idoneæ, quæ speciem rei expressam spiritualem efficiant. Quare similitudo ex vi productionis, his fundamentis, seu potius figmentis innixa stare non potest. Alii Personam secundam genitam putent, quod per intellectionem producta, naturam in ipsa intellectione positam ex vi productionis accipiat. Verum natura Dei simpliciissima vel omnia pariter, ut Patres frequentissimè & disertissimè loquentes audias, comprehendit; vel si naturam appelles quod Deum viâ & ratione quærentibus primum occurrit, atque inde cætera velut à primo cognito speculando deducimus; hoc nominis jure præcipuo *Aseitati* debetur, id quod Deum investigando cognitionum ipsarum ordine deprehendi potest, si nostra vestigia relegantur.

Item alia quorundam responsio confutatur.

§. 30. Sed viam rectam ingredi quam devios insequi satius est. Neque aliam sane rectiorem invenerim, quam si quibus persona secunda à tertiâ differat, quidque generatio sit, rem ipsam potius, quam verba ab trutinam revocando, quæsierim. Itaque secunda procedit ab una, tertia à duabus; secunda cum primâ producit aliam, tertia non item; secunda per intellectionem, tertia per volitionem emanat. Vel igitur ex his, quæ solæ notæ sunt, differentiis, vel ratione nulla quid generatio à processione, differat

Via ad responsionem veram munitur.

fas est mortalibus judicare. Harum forte aliquam intuendo seorsim, differentia sat ampla apparebit, forte à singulis aliquid decerpendo, cumulata magis & perfecta videbitur. Quod ad primam attinet, Augustinus, ideo filium quia ab uno, neque enim à duobus nisi ut à patre, & matre, id quod à Divinis alienissimm est. Verum haud minus ab humanâ generatione alienum est, quod filius ab unâ personâ sine matre procedat, quam quod spiritus sanctus à duabus quarum neutra sit mater; deinde licet eum duo producant, est tamen, ut infra dicetur, principium Unicum quo producunt. Altera tamen differentia non nihil adjuvat, nam quod secunda producat aliam, ea fœcunditate, quam tertia non habet, similis primæ noscitur: quoniam autem inter homines, alter eò magis alterius filius dicitur, quo eum voce, incessu, gestu, aliisque referat actionibus; eò proinde minus filius dicendus esset, qui generationis, id est illius actionis, quæ naturæ vel maxime propria est, facultate careret; cumque filius in divinis dici non debeat qui ab integra filiationis, & perfecta ratione deficiat; quia omnis ex eo filietas, haud minùs quam à Patre Paternitas in cælo & in terris nominatur; inde fit ut personam divinam cui filiationis cumulata notio non quadret, filium vocari non deceat, in alteram vero nomen hoc aptius cadat, in qua specialis ratio ad filii notionem pertinens discernatur. Cæterum quod in hac ratione sola alii vim totam, alii nullam collocent, probare non possum. Aliquid enim habere quod filio congruat, hæc ipsa quæ dicimus satis ostendunt. Neque obstat quod in animalibus genus infœcundum generatione nascatur. Nam Poëta qui victrices in cursu mulas laudans Equarum filias nuncupavit, χαίρετε θελλοποδῶν θυγάτηρες ἵππων, non modo originem alteram celando, sed & filias nominando Rhetoris astuti partes agebat, quod etenim à perfecta prolis indole sterilitate discedant, quæ modo dicto sunt planè declarant. Porro quod nec tota vis filiationis in fœcunditate sit posita differentiam tertiam perscrutari necesse fuerit, cum filium esse vel in humanis, amplius aliquid cognoscendum afferat, quam quod à prima vel secunda peti potuerit; eoque magis quod in Tertia Secunda, seu fœcunditas ipsa claudatur.

de Trin. l. 15. c. 26

Apud Aristot. in Rhetor.

Cognitio est magis vita, quam volitio.

§. 31. Principio id habet præ amore cognitio, ut notione prima & primaria vita dicatur; tum quia vitæ vox, actionis intraneæ originem & fontem significat; veluti quam corpori vulgus tribuit, ea in corde potissimum residere putatur, quod ex ejus substantia, vel sanguine motiones omnes animalium, quas vitales nuncupant, oriantur; tum quia Viventium præ cæteris excellentia, directione potius, quam impulsione concluditur. Nam si quid ex virtute non externa, sed insita motu tantum erratico jactaretur, haud multum supra ea quæ ventus temere versat,

sat, & agitat emineret: tum viventium corpora ea structura cernimus fabrefacta, ut directionem magis ad certos tetminos, quam applicationem impetus spectasse eorundem opifex videatur. Recte proinde Aristoteles, vivere, ait, principaliter est sentire vel intelligere. Quod autem motionem aut actionem definitio vulgaris includat, eo factum est, quod vulgus amplius ad vitam conspicuam, quam propriam respexerit. Nam quæ propria, & primigenia vita est, ea ad proprietatem incorpoream, unde vis omnis motionis effluit, revocatur. Quoniam autem corpus ante motum receptum, virtute motrice caret, in corpore vero solo origo conspicua sensu percipitur, eaque in motione, sive actione cernitur, inde in actione vel motu ipsa vitæ notio errore, ut fit, populari statuitur. Sed vel errando verum, sive actionis originem spectasse videas; illius autem origo cum à cognitione vel impressa solummodo, non producta duci queat, in ea passione, sed agendi tamen principio primo, vitam oportere constitui perspicuum est. Alterum etiam cognitioni præ volitione convenit, nam quæ fiunt opera, illius potissimum significationes, imagines, & figuræ censentur. Harmoniam audiendo, poëma legendo, statuam Phidiæ contemplando Artificis admiramur ingenium, de voluntate vix leviter cogitamus, cognitionis itaque potissimum notæ sunt, quia hæc ab iis maximè noscibilis, & nota redditur. Sunt etiam imagines, & figuræ, non quo cognitio per speciem fictitiam assimiletur objecto, nec quod in hujusmodi vel alia quacunque ratione spectari similitudo debeat. In rebus enim dissimillibus, veluti proprietatibus incorporeis, atque corporeis inter se mutuo conferendis Analogia tantum & proportio, non autem similitudo consideranda proponitur. Sed enim ut figura corpus ad motum, ita cognitione incorporeum ad volendum aptatur: atque ut Idea, vel directione formali Prototypon Phidias exsculpsit, ita hoc exemplare, sive hujus directione materiali Ectypon alius format. Tum figura, opinor, aut imago haud paulo clarius à notitia Pictoris manum dirigente, quam voluntate determinante designata, delineata, & descripta cognoscitur. Quod igitur factum est, id notitiæ magis quam volitionis imago, & figura, & opus non ficta similitudine, sed proportione vera, & quia ab efficientia potiore, censebitur. Tertium quiddam singulare in cognitione discernitur, quod intro recepta, ibique concepta, velut intus hæreat, neque volitionis instar propendere, ac prominere, quasi prodire parata, & foras eniti videatur. Neque certe vana verba sunt quæ nihil significent. His enim utimur cum quod, de utriusque discrimine intimo experimento didicimus explicatum esse percupimus. Accedit & quartum, nam quando animi cogitata quoad licet omnia oratione copiosa, & operosa proloquimur

Eth. l. 9. c. 9.

Et magis ab opere repræsentatur sed Analogia non similitudine.

Tum magis intranea.

Et sermonem veluti semen fœcundum emittit.

tum ex universis sciendi viribus, & è facultatis ipsius quasi substantia omni concussa, & excussa, sermo fœcundi seminis instar effunditur. Præterea egressio, quod in motu minus est, voluntati; quod majus est directio materialis ad terminum, notitiæ congruit. Postremo anima ut cognoscens haud plene exercita, sed volitionis porro fœcunda intelligitur.

Motusque directioni respondet.

De generatione Animalium.

§. 32. Adverte nunc animum aliorsum, ut quid generatio sit capere possis. Et primo loco, viventium, ac proinde animantium tantummodo actio censetur; nam in his solis facultas incorporea, motionis intraneæ operatrix, inhabitat, atque idcirco motiones illæ solæ, quæ ab ea facultate procedunt, vitales proprie dicendæ sunt. Plantæ vero ratione procul arcessita, dicuntur vivere; nempe quod ad corporum, quibus vita inest, aliqualem effigiem constructa sint; nam ventriculo radices, venis pori per fibras educti respondent. A quibus autem plantis vita tribuitur, & generationis natura in solis definitionis vulgatæ verbis inspicitur, illi nescio quo jure haud perinde plantam plantæ prolem & filiam, ac pullum equinum equi fœtum appellent. Est enim vivens à vivente ortum, atque in similitudinem maximam, & longe majorem quam in hominibus, & plerisque animalibus conformatum. Mas autem cum fœmina concipit non est per se, sed per semen conjunctus, & procul, haud parum sæpe dissitus: namque aliquot dierum spatio post coitum, nullum in utero fœtus futuri rudimentum, sed nec seminis vestigium ullum apparet: id quod Herveus Caroli Angliæ nostræ Regis eo nomine primi, in venatu comes, non speculando, sed spectando, dissectione cervarum frequenti didicit. Immo planta quæ stirpibus nixa hæret immobilis, conjunctior est alteri plantæ quæ ex semine deciduo, quod subter jacentis soli gremium fovet, enascitur, quam animal vagum alteri animali, in quo fœtus primordia jacta reliquerit. *Principium* igitur *coujunctum* in generatione animantium, & hominum, haud exacte. mari congruit; neque actio fœminæ, quippe quæ neque unionis, aut formæ productione agat, ut ex iis quæ latè diximus facile constat; neque etiam seminis proprii in uterum, aut locum ullum qui conceptionem adjuvet, immo nonnunquam absque illius immissione, aut emissione, eaque proinde nunquam necessaria, eodem Herveo Anatomicorum peritissimo, verique studiosissimo testante, concipiat. Quamvis autem actio omnis haud absit, ea tamen haud tanta est, quin fœmina toto conceptionis ordine sit patienti quam agenti similior. In partus autem effusione, musculorum conniſu contra accidit; pariendi nihilo secius enixus, aut actio ad fœtus prolationem potius quam generationem attinet. Hæc enim potissimum semini maris ascribitur; quod quia è sanguine factum est, qui corpus undequaque circumiendo, & membra singula, vel perfectus, ut pleraque; vel non-

Plantæ si viverent, illis magis quam Animalibus generationis congrueret definitio.

nonnulla cum necdum plene coctus, & tinctus est, nutriendo; omnium in se uno particulas collectas habere noscitur; & ipsum proinde semen è cujusque generis partibus constare liquet, ideoque totius corporis, ut Chymici loquuntur, Quintessentia, id est Essentia pura & contracta, vel pars totius instar, quod alterius totius causa sit, dici poterit. Id autem translatum in corpus fœmineum, in matrice quidem subitò non recipitur, nedum receptum mox in coagulum constipatur, cum eo pervenire non posse in quibusdam evidentissimè, in reliquis probabilissimè Herveus idem ostenderit. Quoniam autem seu intromissum seu secus, paulo post evanuisse compertum sit, in partes vicinas agili, spiritosa, & igneâ subtilitate penetrasse putandum est; easque dum permeat, atque percurrit, corpuscula suis similia, ideoque ad similem motum accincta, aliaque his annexa; & rursus alia quoque procul continuatione sequentia, in uterum congregat, convocatque; eaque cum illis quæ postea affluunt in fœtum utrique parenti similem, utpote ex utriusque delibatâ substantiâ coagmentatum, motu artifice fingit, & format. Et quia è sententiâ nostrâ in hoc opere, ut in aliis alibi, res nulla producitur; partium vero congeries ex universo utriusque parentis corpore decerpta, totiusque vi prædita, ejusdemque vicaria communicatur, fœcunditatem hic substantiæ quasi totius communicatione vides exercitam; eoque magis in Animantibus quæ animam unà cum corpore seu facultatulas incorporeas corpusculis affixas tribuunt. Atque in hac brevi generationis historiâ, observandum occurit rationem illius in utroque parente integram esse quærendam, quippe quæ & actionem primam, & receptionem, & formationem insuper comprehendat; & postremam, eamque præcipuam à spiritosis corpusculis arcana, & admirabili Conditoris omnium arte directis perfici; quæ primùm undique discurrendo rimentur, scrutentur, & explorent omnia, ut particulas aptas eximis visceribus evulsas cogant, coactasque in vitale & habile instrumentum à vi cognoscente ad agenda porro alia applicandum, fabricent. Ut opus hoc etiam plus quam imago, singulari modo cognitionem (quæ Motum Operatorem dirigit) ut exemplar, & causam, respiciat, atque ad operandum ultra distinatum appareat. Nemini jam filium natura sic recepta generantium esse figuram & imaginem dubitare licet, immo & signum quoddam illustre, & monimentum erectum ad memoriam. Idque Absolonem haud latuit qui Titulum filii, quo carebat, loco substituit, *& hoc*, ait, *erit monimentum nominis mei, vocavitque Titulum nomine suo*. Immo Pater filium velut alium se gignit uti loquitur Augustinus, quia & similem & ex semine quod pars Patris totius instar est, Itidemque scriptura. Mortuus est pater ejus, & quasi non est mortuus, similem enim reliquit sibi post se. 2. Reg. 18. ℣. 18. Eccle. 30. ℣. 4.

§. 33. His.

Comparatur productio per intellectum cum generatione.

§. 33. Hisque in hunc modum de productione per intellectum, & generatione seorsim expositis, eadem & recognoscendo, & invicem conferendo, quibus inter se mutuo concordent, proclive fuerit judicare. Parum ne est, quod viventium tantummodo generatio sit, vita vero in cognitione primò, & primariò sita sit; quodque proles Generantis imago, & figura, & alter ipse sit; & opus artificem cognoscentem magis referat, quam volentem? *Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic & Filio dedit habere vitam in semetipso*; idemque *imago Dei invisibilis, & figura substantiæ ejus* dicitur: Verbum etiam & sermo; quibus cùm animi sensa omnia conamur eloqui, ad generationis exemplum, ex intellectus quasi substantia tota, vim ejus omnem ex imis visceribus cogendo, & extrahendo succussa, vicarium ejusdem signum haud infæcundum & sterile, sed aptum, & natum ad terminum Principio parem, & similem pariendum, expromimus. Qui quidem sermo cum scripto mandatur, atque in ipsa scriptione à cognitione manum dirigente potissimum derivatur, signum quoddam stabile prolis instar, aut Monimentum perpetuum fabricatur. Tum cognitio quæ velut intus concipitur, atque fovetur, neque uti volitio foras enititur, conceptioni magnopere congruit: illius autem filij vel maxime, quem partus nullus extrudit, sed qui semper in Patris sinu manet, isque proinde generatione perfectissima Patris & matris vicem obtinet. Et patris quidem nomen ut illustrius sibi passim vendicat; neque matris respuit, cum & filium in sinu habere, & eundem ex utero genuisse dicatur. Quare cum generationem inter, & productionem per intellectum tam singularis affinitas, & necessitudo compareat; quoad productio per intellectum à productione per voluntatem, à nobis ad intellectum & voluntatem nostram, ut fit, omnia quæ ad intelligendum & volendum spectant, revocantibus, dijudicari queat; haud alio facilè quam gignendi vocabulo, ad captum nostrum accomodatè significari potuit, quod persona prima intelligendi vi secundam ejusdem naturæ, ac proinde etiam Deum produceret; & secundam insuper talem esse, ut ab ea simul, & primà Tertia procederet. Nam qua Genitus appellatur, naturam & virtutem Genitoris sibi communicatam accipere cogitatur; & quia filius perfectus, etiam fæcundam, fæcunditasque cum immensa sit, etiam alia productione, si quæ reliqua sit, exercenda cognoscitur; cumque producto sola quæ per assimilationem est, Generationis nomine significetur; hæc autem intellectionis ut à nobis cognitæ emanationem indicet, vox illa nos volitionem haud docet exercitam, ideoque ut hanc quoque probè notam fæcunditatis exercendæ viam inquiramus, admonet. Porro cum & par sit, & mos sit, Patrem & filium se mutuo amare; neque is amor, cum utrobique ama-

Jo. 5. 26.

Col. 1. 15.

Procedens per intellectum magis propriè ut vivens Imago, figura alteripse signumq; stabile, & fæcundum, illique è cujus intimâ substantiâ productus singulariter immanens, generationisque perfectæ rationem continens, quàm voluntate procedens.

Vno *Geniti* verbulo significatur & Consubstantialitas, & ulterior fæcunditas, eaque per amorem mutuum, virtutemque communem.

amabilitas infinita sit, possit abesse; cumque Pater & filius, licet Personæ duæ sint, tamen per modum unius agere, vel unum agendi Principium juris, & sermonis humani interpretatione censeri, & vocari soleant; idque non usu tantum vulgari, sed sensu verissimo putandum & dicendum esset, si præcisè & strictè una solum utrique, quâ agerent, virtus inesset; ex his palam fit generationis voce tum secundæ personæ à primâ processionem; processionisque viam (quoad signo uno, & humano liceat,) quam cogitari possit optimè, significari; tum inde Tertiæ & processionem, & procedendi modum, & distinctionem, à duabus argumento facillimo derivari. Ut vox illa ad diviniſſimum Trinitatis mysterium eloquendum hominibus, inventa non humanitus, sed plane divinitus videatur. Quare cum vitam dare, deinde similitudinem, non modo fœcunditatem similem impertiendo, sed eadem quasi lineamenta describendo tribuere; tum naturam communicandam velut ex imis visceribus tractam, directione motus expromere; ad hæc recipi, concipi, intusque foveri, receptoque particulis velut artis industria collectis, sollertiaque constructis formam inducere; hæc, inquam, omnia cum cognitioni agenti, qua cognitio, modo cognoscendi humano, à volitione distinguitur, ratione tam propria, tam singulari conveniat, eademque generationis vim omnem, & rationem integram in rebus, non verbis inspectam, evidenter explanent; ecquis in posterum anceps hæreat, intellectione potiùs, quam volitione productus, cur genitus & filius dici debeat, cum productio per intellectum, quà talis est, generationi & eximiè, & summè consentiat. Qui vero unam cujusque proprietatem alii aliam selegerunt, atque altera alteri ut in omnibus aptè congrueret desudarunt, haud magis infelice eventu, quam imperito conatu frustra fuerunt. Neque enim credi potest tot ad generationem relata vocabula, tantoque delectu ad enunciandum, quoad fas esset, Mysterium maximum conquisita, tortieſque è sacris scriptoribus inculcata, proprietatis unius angustiis coerceri: neque etiam fieri potest ut cum parva magnis, imperfecta perfectis, increatis creata componimus, ut unum uni vel solum, vel totum aptemus. Namque si solum, deficiet: si totum, inficiet. Quocirca corradenda sunt plurima, & quod in singulis impurum est, expurgandum, ut accumulatione proprius ad perfectionem accedas, & separatione longiùs ab imperfectione recedas. Atque hac animadversione unicâ, quæ adversus allatam à nobis multiplicium proprietatum convenientiam opponi possint, evertas. Præstat autem argumentorum veluti fibras intimas ictu uno, & in radice ipsa succidere, quam frutiçantes ubique argutiarum Logicarum stolones inutiles carptim evellere.

Convenientia productionis per intellectum cum Generatione repetitur.

Objicendis occurritur.

Neque etiam mihi unquam consilium fuit, iis quos altercandi potius libido raperet, quam intelligendi cupido duceret, operam & injucundam, & infructuosam impendere. Atque ex iis quæ dicta sunt facile colligas Doctores veteres, cum alius ideo filium quia verbum, alius quia imago, alius quia definitio seu λόγος assererent, rectam quidem & sanam; non tamen plenam, planamque tradidisse doctrinam.

August. Ath. in ep. de decr. Synod. Nic. Naz. 4. de The.

§. 34. Sed neque filii tantummodo, verum etiam Personæ nomen Augustino visum est satis obscurum. *Cum quæritur*, inquit, *quid tres magni, prorsus inopia laborat humanum eloquium, dictum est tamen, tres personæ, non ut illud diceretur, sed ne taceretur.* Quasi Personæ nomen absque delectu fuisset assumptum; quanquam personæ tres, naturam unam rationalem, trino modo stabili incommutabilique se habentem, seu subsistentem, proprietate planè singulari significent. Tres enim sunt intelligentes, nempe & gignens intelligit, & genitus, itidemque procedens, id est, Hic & ille, & alius intelligit, non hoc, illud, & aliud, ne intelligendi facultas trina putetur; porro hic, ille, alius, ad personas referri solent. Quærenti quis arborem dejecerit? Respondetur, hic, aut ille, Petrus aut Paulus, hæc vel illa persona. Quærenti quid, vel naturam reddis, ut impellendi virtutem, vel suppositum, ut equum, bovem, aquam, aut ventum: quare ternarius & incommutabilis in una natura intelligente numerus, personis aptissime tribus exprimitur. Ternarium autem illum, ex intellectionis & volitionis infinitæ fæcunditate probavimus; igitur & ratio per fidem admonita, atque ad naturæ divinæ proprietates indagandas erecta, personalitates excogitat, easdem autem è sacris literis non quidem nominatas, sed manifesto indicatas elicit. Cum audimus, *Ego in eis, & tu in me*, tum *Ego rogabo Patrem, & alium paraclitum dabit* (subaudi ille) *vobis*, deinde, *Ego & Pater unum sumus*, rursus *Tres sunt, & hi tres unum sunt*; cum audimus, inquam, Ego, tu, ille, alius, Tres non tria, sed unum, distinctionis haud dubie species objicitur, non autem rerum, quia unum quid, quarumnam igitur? Personarum utique. Nam Ego, tu, ille, etiam Grammatici sermonis vulgaris interpretes ad primam, secundam, tertiam personam referunt. Iidemque rogati ut Patrem, Filium, Spiritum, veluti tres intelligentes eadem intelligendi facultate pollentes, verbis è vulgi usu depromptis, inter se apte distinguerent, haud aliud quam Personas tres, naturam unam, vocabularia cuncta revolvendo, suggererent. Quod si personalitates has in productione fundatas, intelligerent, eas sane non disparatas, sed comparatas, aut relativas, seu relationes esse dicerent. Atque ex iis quæ de substantivis & adjectivis pueros docent, ipsi à Theologis mysterium edocti, tres intelligentes, intellectum unum, spirantes duos, spiratorem unum discerent appellare. Vim enim intelligendi,

De Trin. l. 5. c. 9. Personæ nomen quàm aptum, & proprium sit.

di, & ſpirandi, quæ una eſt, ſubſtantiva deſignant eſſentialia, modos autem indicant adjectiva, vel ſubſtantiva, ad ſubſiſtentias, ſeu Modos incommutabiles ſignificandos inventa. Alio autem modo ſe habet intellectus ut in producente, & procedente eſt; amorque fœcundus aliter ineſſe Patri principio ſine principio, aliter filio principio principiato, ut Græci loquuntur, vel ut Latini anteceſſionis, (cauſalitate, vel tempore) ſuſpicionem veriti, principio quidem ſed à principio procedenti cognoſcitur; aliterque ſpiritui ſancto tum noſſe, tum velle ut termino procedenti tantum, non producenti ineſt. Cumque perſonalitates ſubſtantiæ, modos, aut proprietates ſcirent eſſe, quæ ad eas attinent, plurali, quæ ad ſubſtantiam, numero ſingulari efferrent. Sed non eſt inſtituti noſtri in his aut ſimilibus immorari.

Intelligere, & velle Notionale ab Eſſentiali quid differat explicatur.

§. 35. At quippiam hoc loco, quod vel Theologum remoretur, occurrit. Hærebit enim in illo Modo, quo intelligere, & amare infinitum, aliter ſe in producente, & procedente ſe habere dicitur. Num alius in alio ſcientiæ ſplendor, aut amoris ardor? Nequaquam. Nam ſi quis eſſet, is etiam procedenti communicatus eſſet, alioqui communicatio infinita non eſſet, ſi gradus ullus ſcientiæ aut amoris addendus ſupereſſet. Nihil enim, ut alio loco videbis, in genere ullo infinitum intelligitur, cui quippiam in eo genere accumulandum cernitur. Addenti quippe, illius quod creſcit extremitas, cui additamentum agglutinet, obverſatur. Sed quia nondum ad infinitum veniſti, aliud accipito. Splendoris ille radius ſpecialis in Patre, quicunque ſit, cum cæteris ipſe ſplendebit, eſt etenim divinus, ideoque communicandi virtute fœcundus, proinde in quacunque perſona ſit, vel exerceri, vel exercitus cogitetur oportet: pariterque de amoris divini ſcintilla qualibet, aut flamma cenſendum. Deinde infiniti nomine prætermiſſo, perfectum ejuſdem loco, & eodem argumento ſubſtituam. Non enim eſſet communicatio perfecta ſcientiæ, ſi quæ ſciendi lux in ſinu Patris abdita, non effulgeret in filium. Deinde cum ad perfectionem ſummopere ſpectet *Unitas*, diſtinctionis haud alia ratio ſpectanda eſt, quam qua altera fœcunditatis perfectio carere nequeat: hæc autem ea ſola contenta eſt, quam intelligere & velle in principio, & à principio, producens, & procedens oſtendit. Neque neceſſe eſt ut alibi clarius, aut ardentius exiſtimetur; immo hac fictione nec Divinum, nec perfectum, nedum infinitum appareat neceſſe eſt. Umbra quippe & defectus cernitur, ubi lux minor majori propinqua cernitur. Quare cum notitiæ, & amori ex his modis productionis & proceſſionis, ſplendoris nihil, aut fervoris accreſcat, neque melior directio, aut propenſio major congruat, idcirco nec in producente quam procedente, neque in utroque quam alterutro perfectiora cenſentur. Modi vero ſeu

relationes producentis & producti perfectiones nec ne vocandæ sint, iis scilicet quibus otium est, immo summum negotium est altercari de vocibus, disceptandum, ut æquum est, relinquemus. Porro quod ratio suadet, idem omnino fides cogit asserere. *Omnia quæcunque habet Pater*, ait filius, *mea sunt.* Nempe præterquam quo Pater est, sive generans, seu quo Genitorem à Genito internoscas; adeoque sibi nullum scientiæ vel amoris gradum negatum ostendit, ut spiritus etiam sancti producendi vim datam indicet, *De meo*, inquit, *accipiet, & annunciabit vobis. Omnia quæcunque habet Pater, habet filius exceptâ causalitate* testatur Nazianzenus, *Sciunt se mutuo Pater & Filius* (differentiam audi) *ille gignendo, hic nascendo*, ita Augustinus, & similia passim reliqui Patres afferunt. Habes igitur unde intelligere aut velle ut alicui personæ inesse noscitur, & Notionale vocatur, à communi & essentiali dijudices.

Jo. 16. 15.

Naz. or. 24.

Interpretatio quarundam vocum.

§. 36. Atque ut ad voces quæ pertinent, paucis absolvam. Ad Essentiam trino modo se habentem per Paternitatem, filiationem, spirationemque passivam, Notiones, actus Notionales, origines activæ, & passivæ, principia, proprietates, Relationes, Personalitates, omnia revocantur. Notionem appellant rationem propriam noscendi Personam. Patri ut ipse à nullo est Innascentia, vel Innascibilitas; ut ab ipso filius, Paternitas convenit; filio vero filietas ut à Patre est; ut ab utroque spiritus, utrique communis est activa spiratio; ut hic ab utroque est processionem, spirationemve passivam habet. De pluribus litigant, sed hæ quinque sufficiunt. Innascibilitate demptâ, quaternæ restant, quas & Relationes appellant, totidemque proprietates, spiratione activâ Patri filioque communi subductâ, Tres tamen solæ sunt, Paternitas, filiatio, & spiratio passiva, quas Relationes, Proprietatesque, personales, seu Personalitates nuncupant. Actus notionales sunt duo, Gignere seu Dicere, & spirare. Quid Persona Patris? Modus ille quo à Nullo est, significatus in recto, Essentia, velut, obliquè designata. Quid Principium quo filium gignit? Essentia directe, Modus obliquè. Quid Gignere? Eadem Essentia, idemque Modus, non tamen potentiæ, sed actus instar cognita. Quid origo activa? Paternitas ut gignens, & Paternitas & filiatio ut utraque simul spirans noscitur. Quid origo passiva? Filiatio ut nascens, sive Nativitas, spiratioque passiva, ut procedens sive processio, Eædem vero ut positæ, & non velut in viâ, Relationes, proprietates, personalitatesque dici solent. Num vero ut positæ, an ut in viâ præcognitæ, personas è paucorum opinione constituant, haud magni interest? Num autem ab Essentiâ præcisæ sciri queant, apud me, qui nec motionem à Mobili cogitando divellam, quæstio nulla est, nedum an persona sit è naturâ & personalitate composita.

sita. Eoque mihi personæ productæ missio explicatu facilior accidit, quo præsentiam incorpoream in operatione constituam. Nam qui Deum immensitate ad ubicationis imaginem latè diffusâ præsentem cogitant, haud ita perspicuè præsentiam novam operatione novâ, quantumvis insigni demonstrant. Hæc autem operatio licet toti Trinitati communis, quo pacto ad personam unam præ aliis referatur, alibi dicendum. Hîc tamen haud omittendum est, personas omnes, cum operatione unâ in res easdem incumbunt, operatione vero præsentia contineatur, hinc alteram alteri præsentiâ quâdam intimâ immersam esse, à quâ non abludit Græcorum περιχώρησις, quæ circuminsessio Latinis dicitur, utrumque enim à loco vel situ deducitur, quibus personas totas se mutuo pervadere & immeare significant. Ita nunc Dimetris correctis, modulatiùs canit Ecclesia. *Aurora lucem provehit, cum Luce nobis prodeat in Patre totus filius, & Totus in Verbo Pater.* Quanquam & aliud quidpiam hic sermo pronunciet: Nam ex eo natus videtur, quod Christus dixerit *Non creditis quia Ego in Patre, & Pater in me est*, atque iis dixerit, qui ostendi sibi Patrem optaverint. *Tanto tempore vobiscum sum & non cognovistis me? Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum*; ut Personas quod Relativæ sint, cognoscenti quasi mutuò complicatas occurrere, demonstraret. Sed & invicem per Essentiam communem insunt, non modo ut motio & figura ab eodem extenso indistincta, sed & eo discrimine quod figura motu carere possit, Paternitas filiatione non possit, personalitates enim se mutuo petunt & exigunt. Contuere paternæ gloriæ splendorem è Patre & in Patre micantem, & amorem utriusque reciprocum ex utroque simul exæstuantem, & in utroque flagrantem. Lumen de lumine & prodiens, & immanens; Characterem substantiæ exsculptum pariter, & insculptum, atque Ectypon non modo ad Archetypon, sed & in ipso quoque Archetypo conformatum; Amorem donorum omnium originem tum è benevolentiâ immensâ large profusum, tum etiam relatione intimâ, atque præsentia, & identitate quoque Essentiæ Datori refusum, Actionisque ipsius terminum in ipsum principium agendi reflexum, fluviumque in fonte demersum. Cumque infinita fæcunditas haud alibi capienda, semet in seipsa resorbet, eam & interminato quodam ambitu circumfluentem, nec tamen à Centro recedentem intelliges.

l. 4. n. 6.

Quomodo personæ sibi mutuo insint, sive insideant.

Feria 2. ad Laudes.

Contemplatio circuminsessionis.

§. 37. Vidimus immensæ fæcunditatis orbem in seipso quodammodo revolutum, sequitur ut velut extrorsum provolutum in rebus à Deo conditis videamus. Quoniam verò infinitus est, quia à se est, actio quoq; par causæ infinita quærenda est. Eam autem è rerum aut multitudine, aut magnitudine, quæ

De Potentiâ Dei.

quæ vel simul esse, vel quæ deinceps aliæ super alias esse posse fingantur, nullo modo petendam clarè patebit, cum de infinito postmodùm disputabitur. Immo quod è Nihilo res protrahat, specie sat illustri eminere docuimus. Quibus autem viribus, aut brachiis, aut machinis minimè dubitandum, cum in Deo, atque adeo in omni incorporeo nihil nisi intelligere, & velle noscatur, Nostra quidem anima licet incorporea, corporeis tamen indiget instrumentis, & conjunctis quidem semper in statu præsenti, & assumptis præterea sæpenumero. Mens enim, & manus, & malleus nisi fabro supperant, Aratori vomerem non producet. Vis tamen omnis à notitiâ dirigente, & volitione applicante deducitur, eaque nisi debilis esset per seipsam opus faceret. Nosse vero, & velle divinum & à se est, eique proinde vis nulla deest, & ab eo est omne quod est, ideoque ab eodem & instrumentum primum esse debet, id igitur sine instrumento cudendum est. Cumque præter cognitionem dirigentem, & volitionem ad unum præ cæteris cognitione propositis applicantem, nihil ad actionem edendam requiratur; neque alia ab his Potentia, quam Executivam vocant, in Deo fingenda, neque in nobis ipsis, nisi instrumenta contineat, statuenda. Sed unde Deo Omnipotentis nomen convenit? An quia infinitè potens, vocatur Omnipotens? At vel ex una re è Nihilo producta, potentia deducitur infinita, ad omnia vero Omnipotentis virtus extenditur. Quænam vero sunt ista omnia? Non eorum quæ existunt universitas: nam plura potest. Possibilium itaque obtrudunt turbam innumeram. Sed quod necdum est Nihil est, ideoque nec numerus est: cumque aliquid dicimus possibile esse, causæ potentiam inesse dicimus: hîc autem quærimus unde causæ potentia tanta noscatur, ut Omnipotentia, id est Potentia complectens omnia dicatur. Rursus hæc omnia quærenda remanent. Nusquam, inquies, extra possibilia reperienda. At his, inquam, Esse nullum suppetit, quod quæratur; vel si quod habent, erit aliquod Esse Chimæricum, non ab eo qui in se uno, Esse omne continet derivatum. Atque idem Esse cum à se sit, quantumvis possibilitatis meræ, vel non repugnantiæ nomine elevetur, haud paulo præstantius est, quam Esse aliud emendicatum, quod dicitur, Existentiæ. Cumque à Deo non sit, neque erit is dicendus Omnipotens à cujus potestate non qualecunque rerum Esse, sed primigenium & intimum eximatur. Mitto quod existentia ut possibilis à seipsâ ut existente distingui nequeat, ut nil magni ab eo præstitum, immo nihil omnino qui statum mutaverit, esse cognoscas; immo ut Ens à non Ente differentiâ nullâ perspicuâ internoscas. Non igitur inanes Possibilitatum imagines, quas Phantasia fabricat, consectandæ, sed ipsa potentia inspicienda est. Ea vero in directione, & propensione posita est, hanc autem ab illa, quoad hominibus divina

Non distinguitur ab intell. & vol.

Neque relatione ad possibilitates inanes metienda est.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 183, Stück 1, [198] - 190
PUBLIC DOMAIN

divina cogitare fas est, regi putandum. Quàm ergo latè patet Ars infinitè perspicax, tam latè Potentia divina distenditur. Plura igitur & majora quam Mens nostra cogitet architectari potest. Quo vero artificio tale quid fiat quod & sit, & non sit id quod est; veluti quod Hircus est, idipsum Cervus sit, ideoque Hircus non sit, hoc nempe scire non esse scientiæ, sed insaniæ. Tum qui artem fingeret extrahendi è Bonitate summâ Malitiam, à veracitate purâ Mendacium, ex Harmoniâ perfectâ dissonum, is non Artem tantummodo pravam, sed cæcam fingeret. Quique hanc Deo peritiam sive potentiam adjudicaret, haud minus in eum injurius esset, quam si Textrinæ diceret imperitum. Omnipotens igitur, quia Nihil Arti immensæ & velut Omnipatenti propositum, potentiam illius fugiat, appellatur. Quorsum ineptæ, & futiles, verum etiam inutiles finguntur Essentiæ, quæ priusquam sint, tamen Esse dicuntur, potentiamque divinam possibilitate propria, & innata non accepta definiant; cum potentiam ipsam artis instar, qualis reipsa est contemplando, absque figmentis cum Entis primi naturâ, atque Entium omnium Notione pugnantibus, quousque perveniat, verissima juxta ac facillima ratione dijudices? Phantasiæ quidem, fateor, haud frænum injicies, quo rebus ipsis intenta ad simulachra inania non excurrat; neq; industria ulla, aut imperio unquam efficies, quin velut objecta quædam in quibus proprietates inter se cohærentes, aut pugnantes appareant, aspicienda proponere videatur; neque illius opera, quâ carere nequeas, uti prohibeam, modo mentis assensum cohibeas, & à veris visa secernas; neque illis quia Esse videntur, Essentiam tribuas, neque per illas quæ Nihil sunt potentiam Dei metiendam existimes; sed eam in se velut Ideam directricem, & voluntatis subsidio effectricem imaginatione non rejecta, sed correcta considetes. Nam cur minùs objecta, quam abstracta, concreta, distincta de Deo cogitantibus ingerentem reprehendere, & castigare non liceat? Quare nihil ineptius excogitari potuit, quam eâ re Deum Omnipotentem dicere quod Omne, quod antequam existat, Essentiam nulla proprietatum pugnã distractam habeat, possit efficere. Propius rem attigit Augustinus, *Non ob aliud*, inquit, *Vocatur Omnipotens nisi quoniam quicquid vult potest.* A voluntate quippe quæ Ideam Creatricem sequitur, ut à causa vera, tametsi non ut à fonte primo & signo præcipuo Creatio ducitur; ad ea vero quæ non sunt, neque ut ad Terminum, nedum mensuram, neque alia etiam quacunque ratione, aut re, aut mente, refertur. Enchir. cap. 96.

§. 37. Verùm haud minùs in mensura capienda, quam statuenda recentiores Theologi hallucinantur. Sedent pro Tribunali velut arbitri honorarii in hanc rem dati, ut quid Deus possit aut non possit creare, disceptent. Producuntur in medium rerum non existentium spectra quædam infor-

informia, veluti Materia ſpiritualis, potentia obedientalis, Creatura creatrix, viſus corporeus lippientibus, & nictantibus oculis lucem aſpiciens incorpoream; has itaque umbras leviter excuſſas, niſi palam impoſſibilitatis reas evicerint, poſſibiles eſſe pronunciant. Quo jure? Omnipotentiæ favendum, ajunt, & poſſibilium quoad licet turbam augendam. In judiciis valere, ut quiſque donec malus probetur, æſtimetur ut bonus; Poſſibilitas autem bona, impoſſibilitas mala cenſetur. Et Deo, & Reo æquiores eſſe cupiunt. Actorem indicia proferre jubent. Patronum tantummodo negantem, & vetus illud, *Non implicat*, inclamantem audiunt. Apage nugas, & nænias. Non alia æquitas, quam ſola veritas in hoc foro ſpectatur. Et in rebus ignotis haud minus proprietatum conſenſus, quam pugna latet. Neque minus proinde in errorem, proprietates inter ſe conſentaneas quam diſſentaneas judicando, propendes. Immo potius monendi Philoſophi ut longiore mora, & diligentia majore, ad impoſſibilitatem, quam poſſibilitatem aſſerendam utantur. Proclives enimvero, & præcipites ad portenta rerum fingenda cernimus. Quot monſtra potentia una obedientialis peperit? Tum quot, & qualia ſunt Entia objectiva, diminuta, Chimærica, negativa, Moralia, immo & Modalia à ſubjectis abſtracta, (nam Accidentaria omnia Modis aſcribenda monſtravimus) tum Corpora corporibus, id eſt ſpatia ſpatiis incluſa, vel idem à ſeipſo diſtractum, deinde diſtantia ſine diſtantia, ſive ubicationes nulla re interjecta disjunctæ, extenſio præterea extenſionis expers, id eſt corpus & quantitas in punctum redacta Mathematicum; inextenſa vero ſeu incorporea latè diffuſa. Materia & informis, & ad aliquid agendum habilis, quædam etiam ſpiritualis, item anima rationalis è materiâ educta, & alia innumerabilia quæ noctu diuque qui talia *amant ſibi ſomnia fingunt*. Atque hæc obtentu fidei falſo, ſed opprobrio vero comminiſcuntur. Quaſi veto ex iis quæ docet ſumma veritas, tam vana deducere teneremur. Nihil horum aut ſimilium ad fidei tutelam in hoc opere videbis adhibitum. Neque etiam tam pronum eſt hominum genus ad impoſſibilitatem rebus temere aſtruendam, ut eam niſi pateat, licet poſſibilitas quoque lateat, non eſſe protinus putandum ſit. Ubinam obſecro toties & tantopere de impoſſibilitate affirmando erratum eſt? Pauca tu quidem è tua & falſa ſententia, ego quæ ſubtilem & attentum fallant nulla reperio. Nempe lapſi ſunt Philoſophi cum accidens à ſubjecto divulſum negant. Euchariſtiæ quippe myſterium erroris arguit. Erras ipſe, & errorem poſtea vel ipſe fateberis. *Quæ ſunt eadem uni tertio*, eo etiam ſenſu qui à Trinitate diſſentit interpretati ſunt. Quinam? Nimirum tu, tuique ſimiles. Nam veteres ad res tantum, non Modos, ut & ipſa verba indicant, applicarunt.

Poſſibilitas non ex argumento negativo, *Non apparet Implicantia*, aſſerenda eſt, ſed poſitivum potius pro eâ, quam pro impoſſibilitate quærendum, nam major eſt ad poſſibilitates falſas quam impoſſibilitates fingendas proclivitas.

Virg. Ecl.

carunt. Sed ne plura persequar, concedamus in hanc partem aliquos aliquando nimium deflexisse Philosophos; longè turpiùs & frequentius prolapsi sunt in contrariam, præsertim ii quos fides perperam intellecta, ad inania commenta excogitanda detorsit. Accedit etiam opinio de potentia cæca, quæ cujuslibet & quolibet emanationem invexit; hinc etenim cum ut aliquid fieri possit, num sciri possit nec ne, nil pensi habent, nihil non virtuti divinæ seu verum seu fictum tribuunt, eoque magis quod numero rerum exaggerari censeant potestatem, quasi fœcunditatis laus esset si monstra indecora parturiat; aut pulchritudo divina tanta non esset, ut quæ nobis haud inconcinna fortasse videantur, ad ipsam proprius admota non sordeant; aut non æque absonum auditu foret Harmoniæ perfectæ inesse quid dissoni, quam consoni quippiam defuisse. Phantasiæ quoque plurimum obsecundant; hæc autem quia divulsa jungendo, & divellendo conjuncta facile & frequenter incautis imponit, ut specie fallace delusi pugnantia connectant, & arctissimo nexu cohærentia per imprudentiam existere disjunctim putent, multò magis errori possibilitatem ponendo, quam tollendo reddit obnoxios. Quamobrem extremæ temeritatis est rem leviter excussam pronunciare possibilem, eo quod impossibilitatem primo aspectu non videant. Id autem quantum usu receptum sit, omnis hujus generis quæstio docebit, quam à famoso *Non implicat* inchoatam invenies: in id offendes in primo vestibulo, neque intro progresso quod possibilitatem suadeat quicquam occurrit: fac tamen prima verba mediatè, & re tota prius intimè discussa prolata, num quia impossibilitas diu quæsita non prodeat, idcirco illam abesse putandum est? Nonne similiter de Possibilitatis absentia conjectabunt, qui pari cura quæsitam non invenerint? Neutri vero, si sapiunt, non somniant; alterutram sibi videri, quod contrariam non videat, affirmabunt. Minus autem errabit qui impossibilitatem hac conjectura statuerit, quia pars altera errori propior est, ut plane contra quam fieri soleat faciendum existimem; namque ubi secundum Possibilitatem vindiciæ dandæ sunt, lentiùs ut in loco lubrico quo plures labi contigit, progrediendum, & certiora veritatis testimonia, & argumenta clariora poscenda arbitror. Optimè vero fecerit, qui minimam rebus incertis, & inutilibus operam dederit. Qualia pleraque sunt hujusmodi quibus negotium Discipulis facessere non otiosi tantum, sed malè feriati Magistri solent. Si quid autem horum occurrat quod sciri possit, & juvet, principiò ad Possibilitatis caput & originem recurrendum, & num ejusmodi sit quod ars nulla quæ facientem diri-

Quid in quæstionibus circa possibilitates agendum.

dirigat complectatur, Tum si fingatur existere, num quid indecori, aut absurdi, tum etiam contra quid pulchri contineat, proprietatumque concordia ne, an discordia sequatur videndum. Cavendum autem imprimis ab eo stupore quo objectiva quædam & commentitia possibilitas aut impossibilitas non existentibus rebus ascribitur. Rectè censendum, & clarè loquendum, hoc fieri non potest, illud potest, quia ex altero potentia imperfecta, ex altero perfecta colligitur, Potentia vero qualis sit ex intellectus & voluntatis, sed prioris præcipuè contemplatione proponitur colligenda.

Quidvis creandi. Gen. 1. ps.

§. 38. Ipsam porro creandi vim, si Directioni adjungas imperium, & video, voloque dicentem audias, efficacem intelligas. *Fiat* lux, & *facta* est lux. *Ipse dixit & facta sunt, ipse mandavit & creata sunt.* Hæc etenim subtiliora, & vero propiora sunt, quam Causæ quandam plenitudinem exudantem, exuberantem, aut exundantum fingere; nam quæ à corporeis translata sunt, & à Deo, & ab agendi virtute longiùs absunt, addenda tamen, ut ab omnibus quæ quoquo modo conducant, mutuatus, ad id quod super omnia est aliquatenus exprimendum accedas. Verum illud *video, voloque* num priùs intus exercitum cogitari debeat, quam foras prodeat dubitari potest. Quamvis enim de Verbo & amore in ipsa Deitate productis nihil inaudivisses, ad res tamen creandas in notitia, & voluntate increatis, ideoque infinitis, efficacitatis abundè reperisses. Cæterum de fœcunditatis exercitatione interiore & potiore à fide monitus, post etiam rem altiùs scrutando, sciveris, hoc ut proximum, & necessarium naturæ supremæ decus cogitanti prius occurrere, & fœcunditatem actu intimo, & maximo vigentem, & quasi flagrantem, exeri dum extranea producit. Et Deum Patrem omnia per Verbum seu filium facere, non modo quod vis effectrix ut communicata, in verbo posterius ordine sit: verum etiam, quia per artem tum ut dirigentem, tum ut exercitam operatur. Verbum autem Augustinus *Artem omnipotentis & sapientis Dei* nuncupat. Et inani certe labore Patres in rebus creatis Trinitatis vestigia quæsivissent, nisi natura ut Trina, sive ut proprietates tres connotans, creandi opus efficeret. Nam quod extra causam est, id effectum signare sui nota non potest. Signa vero Trinitatis eò obscuriora, quam unitatis esse convenit, quò magis naturæ communi, quam modis peculiaribus creandi virtus congruit. Sed num quid ars illa divina nostrarum instar, operis faciendi quoddam exemplar exterius spectat? Negant omnes, sed negando sibi parum consentiunt plurimi. Nam si rerum Essentias priusquam existant, ut à potentia sua distinctas spectat Deus, easque spectando quid fieri queat ant nequeat, & quo quidque modo fieri possit addiscat, dum prædicata, quæ vocant, objectiva & Essentalia

Deus ut Trinus creat.

1 6. de Trin. c. 10.

Absque exemplare extraneo, quia se non autem possibilia ut objecta aspicit.

tialia conſpicit ſingulorum, in iiſque inſuper id omne quod futurum eſt contineatur, quid vetat Exemplaria, & Ideas extraneas appellari. Rectiùs & ſubtiliùs Auguſtinus, *Neque quicquam*, ait, *extra poſitum intuebatur Deus* Nimirum antea quam res exiſtant nihil habent quod cognoſcenti objiciant contemplandum. Quare cum res ut poſſibiles videre dicitur, eas ipſi objectas exiſtimare non licet; ſed fæcunditatem tantum propriam, quæ reipſa exiſtit intuetur, quam nos ad modum noſtrum, fingendo quoſdam terminos explicamus. Immo nec ſe ſibi objectum aſpicit, hoc etenim diſtinctionem poſtulat, id quod perſonis tantùm ſe mutuo cernentibus, non autem naturæ ſeipſam ſpectanti convenit. quæ proinde rectiùs ſua quam ſui notitia dicitur, hoc etenim fallacem quandam objecti contra poſiti obtendit imaginem. Re tamen ſemel expoſita, verbis licet ad imaginationis exemplum malè conformatis, citra periculum erroris utimur. Atque hæc ſcientia qua fæcunditatem ſuam intuens quid facere poſſit intelligit, neceſſaria, vel naturalis, & ſimplicis intelligentiæ dicitur. Altera vero quæ quid aliquando exiſtens oſtendit, ſcientia viſionis aut libera vocari ſolet. Libera quidem quia pendet à libero creandi decreto; viſionis autem, quia rem exiſtentem & præſentem, quam intellectus tantummodo non viſus tranſilit, contuetur. Cæterum alia è decreto ipſius libero, conſecutione ducuntur neceſſaria: alia non item; nam ſi vult Petrum exiſtere, Petrus exiſtit; at non continuò eundem peccare ſequitur, id enim adeo Deus non vult, ut etiam vetet, & Petrum tantummodo id velle ſinit. Exiſtentiam itaque Petri haud minus in decreto, quam poſſibilitatem in potentia conſpicit, cum illud etiam ſit Deo inſitum, & ab alio quo Petrum nollet exiſtere differentia perſpicua diſcernendum. Non tamen eodem modo exiſtentia & poſſibilitas intelliguntur; hæc etenim à potentia diſtingui non poteſt, illa vero à propoſito & poteſt, & debet: quæ licet diſtincta, ut connexa tamen certò cognoſcitur, ſic autem cognitam num in reipſa etiam, non modo in alio, aut ex alio ſciri dicendum ſit, alii litigent.

l. 83. qu. q. 46.

De ſcientiâ quâ Deus ſeipſum, & alia novit.

§. 39. Ego rem exponam, & verbis, quoad fas ſit ſermone humano divina eloqui, utar idoneis. Deus ante omne decretum videt quot quibuſque modis participari poſſit à rebus creatis; videt inſuper in ſeipſo quid amplius quam quod creatione rerum poſſit exprimi: ut ſeipſum modo priore cernit, res poſſibiles ſcire dicitur, poſteriore vero ſcientia ſui vocatur; non quo priore quicquam aſpiciat extra ſeipſum, ſed quia nos Deum ut potentia eſt, ad terminos qui fieri poſſint referendo, cognoſcimus. Quam falſam terminorum imaginem à judicio poſſumus, ab imaginatione non poſſumus ſeparare, nam ut remum ſcias non eſſe fractum, nihilo ſeciùs fractus apparet. Quà vero Dei natura omnes excedit terminos, eatenus ad terminos

velut extra positos cogitatione referre non modo non necessarium, sed absurdum esset, Itaque cognitio sui, quasi ad aliud neutiquam relata dicitur. Hactenus ergo seipsum tantummodo Deus aspicit, sed ita, ut & possibilia, non modo seipsum dilucidè & distinctè cognoscat; non tamen idcirco velut objecta distincta, quia cum non existant, nihil habent quo distinctio vel inter se, vel à Deo nitatur. Sed distinctè cognoscit, quia singulorum in seipso rationes clarè cognoscit, & quo quidque modo sigillatim fieri possit intelligit, id est directionem in se habet non universalem & inertem, sed particularem & practicam. Pergamus. Decrevit aliqua facere, sciendo & volendo fecit, facta videt. Num ut objecta, num in seipsis videt? Habent quidem nunc quod objici possit, non tamen sunt causæ vel objecta, sed effecta scientiæ; ideo quippe paries visionis objectum dicitur, quia per species, seu radios visionem efficit: nam terminationem figmentis annumerandam inanibus, cum vel intellectioni nostræ, vel etiam visioni accommodatur, ostendimus. Rem autem creatam quæ scientiæ increatæ progressum sistat, aut terminet, comminisci nefas est. Quare cum facta, scientiam Dei nec faciant, nec sistant, eidem objecta dici non debet; neque etiam videri in seipsis, hoc etenim de iis tantum sermone proprio dicitur, quæ per species emissas, aut remissas visum moveant, & semet ea ratione videnda velut offerunt, & objiciunt. Sin autem in seipsis videri dicendo, haud amplius dictum velis quam distinctè, dilucidè, sigillatim, intelligi, neque tantum generatim & confusè, quod non minus imperitè, quam impiè docuit Aristoteles, rectè quidem sentis; sed perversè loqueris, eo loco præsertim quo hoc ipsum proponitur declarandum, nam alibi cum de aliis agitur, non est castiganda sermonis usitati licentia. Audi Dionysium, quem & ingenii subtilitas, & sapientiæ studium, & contemplationis experientia de divinis appositè loqui docuit. *Seipsam*

c. 7. de div. nom. *noscens divina sapientia novit omnia*, postea etiam clariùs. *Ipsa seipsam omnium causa noscens, nullo prorsus modo ea quæ à se profecta sunt, & quorum causa est, ignorabit. Hæc ergo Deus ea quæ sunt, noscit non Rerum, sed sui notitia.* Audi & Doctorem Angelicum: *Alia à se videt non in ipsis, sed in seipso.* Cæterùm ut asse-

1. p. q. 14. a. 5. c. ras quod existit, id in seipso cognosci, haud magni refert, modo cognitionem divinam à rebus cognitis moveri, aut terminari non putes. Hoc enim futile commentum, illud autem impium portentum est.

Scientia rerum explicatu facilis, Modorum autem qui à libertate pendent difficilis.

§. 40. Quod pluris interest id nunc laboro, ut qua via res in Dei notiam veniant inquiram. Quà verò vel sunt, vel esse possunt, per naturam necessariam, & voluntatem liberam sciri jam diximus: verùm ut quodam modo sunt, qui modus à voluntate indifferente, seque per electionem propriam ad peccandum determinente pendeat, id enimvero dictu proclive

non

non est, neque enim Deus videndo quid ipse possit, aut velit facere, hunc modum, quam nec facere nec velle possit, videbit, neque eundum è rei modificandæ notitia prævidebit. Res enim non habet cognoscibilitatis amplius quam Entitatis, hæc autem est indifferens, indifferentiam igitur solam noscendam exhibet. Quare licet eam intimè scrutatus, ut nihil occulti lateat, comprehendat: nusquam determinationem ipsam, quæ non est, sed tantum determinandi potentiam, deprehendet: si quid ultra Deo super comprehendendi tribuis, scientiam non auges, sed errorem inducis, fallitur enim qui quod in reipsa non est, id sibi rem visam putet ostendere, sin autem indifferentiam tollas, & voluntatem necessariò velle palam affirmes, vel clam musites, dum aliquid intra, vel extra volitioni futuræ præstruis indissolubili nexu conjunctum, scientiæ divinæ facem præferendo, libertatis humanæ notionem extinguis. Nam si tibi quippiam adest, aut deest, quod indifferentiam auferat voluntatis, neque ipse eligis, neque arbitratu suo agis, neque tibi quod agas, aut non agas, vitio vel laudi verti potest. Et sane quandoque sic agimus, ut plane nutu nostro & determinatione propria nos agere sentiamus. Quod sit in hoc, quod de nobis, & in nobis intimo sensu experimur, falli contingat; nescio quid uspiam de anima nostra comperti habere liceat. Accedit Philosophorum suffragium, deliberandi negotium, & sensus & sermo communis. Tum qui indifferentia sublata arbitrii libertatem tueri nituntur, authoritate sola freti, vix ullam qua possit intelligi explicationem afferre conantur. Adversarii autem, Authores & eosdem & alios dignitate pares, numero plures, ejusdemque easdem sententias opponunt; explanatione vero non eget indifferentia, nam, quod ad libertatem attinet, de obscuritate reprehendi non potest: neque eâ vel palam vel clam ademptâ, legendo, audiendo, vel cogitando, perspicui quicquam invenio. Hanc igitur integram servare aliis quidem utile, mihi vero necesse est, cui veritatem cum claritate conjungere statutum est. Fidem à scientia hoc loco deseri, haud alibi desertam, ubi majora pericula imminerent, incredibile est. Quæque aliis locis dicenda sunt, conjecturam hanc veram fuisse docebunt. Pergendum igitur qua cæpimus, & aliquid tandem, quod scientiam divinam cum indifferentia humana conciliet, inventum iri sperandum est.

Propter indifferentiam liberæ facultatis.

Qua tamen retenta.

§. 41. Porro quæ sunt non modo ex efficacitate, verum etiam è perspicacitate scientiæ sciri queunt. Quod Deus facit id novit utique, quia noscendo facit, res igitur omnes, quippe quas solus efficit, efficacitate scientiæ noverit. Modum autem quempiam, aut mutationem rei aliunde profectam, perspicacitate notitiæ deprehendet. Rem videt qua ab ipso est, Modus etiam quo est, nisi quid impediat, non latebit. Ecquid autem hunc modum à conspectu scientiæ, in res omnes subtilitate maxima penetrantis, regat? Tegumenta quidem

Explicatur scientia contingentium absolutè futurorum, aut aliquando existentium.

quidem noſtrum viſum excludunt, quia radios, quibus opus eſt, ad interiora non ſinunt appellere, à quibus repellendi ſunt ut viſum moveant. Sin autem radiis non admiſſis, ſed emiſſis, iiſque tam longis & acutis, ut cuncta pertingerent, atque perrumperent, cerneremus; neque intervalla, neque operimenta prohiberent aſpectum. Nullum eſſet corpus abſconditum, quo loco ullo inter corpora conditum eſſet. At ſi in nullo eſſet, ac proinde nondum eſſet, à radiis undique diſcurrentibus inveniri non poſſet. Cæterum eorum longitudo ſi foret ejuſmodi, ut locorum pariter, & temporum ſpatia comprehenderet, nihil uſpiam, aut unquam eſſet quod incurſionem eorum fugeret. In id tamen quod loco vel tempore nullo eſſet, nequaquam incurrerent. Atque ut ad viſionis, vel alterius cujuſlibet formam, cognitionis effingas notionem; nihil unquam quod intelligi queat, comminiſci licebit, quo id cognoſcendi ſubjicias quod nullo modo rem eſſe, id eſt nunquam exiſtere vel in tempore, vel ævo, vel æternitate doceas. Ens enim & verum ſeu cognoſcibile, omnes qui unquam ubicunque terrarum ſubtilitatis & ſapientiæ Principes floruerunt, nexu quodam arctiſſimo copularunt. Quorum tot, & talium & ſectis, & locis, & temporibus disjunctorum conſenſionem, paucorum ætatis unius, & ordinis conſpirationi poſtponere iniquum foret. Qui ſciri quædam à Deo opinati ſunt, quæ nunquam ſunt: ſed neque cum iis quæ aliquando ſunt, conſecutionis ullius neceſſariæ vinculis connexa ſunt, futura tamen eſſent ex arbitrii indifferentis inclinatione fortuita, ſi quid aliud foret, quod nunquam futurum eſt, fingeretur. Ut non modo quid facturi qui futuri ſunt Deus videat, ſed quid facturi fuiſſent ſi conditionem aliam ſortiti fuiſſent, vel quid nunquam futuris quocunque rerum ordine, è nutu voluntatis ancipite contigiſſet. Hanc autem ſcientiam conditionatam appellant. Quam equidem ſciendi formam, ſi in ſententiam mentis admiſerim, jus omne ſententias alias tuendi amiſerim. Namque ubi cognoſcibilitatem ab Entitate, Entitatem ab exiſtentia vera & poſitiva ſejungere, & quod Entis eſt nihilo adjudicare, veritateſque objectivas fundamento nullo ſubnixas ſtabilire, & rebus abjectis umbras vaniſſimas captare cœpero; in tenebras quas evaſiſſe putaveram denuo relapſus, notionum diſſimilium confuſione promiſcua, clarique & obſcuri permixtione fœdiſſima, quæ prius haud obſcure declarata ſunt cuncta turbavero. Sed quomodo abſolute futura ſciat, pergamus inquirere; nam conditionate futura non modo ſciri non poſſe, ſed ſcientiam hanc neque neceſſariam, neque utilem, neque etiam decoram Deo non minus optimo quam maximo paulatim addiſces. Et quia mentis ſupremæ radii æternitate & immenſitate tam longe protenſi & late diffuſi ſunt, ut locum & tempus omne contineant, nihil unquam aut uſpiam eſt quod ab iis remotum,

Non autem conditionate tantum exiſtentium.

tum, aut retrusum possit intelligi. Et de immensitate quidem scientiæ quod locorum & abdita & dissita penetralia rimetur, non ambigitur, Atqui ut ad locum immensitas, ita se habet ad tempus æternitas. Verum qui è verbis assueti sunt varietatem exquirere, hoc loco cæcutiunt, quia quod alicubi est, id nunc est, ideoque Deo qui ubique est; præsens est. Quod autem aliquando est, non id continuo nunc esse, quia fortè futurum est, sed à Deo, ut Nunc est, abesse dicitur. At similiter quod in terris est, à Deo ut in cælis est distare dicendum est. Quoniam autem immensitas quæ cælum occupat, eadem etiam atringit, idcirco quod hic est, ab immensitate non simpliciter, sed tantum ut ibi est, abesse dicitur; ita quod cras erit, ab æternitate tempora complectente non distat absolutè, sed tantum ut hodie, vel alio die cogitatur existere. Quare Deus haud magis ab æterno res prospicit ut futuras, quam è cælo respiciat ut remotas. Nam à Deo rem distare ut hic, & nunc est, non Dei ab ipsa, sed loci à loco, & temporis à tempore distantiam significat. Quod igitur unquam est quandocunque fuerit, Deum latere nunquam potest. Neque enim quod Entitatem habet, id cognoscibilitate caret, neque eam nisi remota sit, à cognoscentis aspectu subtrahi quisquam finxerit, nisi tam obtusum quoque putaverit, ut per involucra quædam nequeat penetrare.

Deus nihil ut absens prospici, aut futurum.

§. 42. Peccatum, inquies, Anti-Christi quod necdum est, ex æternitate cum Deo Esse non poterat: fateor, & profiteor insuper rem nullam quoad ullum *Esse* vel existentiæ, vel Essentiæ positivæ, vel negativæ, vel etiam objectivæ à Deo distinctum, ex æternitate fuisse. Peccatum igitur, instabis, tempore partim ficto, partim vero interlabente remotum erat. Præterea tunc non erat Ens, nihil igitur quod tunc cognosceretur habebat. Sed hæc perinde de loco ac tempore dixeris. Nam tu in cælo non es, ergo à Deo qui in cælo est interjecto mundi spatio remotus es; tum ibi non es, nihil igitur quod ibi noscatur habes. Sicut igitur satis est, Deo te præsentem esse qui in cælis est, licet non ut in cælis est; ita quoque Deo qui æternus est, licet non ut ab æternitate est, si præsens fueris, conspectum illius non effugies. Quare nihilo magis opus est coæternam, quam concæleſtem præsentiam fingere. Utraque perinde ficta est, & utramque excutiendo vel nihil omnino, vel nihil quod ex usu sit continere reperies. Nam præsentia objectiva est ipsum sciri quod quæritur. Alia quævis Chimærica est, atque hæc ipsa quoque si ad modum objecti à Deo distincti statuatur. Omnis enim sive existentia, sive Entitas, sive distinctio, quæ realis non est, nulla est, neque ab ullo uspiam vel conducibilis vel etiam cognoscibilis facta est. Tum ut aliam te sinam fingere, neque ut fictam, sed veram agnoscam; ea vel integram & absolutam rei complectitur existentiam,

Neque tamen ei ex æternitate res adsunt.

remque

remque ab æternitate vel in cœlo reipſa & pleniſſime exiſtentem indicat; vel quippiam abeſt, idque proinde ut abſens à cognitione ſemotum eſt. Cæterum res omnes licet Deo ab æternitate, vel in mundi extremitate non adſint, quia tunc, & ibi, reipſa non ſunt, eas tamen inde non reſpicit, ac ſi ab illis ipſe longius abeſſet. Hoc etenim æternitatem, & immenſitatem anguſtiorem ſignificat, quam ut ſpatia locorum & temporum comprehendat. Illæ quidem Deo ſemper, & ubique non adſunt, quia certis locis & temporibus definitæ ſunt, Deus autem ab illis nunquam, & nuſquam abeſt, quia per Eſſentiam ad ſpatium, & tempus omne protenditur. Neque ita rei infinitæ, atque finitæ, uti finitarum inter ſe, vel mutua, vel nulla præſentia eſt; neque proinde neceſſe eſt vanam ex omni æternitate præſentiam rebus affingere, ne ut abſentes à Dei conſpectu videantur amotæ. Infinitum enim adæquate finitum attingit, licet ipſum haud adæquate viciſſim à finito tangatur. Sed præſentiam facilius & ſcientiam verbis aptioribus expreſſam intelliges. Deus operando fit præſens, operatur autem videndo, atque volendo; utrumque quia immobile, & incommutabile eſt, æternum dicitur. Fluxio porro & ſucceſſio, ſeu prius, & poſterius, motionem, aut ſaltem mutationem includit. Nihil ergo prius aut poſterius æternitati divinæ congruit. Eſt itaque *nunc* quoddam immobile, & momentum incommutabile ſemper incipiens, nunquam deſinens, ideoque & tempora cuncta complectens. Non igitur egiſſe, vel acturum, ſed ut ſemper agentem; ideoque & ſemper præſentem cogitabis. Quod ſi nec ante, nec poſt, ſed nunc ſolummodo Deo convenit, non itaque dicit Adamum creavi, Anti-Chriſtum creabo, ſed utrumque ſemper creo, neque proinde ſe unquam illi fuiſſe, huic fore, ſed utrique ſemper præſentem eſſe conſpicit. Ei quippe *cuncta aſſiſtunt acta & agenda ſimul. Non eſt ibi*, id eſt in æternitate divina, *niſi eſt, non eſt ibi, fuit aut erit. Erat, & erit non recte æternæ ſubſtantiæ aſſignamus.* Deus eſt igitur ſemper creans, ſemper ergo eſt rebus creatis præſens, & præſentia quidem intima, quia creatio operationum eſt omnium maxima; res autem omnes ipſe creat, rebus igitur omnibus ſemper ineſt, quaſque videndo creat videre neceſſe eſt; cumque eas non modo coram aſpiciat, ſed in ipſis intus exiſtens penitus introſpiciat, etiam modum quemlibet non ab ipſo, ſed ipſis, vel undecunque naſcentem clare perſpiciet. Nam quia eſt, noſci poteſt; & quia non abeſt, ſed ſubſtantiæ cum cognoſcente pariter ſumme ineſt, latere non poteſt. Quas itaque res facit, faciendo videt, quia videndo facit, & quia ſemper facit, ſemper videt; tum quia faciendo factis ineſt, quicquid in iis non ab ipſo fit, factum videt, non quia facit, ſed quia in quibus fit præſentia intima, & ſcientia clariſſima rebus ineſt.

Nodus æternitatis notione ſolvitur.

Boëtius de Conſ. Aug. in Pſ. 101.

Plato in Timæo.

§. 43. At-

§. 43. Atque hinc illud elucet, quod clarè cognoſci permagni intereſt. Nempe volitioni à nobis elicitæ neceſſitatem à ſcientia divina nullam imponi: Scientiam autem hoc loco potius cum Auguſtino quam præſcientiam appello, quia non tam volitionem faciendam prævidere, quam factam videre vel potius dum fit intueri cenſendum eſt. Facientem vero qui ſpectat, neque facienti manum admovet, vel ad facientis nutum movendam commodat, is efficientiam neutiquam interturbat. Sin prius rem faciendam, eaque ſcientia quæ nec falli nec deſtrui queat, vidiſſe, tum longo ſæculorum decurſu ſe cuturum aliquando, quod longè ante prævifum eſt opus, fingas; abeſſe non poteſt quin molem quandam ineluctabilem voluntatis arbitrio incumbentem, neque aliter operari ſinentem intelligas. Hæc autem non intelligentiæ fundamenta ſed Phantaſiæ figmenta ſunt. Ludimur enimvero turpiſſime, cum æternitatem fluxionis imaginariæ menſura planè ludicra & puerili metimur. Neque ea re tantum quod æternitati ſucceſſio nulla æqualis eſſe queat, id quod ex infiniti contemplatione alibi palam fiet: verum etiam cum momentanea ſit, & immobilis, nihil Ante vel Poſt, nihil fluxum, & mobile, ratione vera, ſed imaginatione tantum fallace contineat. Quam ducem qui ſequitur, eaque nititur, eum non excultum, & adultum, ſed rudem planè & infantem, & à maturitate Metaphyſica longè diſtantem ſcias. An quia Deus ex æternitate futura prævidiſſe dicitur, propterea tibi longè poſt ſecutura, procul aſpicere, eorumque adventum expectare videtur? At quia excelſior cælo appellatur, in ſpatia quædam extranea, quæ Nihil ſunt, extuberantem, atque inanitatem ipſam implentem intelligis? Ante videre, extra eminere, nihil aliud ſignificat ſapienti, quam extenſionem omnem ſeu fluxam ſeu fixam æternitate ſcientiæ, immenſitate præſentiæ ſuperari. Quod aliquando eſt, ſi nunc non eſt, id nobis præteritum aut futurum eſt, quia *Nunc* noſtrum anguſtum, exile, curtum eſt, non omne quod unquam eſt, momento uno indiviſo, immoto, infinito complectitur. In rebus creatis ſi hæc præcedit, illa ſequitur, quia prior limitata natura reliquas non aſſequitur. Utcunque tamen, inquies, explicetur æternitas, eſt hodie in Deo ſcientia, eaque modo interiore, non reſpectu ad extranea continetur, qua craſtinam latronis rapinam prævidet; qui quidem modus non eſſe potuiſſet, ſi latro rapinam facere noluiſſet; ſi tamen eſt, neque deinceps non eſſe, neque à veritate disjunctus eſſe poteſt; vel igitur in latronis poteſtate non eſt rapto non vivere, vel in ejuſdem poteſtate eſt ſcientiam Dei falſam, & nullam reddere, quod omnino factu impoſſibile eſt. Sed argumentum fallacibus verbis à phantaſia fallace ſtructis nititur. Nam ſcientia non ut hodierna, ſed ut æterna ſemper incipiens, & tempus omne complectens cogitanda

lib. 2. ad Simplic. q 2.

Quo indifferentiam humanam ſeu libertatem cum præſcientiâ divinâ conciliat.

tanda est, eandemque antecedentem cogites per me licet, modo ne rapinam consideres ut sequentem: hac larva sublata nil latet obscuri, nam scientiam ex alterius operatione vel determinatione nascentem, in ejusdem potestate constitui ne nascatur perspicuum est; tum si opus scientiam non sequitur, cur omitti non possit, impedimentum à sciente nullum objicitur. Verum ut ut signa rationis ordines, & scientiam opere posteriorem colloces, eandem tamen ut operi secuturo imminentem, atque etiam ut omnino fiat urgentem tamdiu intueberis, quamdiu æternitatem fluxione temporis metieris. Adeò commentum hoc, ut & alia pleraque, non modo in Philosophia vanum, sed in fide præterea vix sanum apparet. Quò minus admiror Aristotelem, cum tempus æternum finxerit, libertatem arbitrii cum præscientia divina conciliare nequaquam potuisse. Quique tempori vero factum subrogant, licet errorem evitent, in eadem tamen obscuritate versantur. Quamvis enim rectè respondeant ex hypothesi tantum consequente peccatum necessario futurum, quia Deus qui falli non potest futurum prævidet; cum non quia prævidet futurum sit, sed quia futurum est ideò prævidet; præscientia tamen, dum ut olim concepta, eventum longo post tempore fingitur expectare, ei instare premendo, & necessitatem insuperabilem inferre videtur. At si Deo scientiam talem ascribas quæ anticipationis eminentiam, id quod in præscientia nostra prefectum est, comprehendat; quod autem imperfectum est, futuri consecutionem, & expectationem excludat, atque ita olim sciviſſe, ac si nunc primo sciat, tecum reputes; eo fiet ut tum necessitatis antecedentis, quam consecutio futuri peperit speciem extinguas, tum veritatem determinatam scientiæ, quæ nutum voluntatis certum, ut nunc est cum accidit, intueatur, non incertum, ut cum necdum est, atque in voluntate indifferente est, præstoletur, evincas; tum etiam ut creata à creatore, indigentia quadam maxima, & intellectu facillima pendere decernas. Nam cum scire, & velle divinum sit momentaneum, neque unquam in præteritum tempus abeat, Deus est semper volens, & sciens, & proinde semper est creans, & Creatio, ut loquuntur, semper *in fieri*, nunquam in facto esse cognoscitur.

Et singularem à Creatore dependentiam per conservationem ostendit.

§. 44. Voluntatis igitur cum indifferentia liberæ motiones, quæ nobis futuræ sunt, æterna Dei sapientia, tametsi non ut sibi semper coexistentes, quia non semper existunt, nunquam tamen ut absentes, quia tempus omne momento uno continet, intuetur. Quæ vero nunquam futuræ sunt, forent tamen si quid aliud nunquam futurum factum esset, qua via in conspectum Dei veniant, neque apud alios invenire, neque ipse excogitare unquam potui; nam quæ reipsa futuræ sunt, eas haud aliter à Deo sciri comperio, quam quia aliquando sunt, & rebus insunt quibus ipse quo-

Scientia conditionalis aut Media confutatur.

que

que creationis intima præsentia inest, ideoque velut è conspectu remota non absunt, neque ut intus recondita intimè præsentem, atque omnia perspicacitate scrutantem fugiunt. At vero si non sunt, unde, quando, vel ubi, aut quo modo, qua via, vel vi investigata compareant, nec speculando, nec opinando, nec divinando quicquam assequor. Neque alibi reperio alia cognosci, præterquam quæ aliquando reipsa existunt, tametsi notitia eorum quæ sunt, aliorum quæ non sunt fictione soleant explicari. Cum voluntatem Anti-Christi indifferentem possibilem esse, eamque si creata, & instructa fuerit, hoc, aut illud indeterminatè facturam esse nosti, licet objecta quæ non sunt, animo videantur occurrere, re tamen ipsa & citra Phantasiæ ludibrium, nil tibi aliud quam divina potentia quæ rem talem possit efficere obversatur. Quæque in objecta negativa & impossibilia putantur ferri notitiæ, eas eorum quæ non sunt includi cancellis demonstravimus. Quare cum cognoscibile ab Ente, Veterum nemo sejunxerit, neque Recentiorum quispiam ratione ulla quæ possit intelligi separaverit; cognitiones autem aliæ, quæ vel maximè non Entium imagines videantur objicere, intra Entium limites examinatæ consistere compellantur, hanc unam scientiam conditionalem lege communi solutam, ultra vagari, nescio quo jure, pati liceat.

§. 45. Proferendum est aliquid luce meridiana clarius, ut rei tam enormis, tam incredibilis fidem facias. Sed lucem quærenti, objectivæ cujusdam veritatis umbram ostentant. Est enim, inquiunt, à parte rei æterna veritas; si Davus arcam apertam inveniret, nummos inde clanculum compilaret. Itane vero æterna veritas? *Si nullus intellectus esset æternus, nulla veritas esset æterna*, testatur Doctor Angelicus, quanquam res tam explorata teste non egeat. Intellectus itaque æternus unde furti nunquam futuri notitiam hausit? Neque enim id è comprehensione divinæ naturæ, neque etiam è supercomprehensione, si lubet, voluntatis humanæ poterat innotescere. Hæc etenim furtum tantummodo, aut non furtum, aut propensiorem fortassis ad furtum voluntatem indicant; omnino, & certo facturum fuisse non indicant. Novit, inquiunt, quia est Veritas. At Veritas Entis proprietas est, quam cognoscibilitatem appellant. Hanc ostendas oportet, ut veritatem probes. Nos, ajunt, conjectura cognoscimus, est ergo cognoscibilis, & proinde Veritas, quod autem nos imperfectè, id Deus perfectè, ideoque certò cognoscit. Sed argumentum hoc è nostra conjectura deductum, ne conjecturæ quidem levissimæ momentum habet. Nam major ad furandum proclivitas, cognoscibilitas dubia est, indubitata non est. Cognoscibilitatem autem certam afferre debet, qui rem certò cognosci suadere velit. Nonne possibilitatem plenam & perfectam ostendunt, qui rem

1. p. q. 6. a 7. c.

rem quampiam absolutè à Deo fieri contendunt. Alioqui valebit argumentum hujusmodi; A Leone & Pardali fit Leopardus, id est rudimentum Chimæræ è dissimilium commixtione conflatum; Deus ergo Chimæram absolutissimam facere potest è distinctorum Identitate coalitam. Sicut igitur Potentiam ultra possibilitatem, ita etiam ultra cognoscibilitatem notitiam provehendo non auges, & ornas, sed utramq; dedecoras, minuis, in nihilum redigis. Et à me quidem qui à possibilitatibus, & cognoscibilitatibus objectivis ad potentiam, & notitiam provocare soleo, scientia conditionata ea sola conditione recipi potest, si quippiam, cognitionis supremæ & æternæ indolem contemplando, protuleris, quo sub conditione tantùm futura conspici posse doceas. Eam vero & æternitate intimam, & perspicacitate maximam intuendo, præter ea quæ aliquando sunt, comprehendere nil posse vidimus. Pudet hunc locum, quem necdum initiatis opertum esse deceret, Logicorum strepitu profanatum audire. Propositionum contradicentium, inclamant, altera determinatè vera est, falsa altera, Tales sunt, arcam patentem expilaret famulus, aut non expilaret, harum igitur altera vera est; utra porro fuerit, Deus veritatis omnis conscius nescire non potest. Necdum manum ferulæ subduxistis, & in his exercere garrulitatem audetis? Nonne vos ludimagister vester increpat Aristoteles, cum contingentibus etiam absolutè futuris veritatem affingitis definitam? Sane si fortuita ut futura spectatis, nil certi, nil nisi forte fient: fortassis evenient, comperietis; neque eadem Deus si velut absentia, & futura prospiceret, eventum incertum scientia certa præsciret, cum signum haud certius, quam causam utroque versum nutantem cerneret. Eaque re cognitionem determinate veram habet, quia non eventura, sed evenire cognoscit. Neque nostra de iisdem aliter definitè vera dici poterit, quam prout divinæ, quæ veritatis est regula prima, congruit. Nostram enim si ad causam referas existentem, definiti nihil ex indifferente colliges, ad futura vero quæ non sunt, ac proinde nihil sunt, neque quidem ut terminos referre poteris. Quod si cognitio humana de iis quæ reipsa contingent, eo tantum nomine determinate sit vera, quod divinæ concordet; quantæ ignorantiæ est eorum quæ nunquam evenient, cognitionis obtrudere veritatem, priusquam alteram in Deo ad cujus amussim exigi queat ostenderint? furtum igitur fieret nec ne, cum sciri nequeat, neq; sine scientia veritas haberi queat, propositionum illarum neutram veram dixeris, si plus quam præsentem famuli affectionem significent. Similiter enim sonant ista: si Titius Romæ pingeret, Sempronius Venetiis vel caneret, vel non caneret, alterutram tamen veram è tuis multi negant.

Περὶ ἑρμ. c. ul. Quo sensu contingentium veritas] determinata.

§. 46. Sed è providentia quæ res ad finem naturalem, & prædestinatione quæ ad supernaturalem dirigit, argumentum haud paulo fortius promunt.

Deum,

Deum igitur primo loco considerant res omnes possibiles perlustrantem, id est semet ut Potentia creatrix est, intuentem; in illis innumerabiles, easque nobilissimas reperit, quas non agendi necessitas unâ re circumscribat, ut aliter, aut aliud agendi liberam facultatem eripiat. De his porro condendis priusquam statuat, expedire autumant quid quæque earum quibuscunque ad agendum instructa subsidiis sactura sit videat, ut ad metam quam velit, quaque ei placuerit viâ, perducere possit singulas; ne forte non prævisa contingant incommoda, multaque prȩter expectationem, & destinationem eveniant, Idque in Angelis & hominibus per gratiam transmittendis ad gloriam, valere plurimum arbitrantur; quorum aliquos è turbâ seligere aut velle, aut saltem posse non dubitant, quos certissime beatos efficiat; atque eâ etiam ratione, ut licet gratiam illis, vel auxilia gratuita gratis, & circa merita largiatur; æternæ tamen gloriæ felicitatem meritorum præmium reddat; nihil autem merentur quibus non est integra agendi, & non agendi potestas, eâ vero relictâ quid acturi sint ante creandi decretum prævidere non potest, nisi conditionatâ quâdam scientiâ potiatur, quâ sciat si hanc huic gratiam dedero, eâ suo nutu volens, & lubens utetur, alterâ non item. Nullum autem voluntatem tam refractariam invenit, & rebellem, quin in tantâ donorum copiâ aliquod non aspernandum occurrat: idque è prævisione futuri, si detur, eventi, instrumentum Dei tam certum, ne frustra quid tentet, fuerit, ac si quod factum cupiat, aut statuat, necessitatis, aut consecutionis cujuscunque inevitabilis lege certissimâ futurum esset. Hac igitur cognitione munitus, è rebus omnibus quas fieri posse noverit, & genera, & numerum, & ordinem, ut ei visum fuerit, tutò seliget, & faciendi decreto faciet; nam quia, si fierent, quid eventurum esset intelligit, nihil est quamobrem consilium aliquando frustrandum metuat. Quas vero res ipse ex æternitate decernit facere, quæq; in illis vel ab ipso vel aliunde fient, quo pacto videat, declaratum est. Inter hanc porro visionem existentium, & alteram possibilium intelligentiam, quia conditionalis, seu signorum ordine, sive utriusque participatione (nam instar intelligentiæ liberum decretum Dei præcedit, uti visio nostrum sequitur) quasi medio loco consistit, Scientia quoque Media appellari solet: Eamq; singulari divinæ mentis consilio vel excogitatam, vel restitutam, & illustratam hoc tempore Defensores illius prædicant, quo captivum arbitrium necessitatis vinculis constrictum, Hȩretici non enervare tantum, sed enecare contendunt. Nam cum auxiliũ datur, quod licet rejici possit, tamen rejectum non iri scitur, & gratiam efficaciter agentem, & voluntatem libere consentientem, & Deum scienter, & prudenter omnia gubernantem, & quodlibet tum quò, tum quà voluerit perducentem intelligi posse & facile, & Philosophię fideiq; consentaneè persuasum habent. Verum

Argumentum à prædestinatione ductum refellitur.

ut aliis fidem faciant, etiamnum ipſis faciendum ſupereſt, quod hactenus ab eorum nemine factum cernimus, ut ſcientiam hanc tam utilem, tam neceſſariam, poſſibilem eſſe doceant. In hoc elaborandum fuerat, ut fundamentum aliquod ſolidum commento tam ſubtili ac ſublimi, cui tantarum rerum moles incumbit, ſubſtruerent; nam veritates objectivæ, & propoſitiones Logicæ vel leviſſimo tactu corruunt. Qui de Ente & Vero in Metaphyſicis tam fuſe diſputant, ab iis certe ſperandum fuerat, ut altiùs veritatis, & cognoſcibilitatis indolem perſcrutati, atque ultra vocabula, & Phantaſmata progreſſi aliquid tandem eruerent, quo ſcientia hæc, quæ rebus tam obſcuris lucem ſpondeat, ipſa in tenebris non lateret. Sed qui relictis Fontibus Metaphyſicæ, eo ſunt redacti ut è Dialecticorum lacunis, & Phantaſiæ fæcibus conjecturas hauriant, vel ut incommoda tantum quæ negata ſcientia Media conſequuntur, enumerent, neque argumenta, quibus eam eſſe, & intelligi poſſe monſtretur afferant, ij profecto declarant, nihil à ſe ſubtilitatis novæ & reconditæ è Philoſophicis, quo Theologica illuſtrentur, elici potuiſſe. Nonne plebejum eſt & plane vulgare, Da conditionalia cognoſci, vitabis incommoda, malè inter ſe cohærentia conciliabis? Nonne alij ſimiliter, Da libertatem, & meritum cum Neceſſitate congruere, eademque æque facile obtinebis? Hos audiri vetas niſi libertatem ipſi cum Neceſſitate concilient, tibi igitur imperandum eſt ut ſcrinia nova rimeris, atque inde præclari quippiam, & veteribus ignoti promas, quo cognoſcibilitatem ab Entitate disjungi poſſe demonſtres. Hoc etenim neglecto, ſi id ſolum agas ut tuæ tantum ſententiæ doctrinam fidei conſentire ſuadeas, nil ſane novi intelligendum affers, ſed inaudiri quippiam credendum obtrudis. Scholaſtici tamen muneris eſt quæ fides obſcurè proponit, eadem illuminare ſcientia, & eorum quæ credenda ſunt, credibilitatem potius quam varietatem augere. Sat multa ſunt; uti ſat bene explicentur id ſolum curandum, & agendum ſupereſt. Huic autem parti ſatisfactum noli putare, ſi ſententiam nullo argumentorum merito arrogatam, ſed gratis datam incommodis carere doceas.

Scientia Media Deo inde cora, hominibus horrenda.

§. 47. Sed ne vel in iſta re tibi nimium blandiaris pauliſper auſcultes velim. Priuſquam Deus iſti gratiam efficacem, ſufficientem illi ſed ineffi-cacem largiri decerneret, alteram ab altera eventus ſub conditione futuri prævisione diſtinxerat. Dat igitur quam inutilem, immo noxiam, nam rejecta ſit noxa, viderat. Si gratia eſt, è favore, è benevolentia, & beneficij conferendi ſtudio proficiſcitur, Gratia vero ut hoc loco ſumitur, voluntatem etiam conferendi adoptionem Filiorum Dei, ſempiternæ quoque gloriæ hæreditatem qua Filij adoptivi Patrem intuendo fruantur, oſtendit: Hanc etenim dando Deus omnes homines ſalvos fieri velle teſtatur.

Hac

Hâc induſtriâ cum cæleſtis agricola vineam electam in loco edito, & pinguiſſimo ſitam coleret, eam & ſæpe muniviſſe, & lapides male diſperſos in cumulos congeſſiſſe, & turrim, & torcular extruxiſſe dicitur, ut è labore, & ſudore ſitim intelligas, & quam vehementer cupiebat, quamque etiam cum nihil deeſſet ſpe prope certâ devorabat uvas, quas expectabat ut faceret, fecit tamen labruſcas, ac proinde gratia non erat efficax. Inefficacem tamen dando, beneficium tam amplum, tam inſigne, dediſſe gloriatur, ut nullius vel iniquiſſimi ſive ipſiuſmet Rei arbitrium ſententiamque defugiat. *Nunc ergo*, ait, *habitatores Hieruſalem, & viri Iuda judicate inter me, & vineam meam, quid eſt, quod debui facere vineæ meæ & non feci?* Mittamus argutias quibus Dialecticum contra diſputantem eludas, ſero licet, ſeriò tamen, atque ad ſobrietatem ſapere aliquando diſcamus. Eloquere clarâ voce, quod virum cordatum, ætate ſtudioque maturum loqui decet, ſic faves amicis? ſic Patrem filios amare, ſuoque conſpectu beatos optare, ſic vinitorem ſitire vindemiam autumas? Num amico quem ſanum & ſalvum magnopere cupias, telum porriges quo non ad ſe defendendum ſed jugulandum uſurum noveris, idque ubi aliud utile futurum, neque in ſe ipſo ſpectatum majoris, ſed forte minoris pretii ſuppetit? Clypeum opportunum abſcondis, enſem exitio futurum profers. Hoccine benignitatis eſt, an malignitatis indicium? Eoque magis ſi hodie cum ſcutum ſcis utile, gladium mortiferum tradas, cras enſem ſaluti futurum cum infelice ſcuto commutes. Nam gratiam eandem aliâs efficacem, aliâs inefficacem fore non dubitas. Vide ne accumulando ſcientiam, bonitatem imminuas. Dat, inquies, prout naturæ rerum, vel conditioni præſenti magis congruit. At naturam cui tam præpoſtera quadrent, cur ſciens, & prudens inſtituit? Dominus eſt, facit quod vult, nil debet, vel minimum dediſſe, beneficium eſt; ſed idem & amicus eſt, Pater eſt, Mater eſt, immo plus quam inter homines ſoleant matres eſſe, nam & filios etiam rebelles fovere paratus, veluti Gallina ſub alis congregat pullos ſuos, neque ova etiam ſubventanea, nedum fæcunda Struthionis inſtar, in publico conculcanda relinquit. Non creſcat dominium, vel ſcientia, ut benignitatem obumbret. Concilianda & conformanda ſunt invicem attributa divina, non ſingula ſeorſim plus quam reliqua patiantur augenda. Tumor eſt, non decor eum pars una præ reliquis extra modum inflatur, & cui ſcapulæ plus æquâ portione eminent, gibboſum dicimus, non formoſum, ſi fas eſſet in Deo aliud alio majus fingere, & ſuavius, & utilius nobis accideret de amore præ cæteris exaggeratè ſentire: neque de alio ullo frequentius, & cumulatius loquuntur ſacræ literæ, ut non modo citra illius injuriam, ſcientiæ, & Dominii jura figenda, ſed ad ejuſdem etiam modum temperanda quodammodo videantur; Iſaias 5.

deantur; atque ita Maximus ſcientiâ, & dominio cogitandus eſt Deus, ut bonitate, ſeu benefaciendi propenſiſſimâ voluntate Optimus cenſeatur. Quomodo vero quaſi Patrem amore Filiorum ardentem, iiſque felicitatem avide procurantem intelliges, ſi profutura qui videt renuat, obfutura concedat. Cur avarus agricola vineam & ſitu loci, & ubertate glebæ percommodam optet? cur ſepiat? cur elapidet? quorſum ad præſidium turrim ædificet, ad vinum exprimendum torcular exſtruat? quò tantus ſumptus, & ſudor? ut uvis ſcilicet acerbis fauces aſperet, & dentibus ſtuporem inferat. Quis tantam præſtaret operam, quam inanem fore prænoſceret? Quâ fronte coram æquo, atque adeo favente Judice, *Quid eſt quod debui facere* prædicaret? Inutilia omittere; quod ex uſu fore noveras, id nempè facere debuiſſes. Alioqui non tam fructus percipiendi, quam induſtriæ oſtentandæ ſtudio laboraſſe videberis. At ultra debitum ſatagit, nihil enim ex debito tenetur agere. Quid voculas aucuparis? Græcus quid faciam. Hebræus quid ultra faciendum legit. Vocem *Debui* tibi neuter captandam objicit. Amicus autem & Pater operam non Debiti ſed amoris lege metitur; Neque Vinitor non conductus, ſed Vineæ Dominus, cum mercede, ſed cupiditate laborem exæquat. Sæpè Tutor pupilli negotium tam ſegniter agit, ut ſe tantum à legibus tutum præſtare, illius emolumenta minimè curare ſcias. Conducti quoque cum è mercede, non meſſe lucrum expectent, de opera præſente ſolliciti, de futuro fructu non cogitant. Pater autem, vineæque poſſeſſor longe aliter, nam profutura ſpectant, amori, & lucro ſerviunt. Eſto tamen concedamus benevolentiam aliquam munere gratuito, quod exitio futurum ſciverat comprobari. Num amica, num paterna, num materna cenſebitur? Quid ni odio potius novercali donorum ſpecie blandiri, ſed quia in perniciem vertenda ſcit, re verâ inſidiari putetur?

§. 48. Horret animus cum Deum auxilia, quæ cladem ſempiternam illatura prævidet, mittentem cogito. Cur iſta è multis quæ in promptu ſunt, neque aliquando majora ſunt, ſecernit, & ſeligit? quid agit? quò ſpectat? quid molitur? Num ſe Patrem oblitus, ita Domini perſonam induit adverſus plurimos, ut hominum pauci ſint præcones amoris, reliqui tantummodo jus ſummum æternis ſuppliciis blaſphemiiſque teſtentur? Num gaudet æquuleis, & Reos quærit, & parat, in quos Judicis ſeveritatem exerceat? Num harmoniâ ex electorum concentu, & diſſonis Reproborum ululatibus mixtâ capitur? Non ita de incomprehenſibili Dei bonitate, benignitate, ſuavitate ſentire, ſcriptura, Eccleſia, pietas, ratio docet. Sic tamen hi ſentiant niſi ſibi diſſentiant neceſſe eſt, ſi quæ ruinam allatura proſpicit, nemine cogente, minitante, ſuadente, ſuo tantum conſilio, & arbi-

arbitratu, extraque ordinem naturæ ſtatutum immittit. Atque ut hæc ordo naturæ peteret; ſic bonitatem ipſam tantorum malorum conſciam ordinaſſe mirandum eſſet, eoque magis quod nullum naturæ ſit tantum bonum, quod graviſſimo Angelorum, & Hominum malo præponderet, Quomodo *non vult mortem peccatorum, ſed magis ut convertantur & vivant*? Quem enim ex animo vivere optamus, mori nolumus; quæ vel ex ſe, vel ex ægroti ſive inſcitia, ſive malitia nocitura conjicimus, non modo non ultro porrigimus, ſed procul ab acceſſu & conſpectu rejicimus. Talia qui viliſſimo mancipio offerret, licet jus herile & medicamenta innoxia allegando, legibus purgaret injuriam, ei tamen vitam optaſſe, & benevolum fuiſſe nunquam probaret. Et niſi crimen præcederet, nequidem quæ conſentanea ſunt æquitati facere cenſeretur. Exhorreſcunt & ipſi Scientiæ Mediæ defenſores, cum adverſarios in hunc modum differentes audiunt. Deus priuſquam rectè vel malè facta prævideat, certum numerum ad gloriam eligit; reliquos ita negligit, ut eis tantum gratiam quam ſufficientem quidem vocant, ſed talem ſtatuunt ut non tam pravitate voluntatis, quam ſua debilitate fruſtretur effectu. Hoc etenim pacto Reprobi prætermiſſi, ad ſupplicium delecti, & deſtinati videntur. Quamvis enim illorum Electio poſitiva, horum autem reprobatio negativa dicatur, verbo, non re differentia nititur. Deus enim conſilium declarat auxilio; quare, ut efficace poſitivam electionem indicat, ita Reprobationem poſitivam inefficace demonſtrat; in ſummâ non minùs mortem quam vitam animo deſignare, ideoque & optare cognoſcitur. Agedum gratias ſufficientes inter ſe conferamus, aliam ſcientiæ mediæ, aliam ſimplici quam vocant intelligentiæ ſubjectam. Jacet ægrotus gravi morbo confectus, accedunt Medici duo medicamentis inſtructi ſalutaribus, ea aliis quidem dediſſent, huic autem ægroto dare nolunt: Pharmacum præbet alter quod ſuâ naturâ, alter quod ægroti ſtultitiâ prævidetur inutile. Nihil inter hunc, & illum intereſt, quod ad voluntatem ſanandi attinet. Neuter enim illius indicium ullum oſtendit. Hoc tamen intereſt, quod Pharmacum præbens virtute bonum, eventu mortiferum, necem ægroto non aſtutiore tantum, ſed & nequiore malitia machinetur. Nam in jus vocatus culpam à ſe in ægrotum facilius derivabit, eique nec mortis periculum minùs certum, & infamiam longe certiorem creabit. Quodque hic præviderit, ſi id judici probari poſſet, eum ſceleratiorem altero judicaret, eò quod & ſe non minùs, & ægrotum magis homicidii reum faceret. Itaque Scientia Media quo magis libertati hominis patrocinatur, eo magis Bonitati Numinis adverſatur. Hujus autem non minùs quam ſcientiæ cum libertate concordiam ſtabiliendi viam quærere debuiſſent. Ad hoc nos divina toties hortantur Oracula.

Psal. 117. *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus.* Sap. 1. *Sentite de Domino in Bonitate*, vel Interprete Syro Excogitate de Domino Bonitatem. Excogitemus igitur aliquid quod libertatem humanam cum divinâ non modo scientiâ, sed Bonitate conciliet, quo constet hominum saluti tam amanter à Deo consultum esse, ut præter illum vel cum illo comparatus *nemo bonus*, benignus, benevolus, atque beneficus dici queat, ut *Dicant nunc qui timent Dominum, quoniam in sæculum Misericordia ejus*, & carmen hoc suavissimum, solatiique pleniſſimum, Mortales occultis Dei ut Domini perterrefacti judiciis, etiam nunc in hac vitâ discant ad impolitos tibiæ modos aptare, quod citharædi cælestes olim Symphoniâ concinent sempiterna.

Psal. 117.

Bonitati, & Scientiæ divinæ, Mediâ rejectâ, libertatis item indifferentiæ, & prædestinationi consulitur.

§. 49. Igitur ut quam Bonum Dominum habeamus intelligas, & intelligendo gaudeas hæc paucis accipe. In eo signo rationis quod decreta præcedit, Res omnes Deus quas facere potest, quæ, quot, qualesque sint, quæ cujusque natura, potentia, propensio cognoscit; quid vero liberæ si fierent facturæ essent, id quia sub scientiam haud cadit, scire non potest; his autem, quia inter omnes sunt præstantissimæ, æquum esse videt ut cura præcipua impendatur, eoque magis quod solæ felicitate & miseriâ participare queant, quibus cum ex bonitate felicitatem exoptet, neque ullius miseriâ delectetur, sic eorum commodis in universitate condendâ prospicere secum statuit, ut nullam infelicem velit, aut videat; usque adeo ut si quippiam in structurâ mundi cujuspiam, quem inter multos animo architectatur, occurreret, unde vel unam propensiorem tantummodo ad calamitatem cerneret capiendam, hujus unius amore, non hanc sed aliam naturæ fabricam electurus fuisset. Quod cùm ex ipsa bonitate, quæ malo non capitur, tùm ex iis quæ facta sunt colligi potest. Tantis enim Angelos naturæ & gratiæ ornamentis decoravit, & adjumentis instruxit, ut in eam cæcitatem, & pravitatem incidere potuisse, difficile intellectu sit, voluisse vero prope incredibile, & omnino stupendum sit. Primam autem generis humani stirpem tam fertili solo defixam, tanta ubertate gratiæ irrigatam, tam firmis adversus injuriam præsidiis circumseptam, quis uno maligni spiritus afflatu fulguritum iri putasset? Qui Adamum tantis animæ opibus, & corporis etiam voluptatibus circumfluentem condidit, is planè declarat, quantum ab omni mali genere excellentia quadam suavissimæ Bonitatis abhorreat. Primi vero parentes, si, quod verosimillimum erat, ipsi stetissent, ad felicitatem æquales posteros genuissent; neque proinde quenquam eorum sigillatim ante decretum potuit designare, quem à labendi periculo non procul abesse cerneret. Lapsurum tamen aliquem, cum è turba magna quilibet

labi

labi posset, probabile valde fuit; sed paucos fore, ubi cunctis tam providè cautum esset, haud minus probabile apparebat. Ecquis autem Pater, nisi nimiâ & prope cæcâ in filios indulgentiâ, nolit eos in spem magnam periculo levi pergere, & multos propè certam feliciratem unius infortunio promereri; præsertim ubi nec uni certò ruina cernitur imminere, quo viscera paterna maximè commoverentur; nedum unus inermis ac veluti ad necem destinatus exponitur, quod Patris animus ferre non posset, sed alicujus incerti, neque certo perituri clades reliquorum victoriis & triumphis extinguitur. Nihil igitur de Mundo deliberanti putandum est occurrisse, à quo huic Homini vel Angelo periculum nisi perleve futurum esse ullo unquam tempore videretur. Neque id, Natura tantum Numinis, & facta, sed & dicta demonstrant. Patrem se dicit, & matrem, & minus etiam quam aliæ filiorum oblitam. Isai. 49. v. 15. Parentes autem pietatis in prolem memores non committerent, ut ædes ulli periculosas extruerent. Decrevit igitur Deus hunc Mundum condere creaturis liberis salutarem, in eoque Angelos & Homines, & illos quidem simul, hos alios ab aliis deinceps pro ut utrorumque naturæ consentaneum erat. Angelos, & primos humani generis parentes inexpectato lapsu præcipites in perniciem datos aspicit. Horum casum miseratus est, quia licet turpissimè lapsos cerneret, aliquid tamen licet perexiguum, misericordiâ non quidem dignum, sed ab eâ non penitus alienum invênit. Illorum insolentissimum factum, & scelus intolerabile aversatus est. Descendit ad Adamum & Evam, ut culpam fassis benigniùs ignosceret. Clementissimè tractasset, nisi eos intractabiles reperisset: neque sic tamen abjecit, redemptorem promittit, in gratiam recipit, non tamen in pristinum statum restituit, quodque alterum præstiterit, ipsius ingenti misericordiæ non meritis illorum tribuendum est. A radice tam vitiata propagines enasci depravatas mirari non debes. Quo vero modo sine pacto ullo, nedum posteris vel ignoto, vel insidioso, vel injurio alibi dicetur. Innatam iis lepram gratia sanare non desinit. Neque quenquam nisi qui Patrem Pharmaca porrigentem, & suavissime ut sanari velit hortantem, ingrate, indigne, impie repulerit, mori sinit. Si quem Parentem impietas procul à remedio semovisset, nec eum quidem negligendum penitus, major & melior Pater censuit.

§. 50. Nemo tamen inter homines eâ charitate, prolem à filio refractario & rebelli, quamvis aliquatenus reconciliato, prognatam, eamque insuper deformem, & depravatam, & nequitia genitoris expositam, neque proinde recipiendis beneficiis opportunam, amplectitur, ut illius amore tanta moliatur, & mutet, quanta machinari paratus esset, si causa offensionis vel nulla vel

minor extitiſſet. Cumque natura ipſa progeniem, parentum curæ committat, ſortem illius cum eorum operâ haud mediocri nexu conjunctam, innata cunctis ratio perſuadet. Quare quod aliquibus haud tanta ſalutis adjumenta ſuppetant, id Deum paterni amoris immemorem non oſtendit, neque ita Judicis perſonam induere, ut Patris exuat, ſed utramque haud minore benignitate quam æquitate geſſiſſe, Judæi rebelles caſtigati toties, totieſque & tam facile in gratiam recepti declarant, ſed indulgentiam Patris ſeveritate Judicis potiorem fuiſſe demonſtrant. Quodque ad
6. Gen. 6. inſtitutum maximè ſpectat, quem pœnituit hominem feciſſe, quique tactus dolore cordis intrinſecus memoratur: eumne ante faciendi decretum prævidiſſe tot mala, quorum poſtea pigeret ſuſpicabimur? Quæ quidem nec ſciri potuiſſe ſuperius didiciſti, hinc autem nec debuiſſe cognoſcas. Errores igitur, inquies, ex eventu corrigit. Erras ipſe craſſiſſime, qui quid error ſit nec errando didiceris. Erratumne dixeris ubi nil contra quam ratio poſtulat factum videris? Homines quidem etiam rationem ſecutos erraſſe vulgus exiſtimat, cùm præter ſpem & meritum à rectis conſiliis calamitatem accipiunt; iis igitur expedit ut inter deliberandum eventa conjecturis omnibus inveſtigent, quæ ſi præſcire certo poſſent, à detrimento fortuito tutiores eſſent. Sed hæc nihil ad Deum. Immo ſi quid præter ipſius propenſionem ad bonum eveniat, alias haud minùs admirabiles pariter ac amabiles bonitatis exercendæ & declarandæ vias invenit. Eique magis decorum eſt ut tantum mali improviſum accidat, quam præviſum: alterum enim de bonitatis opinione plurimum derogaret, alterum autem, quod eſt neſcire non ſcibile, haud magis ſcientiam, quam non poſſe impoſſibile potentiam obſcurat. Quod nullo unquam tempore eſt, id ſub intellectum cadere, atque Ariſtotelem, D. Thomam, & veteres paſſim, qui cognoſcibilitatem ab Entitate ſtatuunt inſeparabilem, nihil ſapere probes oporteat, ſi imminutam ſcientiam probare libeat; ſed in quæſtione ſubtili & Metaphyſica argumenta popularia, ſeu magis puerilia allegare pudeat. Veluti iſtud, ergo multa quærentibus Deus nil certi poterit reſpondere. ſi bellum geſſero, num vivus, num victor evadam? num ſpoliis diteſcam? meine me prodent? ſocii ne auxilio venient? vel hoc: ergo Deus ab eventu diſcit, inde quippe novit quod ante non noverat. Tum de rebus hujuſcemodi quoque certari ſponſionibus ſolet, ſi librum à Petro commodatum petiero, commodabit; iis itaque veritatem ineſſe determinatam exiſtimant. Hæccine ſunt tanti, ut propterea Deum Optimum & benigniſſimum quæ nocitura noverit obtrudentem, inſidioſæ malitiæ accuſemus?

Vide 1 2. n. 53. & 65.

Argumenta nonnulla diluuntur.

§. 51. Recole mecum attentè per otium quæ per imprudentiam, & repentino impetu protuliſti. Num Deus ignarus, ſi ex ignari ſententia non reſpon-

reſpondet? ſi ſcire volentibus quæ ſciri non poſſunt non ſatisfacit? ſi quæras ab ipſo ecqua arte Chimæra fieri, facta capi, capta domari & doceri, & abſque pabulo nutriri queat? Reſponſi quid dabit? At exuſu eſt, inquies, exploratum habere quid alii facturi ſint. Perutile quoque foret ab impaſta Chimera aratrum trahi. Multos habet Deus non percunctatores modo, ſed deprecatores ineptos. Paucine ſunt qui per ignorantiam ab eo quod non licet, ideoque facere non poteſt, fieri petant? Quid ni ergo quod ſciri non poteſt, alii ſcire cupiant? Haud fruſtra conſultum putabis oraculum, ſi ex eo tibi plane conſtiterit, quem cladis timorem intentet, quantam victoriæ ſpem præſens hominum, & rerum ſtatus faciat. Utriuſque momenta Deus exacta trutina ſolus expendit, cui voluntatum propenſiones occultiſſimæ ſoli patent. Si dixerit, peribis. Non eventum, ſed diſcrimen certiſſimum denuntiatum ſcias: ſi forſan, addiderit, Conditionem præſentem ad ruinam non adeo præcipitem eſſe declarat. Quare ſcientia Dei omnis certiſſima eſt atque clariſſima; neque enim incerta & obſcura rerum, quæ ſub conditione tantum forent, prædicit eventa, ſed pericula ut ſunt, eique explorata ſunt, majora aut minora ſignificat. Quam reſponſorum interpretationem ſi nondum ex eo, quod quæ non ſunt, ea nec poſſint ſciri didiceris, vel indocilem certe communis loquendi uſus doceat. Eum D. Thomæ & Ariſtotelis verbis expreſſum audies. *Aliquid poteſt dici eſſe futurum non ſolum ex hoc quod ita erit, ſed quia ita eſt ordinatum in cauſis ſuis, ut ſic ſit futurum: ſic enim Medicus dicit, iſte ſanabitur, & iſte morietur, & ſi aliter contingat non falſum dixit, ſic enim tunc futurum erat ex ordine cauſarum, quod tamen poſſibile eſt impediri, & tunc quod prius futurum erat conſequenter non erit futurum, unde & Philoſophus dicit quod futurus quis incedere, non incedit, & ſecundum hoc denunciatio Prophetæ communicantis nec falſa eſt nec dubia, quamvis non eveniat quod prædixit.* Unde loca illa decantata, væ tibi Corozain, & David in Ceila adventum Saulis, & civium proditionem metuens, facillime explicantur. Nam ſi dicatur, minor eſt ô Judæi Ethnicorum hoc tempore pertinacia quam veſtra, & tantus eſt, ô David, Saulis furor, & Ceilanorum timor, ut in ſummo diſcrimine Ceilæ verſaris: Nonne ſatis & hujus incolumitati cavetur, & illorum perfidiæ exprobatur? At eventum David non modo periculum ſciri voluit. Quis tibi indicavit? Neque enim neceſſe eſt, uti modo vidiſti, ut in eam ſententiam verba trahantur, neque id res ipſa flagitabat, nam quid conſilii capiendum eſſet magnitudo periculi demonſtrabat. Non ille quod ſciri non potuit, ſciſcitari voluit, ſed tu tibi ignorantiæ ſocium & Patronum adciſcere voluiſti. Et quia cauſæ indifferentis certa cognitio, vocatur etiam notitia conjecturalis effecti, idcirco Deus ſermone ad captum noſtrum abjecto, quod de cauſa compertum habet,

q. 12. de veritate a. 10. ad 7.

Ariſtoteles 2. de Gene.

Matt. 11. 1. Reg. 23.

Ezech.2. bet, id veluti dubitabundus de effectu pronunciat. *Loqueris ad eos si forte*
Jerem.26. *vel ipsi audiant, si forte quiescant. Noli subtrahere verbum si forte audiant.*
Exod.23. *Non habitent in terra tua ne forte peccare te faciant.* At alibi, inquies, quæ ipse facturus erat, ideoque indubitata erant, dubitanter ediſſerit, ut ubi-
Jer.c.6. que non eventum ignotum, ſed libertatem illæſam intelligas. *Erudire Hieruſalem ne forte te ponam terram deſertam.* Recte tu quidem quod ad libertatis indifferentiam ſignificandam attinet, eam enim ubique vocabulum *Forte* ſignificat; ſed ubi dicit ego forte ponam, decretum poſitum de effectu ponendo dubitare non ſinit, ubi vero dicit, ſi ipſi forte audiens, nihil eſt quod audituros eſſe demonſtrat. Hoc ſciri tu verbo probas ambiguo, idem ego ſciri non poſſe argumentis evici neceſſariis. Diſcere vero non poteſt, quem nemo doceat, quique non paulatim notitias accumulat, ſed quæ Entitatem habent cognoſcibilem ſimul omnia ex omni æternitate cognovit. Nec quia de fortuito & nunquam futuro quandoque pignoribus otioſi contendunt, eo conficitur quod nunquam eſt, id poſſe cognoſci; ſed naturam voluntatis ancipitem, aliorſum ab aliis conjecturis variantibus flecti colligitur.

Tert.l.2. con.Marc. Nyſſ.or. catech.c.7 Damaſc. l.4. de fide c.22. Baſil. hom.quod Deus non auctor mal. Aug. de prædeſtin. ſanctorum c.14. Proſp.ep. ad Aug.

§. 52. Ad extremum Patres appellant, qui mirantur cur Deus quos lapſuros præviderit, creare voluerit. Igitur ante creandi decretum, quid facturi ſi fierent, intellexit. Nullos ſupereſſe putes qui mecum ſentiant? *Hæc eſt*, ait Auguſtinus, *tota cauſa cur dictum eſt, raptus eſt ne malitia mutaret intellectum ejus. Dictum eſt enim ſecundum pericula vitæ hujus, non ſecundum præſcientiam Dei, qui hoc præſcivit quod futurum erat, ne quod non futurum erat.* Proſper etiam Auguſtini fidelis interpres. *Novoque apud illos abſurditatis genere, & non agenda præſcita ſunt, & præſcita non acta ſunt.* Coarguebat autem uterque nonnullos qui operibus ſub conditione futuris meritum tribuebant. Talia opera præſciri non poſſunt: Meritis proinde aſcribi non poſſunt. Horum igitur Patrum ſententiam & res & verba declarant. Quibus eo plus deferendum eſt quo de prædeſtinatione non hoc loco tantum, ſed alibi & ſæpe & operoſe tractantes, præſcientiam altius ſcrutari debuerint. Alii tantum obiter attingunt, eamque admirabilem magis exhibent, quam probabilem. Sed paucos fuiſſe qui eandem vel leviter indicarint, locupletem habemus teſtem D. Thomam in Patrum lectione verſatiſſimum, quem ab iis, ubi multi quoquo modo conſentiant, haud facile diſcrepantem invenies. Ejus autem non verba tantum, ſed principia, & placita ſcientiæ mediæ penitus adverſantur. Namque apud eum conditionalium

1.p.q.14. a.13.ad2. veritas illatione tantummodo continetur: Atqui ſi Petrus vocetur, veniet, conſecutio eſt incerta, cognitio proinde certa non eſt. Ariſtote-

licum

licum illud *quod non est non scitur* haud semel allegat, & approbat, & quantum quidque ab Entitate deficiat, tantundem à cognoscibilitate deficere asseverat; quare quod nunquam est, sed foret si quid aliud esset, sciri non posse judicat. Tum fortuita quæ aliquando futura sunt, non ut futura sed tantum ut præsentia, & reipsa existentia, à Deo notitia certa cognosci, pluribus locis docet apertissime. Quamvis autem illum à coexistentia, quam Thomistæ recentiores excogitant, liberare fortasse liceat; aliquando tamen esse quæ ex æternitate noscantur, ac proinde ut illa Deo non semper adsint, at ab iisdem ipsum nunquam abesse, quam nos viam ut planiorem inivimus, hoc saltem ab eo concedi qui neget, is haud minus candoris vacuus, quam stuporis plenus evincitur. Atque ad horum quæ toties & tam mediate disseruit normam exigi oportebit, si quid uspiam strictim attigerit, quod certæ conditionalium scientiæ favere quodammodo videatur. Quam quoque Jansenius Gandensis etiam locum illum explanans, *si in Tyro* repudiat; Catharinus item, aliique Thomistæ non pauci, prorsus inanem, neque à decretis etiam conditionalibus petendam existimant. Nam undecunque proveniat, longe plus incommodi, quam utilitatis apportat.

l. 1. periher. lect. 15. & 1. p

1. p. q. 14. a. 13. & 2. 2. q. 17. a. 6. ad. 2. & l. 1. congent. c. 67. & in. 1. dist. 38. q. 1. ad. 5. & q. 2. de ver. a. 12.

Matth. 11.

§. 53. Dixerit forte quispiam interesse permagni, ut benevolentia Dei major erga Sanctos quam reprobos ostendatur: Postquam igitur ei largiri quicquam deliberatum esset, ab inutilibus, utilia dona distinxit; idque vel è scientia media, vel è consecutione inevitabili cum libertatis interitu nasci debuit. Sed ad benevolentiæ discrimen quid attinet discretio munerum, nisi quia utiliora viderit, idcirco tribuerit? Nihil itaque argumentum hoc illos adjuvat, qui electionem ad gloriam prævisione meriti posteriorem collocant, quique Lucifero, & Judæ gratiam uberiorem quam Sanctorum plurimis datam sentiunt. Sed cum hanc illis non aliis voluntate præbuerit consequente, utraque tum gloriæ dona tradendo, plus electis præstitisse quam reprobis, & quia volendo præstat, voluisse censetur. Hoc autem modo qui melius fecisse, aut voluisse noscatur, beneficiumne majus contulisse dicatur, id illi disputent, qui doctrinæ famam vocalarum aucupio misere sustentant. Cæterum modone quodam sublimiore in electos benevolentiam extollat singularem, ut eos omnes, aut aliquos antequam recte facta pronoscat certa scientia, statuat salvos facere, non de verbo, sed de re, eaque gravissima quæstio est. Et à me quidem requiretur inprimis ut potuisse doceam, qui per decretum, non prius, eventa causæ liberæ cerni docuerim. Verum si Deo videbitur, quem velit absque meritis per opera necessaria, non libera, immo divina tantum, patientem & nihil agentem

De electione ante, vel post prævisa merita.

tem felicitate donabit: aut iis gratiæ præſidiis ſtipabit electum, quibus vel in omni vita, vel ſub exitum vitæ ſaltem, nullius mali gravioris, ſed inter bona tantummodo, aut mala leviora optio detur, & quidem antea graviter lapſo, inter ea ſolum bona quibus inſtaurari ruina valeat: aut ſi libertatem hoc loco tueri libet, prout alibi circa peccata venialia fieri ſolet, quæ vitari ſingula poſſint, cuncta non poſſint; cumulum gratiarum excogitare licet, quarum ſingulæ non omnes peccare ſinant, ut effectum aliqua certiſſime ſciendum & conſilium Dei neutiquam fruſtandum, oſtendat. Ergo potuiſſe patet, voluiſſe non item. Et de prima via conſtat, neque nihil, neque neceſſario agentes ad gloriam ducere, quippe quæ ut merces & ſtipendium meritis perſolvatur. Merita vero neceſſitatem excludere, id ab aliis abunde declaratum eſt, neque mihi actum agere conſilium eſt. Ideoque nec de decreto penitus efficace, vel de prædeterminatione phyſica diſputare: de hac tamen ſolummodo obſervandum adjungo, quod non modo libertatem interimat, prout à multis jam diu argumentis evictum eſt neceſſariis; verum etiam, cum in qualitate ſit poſita, quæ nec animam cognoſcentem conſtituat, nec volentem, explicari nequeat quo pacto vires ullas ad eam permovendam obtineat; neque enim velut impulſione truditur, ſed ſuaſione, aut ſuavitate voluntas humana ducitur, trahiturve. Neque etiam ſi cognitionum aliarum ab aliis aptarum ſeriem illius vice ſubſtituas, libertatem indifferentia ſublata tueberis; fato enim evenit, quicquid rerum inter ſe indiſſolubili nexu contingit, ſed de his inquam alii copioſe, & nervoſe, & erudite differunt. Num quoſdam ſecunda via Deus in cœlum duxerit, ſcelerumque divortia clauſerit; id quia ad Hiſtoriam potius attinet, quam Theoricam, ab hujus operis inſtituto alienum eſt; omnium qui ſalvi ſunt, ſaluti tam provide cautum fuiſſe nemo ſomniat. Tertia via ut ſupplantari voluntatis arbitrium inficiari queas, à nulla tamen poteris extorquere, ut in ſingulos tantam gratiarum à Deo congeriem, aut ſeriem cumulari, tam obfirmato ut ita dicam & pertinace ſervandi ſtudio, fateatur.

§. 54. Reliquum igitur eſt ut neque omnium, neque etiam multorum ſalutem ante prævisa merita certo conſilio ſanxerit. Optaſſe tamen plurimum, ut nemo periret, reſque ita ordinaſſe ut omnes à diſcrimine procul abeſſent, ſatis ample ſuperius expoſitum eſt. Tamque inſuper liberali, vel minimo cuique gratificandi, priuſquam malefacta pronoſceret, voluntate fuiſſe, ut ea vel maximus non modo contentus, ſed lætus eſſe debuerit, nisi audire maluerit: *An Oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum?* Hæc porro ſententia divinis oraculis, Patrumque teſtimoniis quam probe conſen-

Matth. 20.

ſentiat, apud alios paſſim probatum invenias. Qua vero ratione inutilia & noxia, quæ per ſcientiam mediam fore noſcuntur, ea in tam prompta plenaque utilium copia elargiri, cum perſpecta Dei & teſtata, & benefaciendi cupidiſſima largitate non pugnet, id nullo unquam tempore explanabunt. Quibus autem viſum eſt, beatos ante merita prævisa omnes ad gloriam electos, ii reliquis auxilia quæ profutura ſcirentur, in utilium delectu meditato, & conſulto non eſſe negata, nullis unquam argutiis perſuadebunt. Id etenim ni factum eſſet, neglectorum nemini in turba tanta, tamque in partem utramvis voluntatis indifferentis nutu flexili, rectè & feliciter evenire, cunctis quidem incredibile, multis etiam impoſſibile planè videbitur. Num gloria quæ deſtinatione donum eſt omnino gratuitum, executione poſt, uti præmium & *merces*, & *corona juſtitiæ* reddi queat, non laboro. Illud enim unum, quod ſoli lapides etiam tunc, cum non eſſent aliis aptiores, electi ædificio cæleſti, eique deſignatæ prius formæ, & magnitudinis inſerantur, & reliqui proinde non modo neglecti, ſed rejecti penitus cenſeantur, ſententiam hanc horrificam, & curæ ſalutis infeſtam funditus evertit. Ecquis in lapide tundendo, & poliendo ſudabit, cui ſedem ante ſudorem cognitum vel certam, vel nullam deſtinatam ſciat? Locus, inquies, ante laborem cognitum deſtinatus, ſed lapidi tantum dabitur elaborato. Dabitur tamen locus, ideoque & laborandi voluntas. Non placet nunc, alias cum libuerit faciam. Quorſum inutilibus curis angar? ſi ad metam diſtinatus ſum, via pandetur, & voluntas quærendi, & reperiendi felicitas tandem eveniet; ſin, deſtinatione præteritus, itineris laborem perferam, fructu carebo. Culpa tua carere exprobrant, niſi nolles, poſſes habere. Malim non poſſe, ſatius erat in perniciem neceſſitate protrudi, quam voluntate, quam perverſam noverat, ſponte ſeduci. Culpa quippe levior, vel potius nulla, pœnam quoque faceret leviorem, aut nullam. Sic me de Deo ſentire jubes? ſiccine Pater filios ſalvos cupit? Cur prius quam male meritos ſciret, ædes ejuſmodi deſignavit, in quibus angulus nullus pleriſque illorum idoneus relinqueretur? Quid ſublatis in cælum manibus O *Altitudo! quam incomprehenſibilia judicia, quam inveſtigabiles viæ* clamitas, & alta ſcrutari prohibes? Nolo alta ſcutari, ſed nec avia & abrupta & à Deo aliena ſectari volo. Præjudicia ſunt iſta, non judicia. Nec dum reum videt, & damnationis certum prævidet, & negligit, & reum factura porrigit. Non ſemitas haud veſtigandas abſcondis, ſed ſalebras haud evitandas oſtendis, & Patrem filios in præcipitia mittentem, ſpectaculum horrendum objicis. Nam niſi alios ſuper alios præcipite caſu labentes ſpectare gaudeat, aliquid ſaltem moniti vel ſubſidii quo eripiendum unum certè vel alterum ab interitu videat, non recuſet. Rom. 12.

§. 55. Si hæc punctim concluderem, puncta quæque distinctiunculis eluderes usitatis; sed non id ago ut litigandi cupidum cavillis instruam, sed ut veri amantibus veritatem aperiam, Deumque timentibus solatium haud vanum afferam. Quale nec illi quidem qui Deum post merita non modo remunerantem, sed eligentem statuunt, sed gratias tamen, quas damno futuras noverat, distribuentem, affere poterunt, id quod è supradictis facile intelligitur. At enim dum lenimenta timoris apparo, gratiæ efficacis naturam destruo. Nempe qua ex Augustini sententia *certissimè liberantur quicunque liberantur*. Prænovit igitur certissimè Deus eventum. Distinguo. Ex omni æternitate & ante tempus quo evenit: Concedo. In eo signo rationis quod decretum gratiæ conferendæ præcedit: Nego. *Cujus miseretur*, ait idem, *sic eum vocat, quomodo scit ei congruere ut vocantem non respuat*, Sed quonam rationis puncto sciverit non declarat. Decursu temporis novam affluere Deo scientiam negat Augustinus, negant reliqui, eam æternam, incommutabilem, ævo omni priorem asserunt: hoc fide didicerant, fideles docuerant, hoc tantum haud amplius scripturæ, & Patrum verba sonant; si quid ulrra deposcas, è rebus ipsis, non verbis petendum est. Res autem ipsæ alia omnia sentire jubent, nam quia gratia danda voluntatis arbitrium, ideoque & indifferentiam non aufert, eventum certissimê præsciendum afferre non potest, scientia vero conditionali sciri non potest, tum quia nec ipsa ut videmus esse potest, tum quia cur possibilem velis, nihil in eâ quod Deum gubernantem deceat inspiciendo comperies; Libera quippe suavius, & iis quæ scimus, & credimus congruentius administrantur, si Deus in eo signo rationis qua de adjumentis deliberat suggerendis, eventa nesciat, ne parum benignè, seu potius malignè distribuisse quam plurimis videatur. De horum eventis sollicitus esse non debet, cum ea sapientia, & benevolentia cuncta dispenset, ut sibi summe placere debeat; aliisque quibus est judicandi facultas, & æquitas, displicere non possit. Si quid autem in rebus hominum aut Angelorum nequitia turbatum fuerit, non tamen illius idcirco consilia rata turbantur; nihil enim erat quare certum præcisè ordinem obfirmata sententia stabiliret; sed cum in rerum natura, cum liberis miscere statueret necessaria, atque hæc illorum causa maxime concedere vellet, jus quoddam liberis in necessaria concesit; sui vero potestatem plenam reliquit, atque ad majora etiam quam natura eorum peteret, pro eximia bonitate speranda plenius ornavit.

de bono Persev. c. 14.

Ad Simplic. quæst. 2.

§. 56. Quæ quidem ornamenta & adjumenta planè gratuita, & singulari modo gratias appellare, eique non sibi referre cogitur, qui & ipsi ingratus,

ingratus, & sui ignarus haberi nolit. Tametsi qui ab alio est, eoque ita volente ut nolle posset, neque lucrandi sed benefaciendi studio volente, & ipsum Esse quod habet, veluti gratiam datam, non autem ut debitum solutum teneatur agnoscere; nihilominus auxilium quod prærogativa speciali ultra jura naturæ, ad altiora evehendi, ideoque singulari gratificandi voluntate tribuitur, singulariter Gratia dicendum est. Cæterum id subsidii offerri non debuit, quin oblatum accipi, vel rejici posset, ut conditione sublimiore tum gratia tum meritis potiremur. Ubi benevolentiam cernimus cum sapientia mirifice conspirantem, dum liberis, ut par est, boni, vel mali optio relicta; atque ad rectè eligendum voluntas & instructa, & incitata cognoscitur; quodque libertati naturali sapiente consilio conditæ, è voluntate benevola supernaturalis accederet adjumenti, id agendo ita facultatis liberæ actionibus attemperatum esset, ut eam non torquendo, nec flectendo, sed emolliendo, atque ut semet ad bonum potiùs, quàm malum inflecteret inclinando juvaret. Cæterum neque necesse est, neque expedit, ut omnis gratiæ efficacis eventum, ante conferendi decretum videat; quia si secus accideret, ipse tum vitio tum damno vacaret, & novam insuper clementiæ, & sapientiæ exercendæ ansam arriperet; tum si nullius non efficacis felicem exitum prævideret, etiam inefficaces & infelices cognitas seligendo, easdem magis prodige dissiparet, quam provide dispertiret, aut certè non tam benigno quam præ se fert animo largiretur. Illud autem quod scriptura monet, etiam ratio docet. *Sicut diversiones aquarum ita cor regis in manu Domini, quocunque voluerit, inclinabit illud.* Poterit enim quemlibet vel actione necessariâ, vel passione solâ, vel auxilio quod boni tantummodo eligendi det copiam; vel si hoc tibi placet alia aliis aggerendo rebellem domare, aut summè dilectum ad bonum ducere, vel trahere, & in eo firmare si voluerit; noluisse tamen gratias efficaces nisi tam certo proposito salutaris exitus distribuere, id sane neque è divinis oraculis, neque ex Ecclesiæ decretis, neque è consentientibus inter se Patrum dictis efficies. Talium enim gratiarum aquæ non per alveum ordinarium, sed per divortia singulari industria excisa decurrunt, effecta vero earum quæ passim impertit ante signum rationis quo dare statuit, non cognovit, licet ex æternitate, ideoque multò ante punctum temporis quo dandæ sint congruas esse noverit, quo Patribus satis factum iri non dubites. Prov. 21. 1

§. 57. Quocirca nova, quam Mediam vocant, rejecta scientia, & antiquissima retenta indifferentia; in iis quæ ad Deum prædestinantem, & omnes salvos facere cupientem, & voluntatis arbitrium sartum tectumque servantem attinent, manifestam habes fidei cum ratione concordiam. Quanquam autem instituti mei non sit, Veterum dicta passim reperienda colli-

colligere, his tamen premendis hoc loco tantopere quidam insudant, ut Andidotum è paucis compositum lectori præscribere visum sit, ut clara quædam in promptu sint, quibus & exponat obscura, & claris, si quæ talia contra objici videantur, opponat. Monendus etiam ut quod in judiciis fieri solet, cum testimonia variant, secundum argumenta quæ satis ampla è ratione protulimus sententiam ferat. Et primò quidem prædestinationi saltem communi, non ante meritum prævisum, hi favent manifestò, vel certe contrariæ manifestò non favent. Ambrosius. *Quos præscivit, & prædestinavit: non enim ante prædestinavit, quam præsciret, sed quorum merita præscivit, eorum præmia prædestinavit*: Hieronymus *ut in utramque partem non ex præjudicio, sed ex meritis singulorum, vel pœna, vel præmium est.* Chrysostomus in illud, Venite Benedicti. *Nam antequam nati essetis, quia sciebam vos hujusmodo futuros, hæc vobis à me præparata fuere.* Augustinus. *Non tamen electio præcedit justificationem, sed electionem justificatio, nemo enim eligitur, nisi jam distans ab eo qui rejicitur.* alibi vero. *Inter gratiam & prædestinationem hoc tantum interest, quod prædestinatio est gratiæ præparatio, gratia vero ipsa donatio.* prioris itaque intentionis saltem hic locus ordinem excludit. Quare ficubi prædestinationem aut electionem ex meritis negare videtur, intelligendus est loqui de meritis arbitrii sine gratiâ, quibus Semipelagiani prædestinationem ad justitiam, Pelagiani ad gloriam tribuebant. Hos impugnabat. de electione ad gloriam ex meritis gratiæ necdum in Ecclesiâ disputatum fuerat. De indifferentiâ vero idem in hunc modum loquitur. *Hoc quisque in potestate habere dicitur, quod si vult facit, si non vult non facit.* rursus, *qui legem servare non vult, in potestate ejus est servare si velit.* alicubi brevitatis causâ dicit *quia fit cum volumus*, quilibet enim novit addere, & non fit cum nolumus. Patres Græci idem unico verbo significant, dum αὐτοκίνητον, αὐθαίρετον, ἀδέσποτον, αὐθεκάστον, τὸ ἐφ' ἡμῖν & similia afferunt. Neque Augustinus à Pelagianis, qui indifferentiam arbitrio tribuebant, definitionis antiquissimæ & notissimæ errorem objicit, sed cum dicerent, liberum sic esse confitemur arbitrium, ut dicamus nos semper Dei indigere auxilio, vel gratiâ. quærit tantum quo auxilio, qua gratiâ, ut aliquid præter legem & doctrinam extorqueat. S. Thomas locum illum Aristotelis probat: *Quibus in rebus nostrà in potestate situm est agere, in iis & non agere, & in quibus & non agere, in iis est & agere.* Damascenus quoque & Nemesius, & Clemens Alexandrinus, *facere aut non facere, credere aut non credere, moveri aut non moveri posse* requirunt, idque omnes communiter cum de ea libertate differunt quæ ad meritum spectat aut demeritum, & Augustinus sæpissime atque clarissime, quem mirum est aliter à quibusdam exponi; magisque mirum ei soli & clara Philosophiæ, & certa Eccle-

1. 5. de fide. c. 3.
in cap. in Isa.
Hom. 18. in Matth.
ad Simplic. quæst. 2.
de prædest. Sanct. c. 1.
1. de spir. & lit. c. 3.
l. 3. contr. felicem. c. 1.
de gratiâ Christi c. 31. 33.
l. 3. de Eth. c. 5.
S. T. lect. 11. in c. 5. l. 3. Eth.
Dam. l. 2. de fide c. 26.
Nem. de nat. hom. c. 40.
Clem. strom. l. 4. prope fin.

Ecclesiæ decreta postponi, quem Angelis corpora affigentem, necem invasoris injusti licitam esse negantem, Eucharistiam parvulis necessariam esse dicentem, Antipodasque tollentem nunc omnes deserunt. Multi vero cum peccatum originale vel igne plectendum, vel circumcisione detersum docet, *de quo constat*, ait Tostatus, *quod potuit errare, & in multis erravit, quorum quædam ipse retractavit, alia non potuit.* Quique Pelagianos arbitrio plus æquo tribuentes ardore summo, & impetu insecutus in partem adversam subinde nimis abripi à Cajetano, & aliis observatur. Neque si Pontificum quispiam Augustini de gratiâ, aut Aquinatis vel alterius universè doctrinam laudet, illorum omnes sententias tanquam fidei regulas populo Christiano proponit, sed ea tantum quæ definitionibus intexta leguntur. Neque etiam Augustini sententia è verbis ambiguis & diversa, atque adeo adversa sonantibus, sed è sermone perspicuo & constante colligitur. Neque demum Augustini licet doctori primario privato sed Christi vicario dictum est *Pasce oves meas*, ne quis unde sit doctrinæ certæ pabulum accipiendum ignoret.

Defens. p. 2. c. 85

1. p. q. 70. a. 3.

LIBER QUARTUS, DE CHRISTO.

§. 1.

QUemadmodum intus æstuet, & foras effluat divina fœcunditas, quâ scientiâ, & bonitate quæ extra produxerit, regat, & temperet, atque ad fontem unde fluxerant viis à mortalium investigatione reconditis, velut occultis aquarum ductibus revocare non desinat, explanavimus: sequitur, ut Deum rebus ipsis infusum quas è semet effuderat intueamur. Nam qui hominem fecerat, eundem & Hominem factum credimus, adeo ut quæ infirmitatis humanæ sunt ipse susceperit, quæque Divinitati conveniant, Homini impertiverit. Eo nempe modo se naturæ infudit humanæ, Homo quidem Creator, immensus, omnipotens, Deus autem natus, lachrymatus, mortuus dicatur, id est ut humana Deo, Divina Homini tribuantur. Porro Deum factum Hominem Christum vocamus; quoniam vero unus, & idem est Deus & homo, Divinitatem inter & Humanitatem unionem, quâ unitas innitatur ponere necesse est; quæ si naturas conjungendo confunderet, ut divina in humanam, vel hæc in illam, vel utraque in aliam ab utraque diversam, & ex utriusque refractæ atque à priore conditione deflexæ, ut in iis quæ ex elementis fiunt accidit, permixtione concretam versa putetur; neque ipsa Divinitas, nedum Humanitas illibata, integra, & inconcussa persisteret; neque ipse Christus, verè, & propriè, vel Homo, vel Deus dici posset, quippe cui neutrius vera & integra natura suppeteret. Ut Eutychetis errorem, & Dioscori non minus à ratione quam fide abhorrere cognoscas. Monothelitarum quoque pariter, seu volitionem in Christo unam, seu voluntatem ponentium, neque enim una volitio cum voluntate duplice, nec voluntas una cum duplice naturâ volendi compote ullo modo cohæret. Cæterum naturæ cum distinctæ, inconfusæ, ac proinde binæ permaneant, eccui tandem unitatem impertit unio? Personæ. Duas itaque naturas in personam unam compingit unio Prorsus. Unde sic loqui didicimus, & quidnam hac locutione iutelligendum proponimus? Loqui sic docuit scriptura dum non alium hominem, alium Deum, sed eundum & Filium hominis, & Filium Dei com-

Clarè explicatur quid sit duas naturas in unâ personâ subsistere, & in personalitate divinâ.

compellat. *Deus erat verbum, & verbum caro factum est*, id est, unus idemque Deus & Homo est. Tu qui nobiscum voce humana loqueris, hominum more versaris, *Tu* scilicet *es Christus filius Dei vivi*. Ego, qui ut homo nondum quinquaginta annos habeo, ut Deus tamen *antequam Abraham foret Ego sum*. Paria dicunt Patres, pro multis Nazianzenum unum accipe. *Aliud & aliud sunt ea ex quibus Salvator est, non autem alius & alius, contra quàm in Trinitate, ibi enim alius & alius dicimus.* Quare cum audias unus, & idem est Deus, & homo, Tu es filius hominis, & Filius Dei, ego sum Deus, & homo, Non alius, sed aliud in Salvatore est Deus ab homine, personam unam significatam vel ex usu Grammatico discas. Deum autem & hominem Esse quid unum, vel Divinitatem ab humana natura non distingui nusquam legitur, neque ratione ulla intelligitur. Unam autem esse utriusque Personam non modo legendo comperias, sed intelligendo cognoscas. Propone tibi Christum eo modo agentem, quicquid agat humanitas, id simul agat opera conjuncta divinitas, ut ab utraque proximè & simul actio procedat. Hæc autem cogitantem si quispiam interpellet, & roget, Quis agit? Respondebis utique, Deus agit, Homo agit, sed ita ut uterque sit unum agendi principium, sed enim agendi principio actio tribuitur, cui vero actio tribuitur, id Suppositum, vel Hypostasis nominatur: unum igitur agendi principium, suppositum unum, ideoque hoc loco personam unam denotat, namque à persona suppositum in natura rationali non differt. Quod si utraque natura constanter operam hoc pacto conferat, unum ex utraque operandi principium, sive una persona constabit. Tum actio quælibet erit illustris, eximia, admirabilis, in summa talis erit quale m à Deo præstari deceat, qualemque sibi non pudeat assignari, atque illius insuper dignitatis & pretij æstimabitur, qua æstimatione censeri divinæ debeant actiones. Erit etiam Theandrica seu Deivirilis actio quam Patres ubique postulant, eamque licet Humanitas simul cum Divinitate depromat, si tamen efficientiam humanam cum divina conferas, cum Oceano guttã aquæ componis, Hypostasis autem ad efficiendi principium refertur. Itaque cum efficientia humana Divinæ composita velut absorpta & obruta videatur, haud obscura est ratio quæ Patribus persuasit, ut divinam tantum Hypostasim Christo tribuerent, & naturã humanam personalitate propria spoliatam dicerent. Illi quippe principio tanquam Hypostasi actio ex usu sermonis communis ascribitur, in quo & dignitatis & efficacitatis amplius cernitur. Unde subsistentiam illam, quam vocant Positivam antiquis & Patribus & Philosophis ignotam, fideique probrosam abjicias.

Ioan. 1.

Matth. 16.

Epist. 1. ad Chelid.

Rejicitur subsistentia vulgaris positiva.

§. 2. Lege Cyrillum Nestorij errorem debellantem, lege Rusticum Diaconum accuratè sanè & subtiliter de Christi persona disputantem, nihil occurret quod de invento novitio suspicionem afferat; à Damasceno vero & Leone-

Serm. 8. de nat. l. 3. de Fide c. 6.

Leone palam exploditur. Hic unionem fuiſſe teſtatur ſervatis omnibus proprietatibus, ille aſſumptam rem omnem quam in natura humana plantaverat. Tu tamen ſubſiſtentiam naturæ proprietatem quandam præcipuam, eique altè inſitam profiteris, tametſi quibus diſtineri muneribus intruſam congruat, incredibili non opiniationum, ſed divinationum varietate certetur. Namque ubi eam temerè aſcitam attentiùs explorant, tam abnormem, & ineptam inveniunt, ut rei nulli uſpiam apta quadret, fideique demum inane figmentum imputant. Nempe, ſi ſuperis placet, abſque eo naturam aſſumptam fuiſſe, non perſonam, explicari non poteſt. Quaſi vero Cyrillo & Patribus Epheſinis hoc telum abſcondere viſum fuiſſet, ſi eo Neſtorium jugulaſſent. Aut tam craſſo cælo vixerint Græci Patres, ut illius ſi opus eſſet fabricandi ſollertia & ſubtilitate carerent. Hoc qui ſubtile dixerit, ei Piſtillum obtuſum negare licuerit. Quiſquamne è Dialecticorum plebe infima Proletarius, qui vel literas exarare, & Plagiarium agere aliena tranſcribendo didicerit non paratus accedit, ut entitate conficta quamlibet lacunam impleat? Nemo eorum tam tardus eſt quin huc ſaltem ſuo Marte perrexerit, Natura eſt aſſumpta, perſona non item: Ergo Perſonalitas eſt Entitas à natura diſtincta: Tum ad obvium *Non implicat* probando pervenerit, & de Entitatis hujus indole rogatus, eam ad naturæ vel ornamentum, vel adiumentum, vel ſtabilimentum, aut terminum revocàrit, atque horum quodcunque caſu, vel conſilio certo, nempe ut à Præceptore, aut Anteceſſore diſſentiat, tuendum ſuſceperit; tum aliena carpendo, cum à ratione ſint omnia alieniſſima; tum ſua conjecturis Topicis, quæ quæſtioni cuilibet argumenta ſuppeditant, confirmando, facile obtinebit, ut fronte perfricta, & voce contenta contradiſputantis impetus, clamoreſque coerceat. Cæterum niſi Entitatem hanc facile excogitatam, etiam liquido explanatam dederit, neque ſibi, quam quærit, acuminis laudem acquiret, neque parum de Philoſophiæ & fidei exiſtimatione detrahet. Hæc eo dicta ſunt, ne commentum hoc, quod nonnulli faciunt, veluti ſapientiæ longo ævo adultæ, & ſtudio multo politæ documentum venditent. Nihil enim non è Trivo deſumptum habet. Et naturam aſſumptam non perſonam citra figmenta tueri licet. Ecquis actiones quas diximus opera communi præſtitas, non Agenti tribuat potiori? Ecquis eum, quem Rex ſumme amet, & in ſummis occupet, omnia Regis imperio & conſilio adminiſtrantem, illius, non ſuam, Perſonam ſuſtinere negaverit?

§. 3. Verum hæc Perſona tantum Moralis dicitur, atque hujuſmodi Neſtorius Chriſto conceſſit. Scio, atque inde ſic infero. Si cooperatio Moralis tribuit Perſonam Moralem, etiam cooperatio Phyſica tribuet Perſonam Phyſicam. Operatio porro verbi Phyſica & principalis eſt, Chriſtus igitur

igitur Physice ideoque propriissime non hominis sed verbi personam sustinet. Quare verbum Personalitatem Hominis non assumpsit, cui ut dignitate inferiori, & efficacitate informiori actiones ut Hypostasi ascribi non possunt. Naturam autem assumpsit, quia illi se Physica unione conjunxit, Nihil enim præter ἕνωσιν φυσικὴν à Nestorio Cyrillus extorquere nititur. Hanc si dederit, Ecclesiæ pacem daturum asserit. Talem autem postulat Athanasius, qualem in homine reperimus *sicut anima rationalis & caro unus est Homo, ita Deus & verbum unus est Christus.* Animam porro carni physicè unitam ostendimus, quia operatione continua præsentiam intimam atque constantem, tum partium inter se responsum, & aptitudinem, functionemque communem demonstravimus. Deus autem Christo inest non modo conservatione, ut omnibus, sed cooperatione perpetua ad actiones eximias atque præstabiles; hæque cum sint Theandricæ functionem constituunt, Divinitati pariter, & Humanitati communem; illa vero cooperandi decreto, hæc autem ornamentis, & adjumentis maximis, qualia nempe cum Deo simul, & Deo digna agenti conveniant, instructa, non modo proportionem, sed & similitudinem inter se habent singularem. Nam si Beati Deum clarè videndo ei similes esse dicuntur, quanto magis anima Christi quæ donis longe divinioribus divinæ particeps est facta naturæ. Atque in hunc modum aptatur Humanitas ut instrumentum fiat Divinitati summè conjunctum, id quod à Patribus sæpe requiritur. Instrumentum est enim quia & agit, & minus principaliter agit, neque ei ut Hypostasi actio tribuitur. Estque insuper potiorejure Divinitatis, quam Corpus animæ instrumentum, Humanitas enim Divinitati nunquam obstat acturæ, sed ad opera tum plura, tum majora, tum magis, tum denique semper obtemperat. Conjunctio vero major instrumenti, applicatione majore & aptitudine continetur. Quod autem operandum est aptius, id ei quod operatione præsens est, dum per illud operatur, magis applicatum, adjunctum, affixum est, quam quod operanti minus conducit, Est itaque natura humana divinæ, quam Corpus animæ instrumentum multò conjunctius. Quod autem conjunctionem hanc longe superat, id summè conjunctum Patres asserunt.

Humanitas verbo unitur.

Estque instrumentum illius conjunctissimum.

§. 4. Sed ne ad hæc animum, aut aures attendas vetat hodiernę scholę strepitus: Qui Deum in omnes omnium actiones influere neget, is imperitus, temerarius, malę fidei suspectus ubique clamatur. Tamersi cooperationem hanc, quam simultaneam, & immediatam nuncupant, neque ullo Dei testimonio, quod non sit ambiguum, seu scripto, seu tradito, neque vel unius è Patribus antiquis sensu perspicuo, nedum multorum, aut omnium conspirante consensu; neque demum Conciliorum, aut summorum

Obstat opinio vulgò recepta.

rum Pontificum decreto ſtabiliant. Quænam, obſecro, fabrica extemporalia fulmina tam promptè Cenſoribus iſtis expedit? Quid ſi alios alia ætate Scholaſticos aliter ſenſiſſe doceam? Quid ſi opinationem illam à Dei natura abhorrere neque cum ejuſdem verbis cohærere demonſtrem? Quid ſi Patres quæſtionem hanc nullibi excutiendam ſuſceperint, quæque alia agendo ſparſerint, adverſæ ſententiæ faveant manifeſtò, eaque non ab authoritate tantum firmior, ſed à ratione quoque evidentior comprobetur? Horum igitur expectatione trantiſper ſuſpende ſententiam, dum inſtituta perfecero. Atque illud animo anticipatum, atque altè infixum tene, Nullum fidei à Philoſophia conflari peticulum, dum Philoſophus attentus, & veri cupidus, atque à partium, & litium ſtudio remotus, à principiis vel ſcientia claris, vel fide certis exorſus, notiones è rebus ipſis, non verbis extractas ſerie continuata colligit, atque contexit; ſed quæ crediderat, incremento ſcientiæ plus, pluſque indies credibilia ſibi facta gaudebit. Neque hæreſim ullam inveniet, in qua eſſet aliquod acumen ingenii, cui refellendæ Philoſophia non afferat inſigne ſubſidium; quamque admirabili modo cum certis clara conſentiant, experientia doctus intelliget: Neque aliud tot incommodis, quæ apud Hæreticos errandi, apud Scholaſticos opinandi varietas parit, magis ſalutare remedium eſſe cenſeret, quam ſi Philoſophiæ procul à rixis, & ſectis, & tricis, verborumque tendiculis, ſedata, ſincera, atque ſerena rerum utilium, pariterque ſubtilium contemplatione frui liceret. Namque ubi ſublata eſſet factioſa quædam, & cæca, tranquillitatiſque ac verietatis inimica perverſitas, qua familiæ diverſæ ſententias aliæ alias velut hæreditarias haud pari candore, atque ardore defendunt: illique præ cunctis ingenii, & ſapientiæ laudem, & præmium pro meritis ferrent, qui rebus obſcuriſſimis, ſcituque digniſſimis lucem afferrent; opiniones autem verbis ambiguis, aut levibus conjecturis innixas, neque probabiles, neque tolerabiles Opinatorum turba redderent; neque eas cuiquam, niſi firmamentum aliquod ſolidum poſſet aſtruere, tractare liceret; neque etiam attingere, vel nominare fas eſſet, ſi ad officiorum præcepta, ſive recti pravique quæſtiones quoquo modo ſpectarent; atque inter diſputandum denique argumentis argutiæ, ſuaſioni clamores cedere cogerentur; hæc utique ſi fierent, quod optandum magis quam ſperandum eſt, paulatim animi pacati, ſibique redditi, atque ab inutilium cura liberi, & in veritatem magis, quam victoriam intenti, ad conſenſionem in pleriſque quæ ſcire liceret, atque expediret inquirere, flecterentur; eaque Scholaſticorum etiam in iis quæ ad fidei ſummam haud artinent, cura & conſpiratio, tum Hereticorum

Digreſſio de utilitate, & emendatione Philoſophiæ.

corum in maximis socordiam, dissensionemque turpissimam redargueret; tum illos forte, aut certe alios ad scientiæ nec infructuosæ, nec injucandæ studium quod jamdiu friget accenderet; tum Academia demum non esset inutilium officina tricarum, atque exitialis discordiæ seminarium, sed veritatis Gymnasium, & præclarum Ecclesiæ propugnaculum. Sed spem magis quam vota sectari convenit, atque opiniones potius falsas, quod minus desperandum est, quam consuetudines pravas evellere. Nam quod in errore positum est sapientes corrigunt, quod in more positum Potentes emendant: qui instituta Majorum colere didicerunt, Posterorum argumenta, inventa, & experimenta doceri nolunt. Cæterum Architecti ipsi si reviviscerent, è ruinis quas nunc cernerent, ante vix metuerant, Architecturæ forte regulas novas extruerent, sed his omissis pertexamus exorsa.

Unio vulgaris Hypostatica rejicitur.

§. 5. Ex iis quæ dicta sunt satis apparet subsistentiam illam vulgo receptam non minus esse inutilem, quam ineptam; Unionem quoque quam ad glutinis cujusdam subtilis, & supernaturalis imaginem repræsentant. Esto supernaturale, esto cæleste, atque ab altiore, quam Manna, cœlo delapsum; quamdiu tamen ab omni cognitionis, & volitionis genere alienum statuitur, tamdiu à proprietatibus incorporeis excluditur. Neque quicquam hoc loco addendum est, sed quæ de animæ, & corporis unione docuimus recolenda. Hoc solum teneto, quod nemo viribus ullis extorserit. Anima Christi tum intellectu, tum voluntate adjumentis talibus est ornata, qualia instrumento ad actiones Deo dignas, cum Deo simul edendas destinato congruant; habet etiam corpus sic agenti conveniens; tum Deus actiones proxime cum sola Christi humanitate producit, quasque illa passiones recipit, ipse quoque ad receptionem agendo præparat atq; disponit; hoc si cogitatione comprehensum teneas, & naturam unione verâ, & physicâ propriè assumptam, non autem in humana, sed divina Hypostasi subsistentem; quia Deo utpote & digniori, & longe principaliùs agenti actio tribuitur, quamlibet verò ut divinam pretii maximi, humanitatem etiam summè perfectam, atque instrumentum Divinitati maxime conjunctum intelliges: Illud etiam, quod apud alios haud facile explicatur. Humanitatem scilicet cum Divinitate simul & eâdem adoratione colendam. Videt quis Christum venientem, audit loquentem, coram eo prosternitur quem ambulatio & locutio adorantis animo sistit, actio autem agendi principium designat, itaque si à Verbo divino simul & Humanitate procedit, utrumque simul unius instar animo repræsentat, colendumque proponit, atque adeo personæ unius instar, cum actio communis ex sententiâ meâ Personæ constituat Unitatem; sin alium ab actione Modum Unionis finxeris, quâ in

Vera mysterium Dei hominis clarè explicat.

Et cur utraque natura adoratione unâ colatur.

unam personam coeant, ipsa actio utriusque non indicat Unitatem; Ipsum autem corpus Christi *Rite*, ait Athanasius, *legitimâque ratione adoratur, & divinâ adoratione colitur*, & à Concilio Alexandrino in epistolâ ad Nestorium ab Ephesino probata hoc rejicitur, *Propter eum qui Hominem induit, veneror eum qui indutus est*, illud autem asseritur, *Unus intelligitur Christus Jesus filius unigenitus qui unâ adoratione, propriâ cum carne, adoratur.* Unus autem est una Persona; actio igitur quæ adorationem dirigit, Unitatem personæ indicat, quam nisi constituat, sanè verbum cum Humanitate non unius personæ instar colendum objicit; nam agendi tantùm principium actio demonstrat; si quid igitur ultra, unius personæ ratio postulat, eam unitatem actio non ponit ob oculos, sed quærendam porro relinquit. Actionibus autem, & partibus aptis cùm Unionem plenè, planèque monstratum sit contineri, quænam in recto, vel obliquo sumendæ sint, Logici, quos talia delectant, clamosè, cum libuerit, disputabunt. Hinc etiam apparet quantâ cum Divinitatis injuriâ Humanitati Christi opprobria, & supplicia fuerint à Judæis illata, & nominatim cur ad crimen sacrilegii maximi referri soleant. Sacrum enim dicitur quod ad usum divinum seponitur, nihil autem magis, quam quo Divinitas ut instrumento utitur conjunctissimo.

1. de incarn. verbi.

Inter epist. Cyrilli. 10.

Cur injuriæ in Christum sacrilegia summa.

§. 7. Neque è nostrâ sententia de natura Dei incommutabili, vel minima difficultas oritur. Non enim anima mutatur à corpore quia motum in illo producit, sed quia ab eo impressiones accipit; quare cum ab humanitate verbum pati non possit, nullum erit vel leviſſimum ex unione mutationis indicium, quod verbum ad actiones communes operam cum Humanitate conjungat. Qui vero extrema conjuncta per unionem quandam mediam se mutuò contingere, & contactu illo perfici, vel inficí cogitare solent; ii certè quòd Verbum appellent terminum non subjectum, vel quod neque meliùs, aut deterius factum asserant, non evadent: Nam ad mutationem satis est, habere se aliter; & terminus, quem fateris intimum, haud minus tangitur quam subjectum. Sed totum hoc, quod toties ad contactus exemplum de rebus unione conjunctis, atque unione contaminatis, aut ornatis ingeritur, commentum est usquequaque vanissimum. Neque enim aurum melius est quia gemmam insertam continet, sed annulus utrumque continens alterutro majoris pretii est; neque anima corporis attactu perficitur, sed quia cognitionibus quibusdam à corpore impressis afficitur; neque proinde anima Christi per Unionem quæ contactum, aut conglutinationem tantum afferat, à verbo perficitur; hoc etenim animam haud decoratam, sive in pulchriorem, ut ita dicam, figuram conformatam, sed tantum ei admotam, atque annexam, neque proinde

Cur verbum ab Unione non mutetur.

Id quod aliis difficile, sicuti & perfectio Humanitatis, & actionum à verbo recepta.

inde hactenus perfectam, sed perficiendam ostendit, ne videlicet cum Divinitate in eodem solio indecore vestita sedeat. Quod si neque animæ substantiam perfectiorem reddat agglutinata Divinitas, certe nec illius affectiones inde meliores existent, idem est enim in se fulgor auri, sive pyropum in se scillantem habeat, sive eo careat. Neque æstimationem moralem à Physicâ distinguere necesse est. Nam ubi Rex militem læsum ex equo descendens sublevat, & vulneribus emplastra applicat, pluris hoc factum Regis quam Medici æstimamus, quia voluntatis benignioris, in quâ solâ pretium est, argumentum esse noscitur. Nam si contrarium constaret, & lucro, vel hypocrisi ductum liqueret, quod ipse fecerit, id nos certè nihili faceremus. Ego tibi perfectiones, easque maximas in ipsa unione conclusas offero; Nam & actiones, & aptitudinem agendi continet. Excellentissima porro ornamenta sunt, quibus natura humana ad actiones Deo dignas, atque operâ etiam conjunctâ producendas aptatur; actiones item præstantissimæ quæ Deum agentem, & principaliter agentem deceant, atque eo insuper modo operantem, ut opera ab Humanitate collata, velut immensitate quadam obruta vix appareat. Penicillos quidem, & pigmenta, & præcepta quoque discipulo dabit Apelles, eumque imaginem haud magnopere laudandam sinet pingere; at si ipse apprehensa manu discipuli, cum eo simul colores illinat, atque ita simul opus absolvat, ut sibi tribuendum sciat, & sciens, prudensque velit tribui, vulgare nihil, sed singulare, & eximium fore conjicias. Neque tamen ea causa actionibus Christi infinitatem tribuam, ut infinitæ malitiæ peccati cujusque mortalis, vel infinitorum, quæ possibilia finguntur, valore præponderent. Namque ex ignorantiâ infiniti, hæc, & alia complura hujus generis quæstionibus prolixis, sed nondum decisis Lectores jamdiu inani labore defatigant, de quibus alibi differemus. Neque etiam mihi præ cæteris explicatu difficile fuerit, cur naturam humanam una, non omnes Personæ Trinitatis assumpserit, quamvis actiones ad Unionem pertineant, hæque à personis tribus emanent. Nam etiam personæ omnes producunt in rebus notas quasdam, quæ tamen singulis applicantur à Patribus; ipsaque Scholasticorum Unio ab omnibus fit, & singulariter uni respondet; deinde unio quæ à me ponitur non actione tantum, sed & extremorum quoque aptitudine continetur; Nihil autem vetat humanæ naturæ ornamenta ratione speciali verbum respicere; nam si necesse sit ut exteriora omnia personis tribus peræquè respondeant, proprietatum distinctio tollitur; quoniam vero actio agentis conditionem sequitur, humanitas singulariter verbo coaptata, etiam actiones ad idem specialiter relatas edet.

Quæ perfectio in ipsâ unione posita demonstratur.

Cur natura ab una trium personarum assumpta.

Cur corpus animâ mediante assumptum. 3.p.q.6. a.1. & 2.

§. 7. Sed nec illud obscurum est quod ab Augustino dicitur, & à D. Thomâ probatur, verbum sibi corpus per animam, hanc autem per spiritum coaptasse; quia per animam in corpus operatur, perque spiritum, qui intelligendi facultatem indicat, rerum altissimarum notitiis imbutum operationes animæ administrat. Corpus tamen triduo separatum ab animâ non

Neque morte relictum.

deseruit, cui sic agendo id est motus imprimendo, & reprimendo consuluit, ut animæ Christi instrumentum habile permaneret. Neque enim aliam incorporei cum corpore unionem, quam per actiones illi impressas, & impressiones ab eo receptas intelligi posse sæpius declaravimus. Deus autem non patitur, ergo corpori motione solâ conjungitur. Quod ubi constanti motu regit, ipse per se proximè, vel per formam utrique conjunctam illud censetur assumere; sed nisi opus tale sit, quale seipso dignum videat, id Angelis committit administris, iique proinde ad opus impositum operando corpus assumunt. Sed restat quippiam sine quo Mysterium Dei-Hominis probè cognitum esse nequit. Non enim humanitate tantum agente dicitur Deus agere, quod ex utriusque conjunctâ operâ intellectu facillimum est, sed & patiente pati dicitur. Non autem utrique passionem recipere, uti actionem edere simul convenit. Prædicationum autem logicarum regulas inculcando, quam parum hic locus complanetur, & regularum ipsarum inconstans, minimeque consentiens inæqualitas; & verborum, quæ huc à rebus dissimillimis translata sunt, malè concinnata proprietas; applicatio denique ipsa quâ scriptores utuntur, lectorem planè docebit. Rem igitur potius ipsam intueamur, quam remota vocabula consectemur oportet. Quoniam vero utraque pars Compositi, quod Deum Hominem vocamus, unà operando unius instar animo obversatur, id nomine uno, quod Notioni uni respondeat, appellare & licet, & expedit; idque è parte alteraturâ desumi potest, dummodo significatione sic comprehendat utramque, ut ambarum unio designetur. Non autem Humanitas, aut Divinitas unitatem indicat, sed alteram ut ab alterâ distinctam significat: quare Humanitas Omnipotens, aut Divinitas patiens dici nequit, ne partibus proprietates incongruæ tribuantur. Nomen autem Deus aut Homo cum id omne significet, quod cum Divinitate, aut Humanitate unius instar objicitur cogitanti, Deum pati dixeris, modo id cuipiam accidat, quod velut cum Divinitate cognoveris unitatem habere: similiter & Hominem vocaveris Omnipotentem, quia id alteri congruit quod tibi de Humanitate cogitanti ad unius modum occurrit. Cogitando vero Divinitatem eo modo cum Humanitate conjunctim operantem, ut acceptationem doloris, & mortis, & actiones reliquas unà producat, ambæ non modo conjunctim, sed ut unione, sive unitate conjunctæ proponuntur; quare licet

Cur Deus nasci, pati dicatur, Homo autem Omnipotens appelletur,

licet voce tenùs ſolummodo Deum patientem, hominem dicas omnipotentem, menti tamen Deus-Homo, vel Homo-Deus per utriuſque partis efficientiam conjunctam apparet. Itaque Deus pati dicitur quatenus idem & Homo eſt; Homo vero eſt omnipotens quatenus ille homo & Deus eſt, ſive qua utrique naturæ unio vera & Phyſica, ideoque & unitas arctiſſima per conjunctionem ſummam, citra tamen confuſionem ullam, congruit. Hoc ſi conceſſiſſent Hæretici, virginem Θεοτόκον ſive Deiparam non negaſſent, ſed quia unionem hanc Phyſicam Chriſto vel nunquam ut Neſtorius, vel Baptizato tantum, non Nato, ut alij tribuerunt, idcirco Χριστότοκον, ſeu Chriſtiparam nominabant, qua locutione aliam eſſe Chriſti, aliam vero Perſonam Dei ſignificare volebant; id eſt Divinitatem benevolentia, non coefficientia humanitati jungebant; in ſumma unionem tantum moralem non autem Phyſicam ſtatuebant. Quocirca Cyrillus ulceris virus intimum perſcrutatus, unionem à Neſtorio Phyſicam extorquere volebat, hac data ſanitatem certiſſimam pollicebatur. Unionem autem Phyſicam, quali nempe corpus inter, & animam humanam Homo fit, cooperatione conſtitui abunde probatum eſt; & quia cooperatio humanitatis & verbi in pluribus, & conſenſione majore fit, unionem etiam naſci ſtrictiorem apparet.

§. 8. Quamvis autem Patribus de fidei potius veritate, quam Philoſophiæ ſubtilitate ſollicitis, unionem Phyſicam magis vehementer expoſcere, quam diligenter enucleare viſum fuerit; ea tamen ſubinde jaciunt quæ ſententiam meam propius quam communem attingant. *Et divina*, ait Dionyſius, *non quatenus Deus eſt, nec humana quatenus homo, ſed cum nobiſcum verſatus eſt, Deus homo factus eſt, novam quandam Dei-virique actionem perfecit.* Damaſcenus vero, *Chriſtus juxta utramque naturam ſuam operatur, atque in eo utraque natura adhibita ſocia altera vim ſuam exerit.* rurſus. *Non enim diviſas actiones eſſe, aut naturas diſtinctim operari dicimus, verum conjunctim utramque altera ſocia adhibita id efficere.* iterum actionem Chriſti cum inciſione quæ ab enſe ignito fit comparat, ubi ligni diviſionem unam ab igne ferroque ſimul factam intelligas, eamque actionem ut utrique communem clarioribus verbis aſſerat, inciſionem combuſtam, & combuſtionem inciſam vocat. Cyrillus autem Alexandrinus haud ſemel in hoc negotio appellandus, exemplo fabri utitur, de quo ait *intelligi poteſt quod operetur quidem anima per proprium corpus, nemo tamen dixerit ſolius animæ eſſe opera, tametſi incitet & moveat corpus ad opus, ſed utriuſque.* Aliud quoque Damaſceni dictum notandum occurrit, *Et humana ejus actio divina erat, id eſt Deificata, & divinæ actionis particeps*, ubi actionem humanam ideo deificatam quia divinam ſive à Divinitate ſimul agente editam, non autem ex

Unioni noſtræ favent Patres.

Ep. ult. ad Caju.

l. 3. de fide c. 15. & c. 19.

c. 15.

Lib. contra Anthropomorph. c. 20.

ibid. c. 19.

Opinio communis de simultaneo, & immediato Dei concursu ad omnes omnium actiones refellitur Ep. 146. ad Consentium.

ex eo quod humanitas per unionem ab actione diversam Divinitati quodammodo applicata cognoscitur. Sed quod hoc loco magis observandum occurrit. Cooperationem vides Christo velut singulare quid à Patribus assignari; id quod ab iis nullo modo factum fuisset, si Concursum illum immediatum, quem Recentiores cum omnibus communicatum volunt, tenuissent, vel de eo suspicionem levissimam habuissent. De quo alios etiam, quod promisimus, loquentes audies. Augustinum inprimis. *Sic autem*, ait, *naturas quas condidit administrat, ut eas sinat agere motus suos.* idque eo loco asserit, quo adversus eos qui Deum otiari fingebant, disserit, ubi de cooperatione contiuua & communi tacere minimè debuisset, quam adeo non noverat, ut neque ei contra Gratiæ supernaturalis hostes dimicanti in mentem venerat. *Certum est*, inquit, *nos facere cum facimus, sed ille facit ut faciamus præbendo vires efficacissimas voluntati.* De viribus nimirum & auxiliis dubitatum fuerat, de cooperatione verò illa immediata ne quidem tenuissimè cogitatum. Neque id multis post sæculis Anselmo innotuit, qui Deo actiones rerum tribuit, *quia ipse facit res à quibus, & ex quibus, & per quas, & in quibus fiunt, & nulla res habet illam potestatem volendi, aut faciendi nisi illo dante.* Memoria fortè infelicissima fuerit, cui cooperatio illa operosè omnia congerenti exciderit. Quam Augustinum ab operibus malis excludere testem habemus locupletem Vasquium, tum quia adversarium, tum quia in Augustini lectione versatissimum. Nihil igitur opus est multa corradere. *Ad male agendum habes*, ait, *sine adjutorio liberam voluntatem.* alibi autem motum aversionis qui peccatum est, ex nihilo, non Deo esse docet. Hieronymus vero nos in malis non Dei, sed Diaboli auxilio niti. Nazianzenus apertiùs. *Deus nullo modo est causa mali quippe bonus.* Tu sic argumentaris, Malum est à Deo, quippe Ens; ille contra, Deus nullo modo est causa mali, quippe bonus. Neque minus apertè Hugo Victorinus loquitur. *Non ergo* ait, *peccata sunt à Deo aliquo modo.* Neque tantum Durandus inter Scholasticos cooperationem illam ad peccatum Deo negat, sed & Aureolus, eamque sententiam suo tempore solennem fuisse memorat, neque minus celebrem faretur Ariminensis, Bonaventura quoque valde rationalem, & magnorum virorum, neque à Magistro controversiam decisam affirmat.

1. de grat. & lib. arb. c. 16.

de conc. præd. & præsc. lit. C.

1. 1. 2. d. 129. a. 2. & 3. Serm. 13. de verb. Ap. l. 2. de lib. arb. c. 10. Hier. dial. 1. con. Pelag. Or. 2. contra Julianum. in c. 11. ad Rom. q. 28. Aur. in 2. dist. q. 37. q. un. a. 1. Bon. ibid. q. 37

§. 9. Sed ut quidam Theologiam nationis suæ, ita alij ætatis suæ angustiis concludunt. Quicunque tamen Scholasticos antiquiores, Halensem, Aquinatem, Scotum, Bonaventuram, Ochamum, Durandum, animo attento & æquo legerit, is Recentiorum quorundam supercilium detestabitur, qui superiorum ætatum judicia tanto fastu repudiant, ac si ipsi quicquam quod commemotatione dignum sit addidissent, aut cum illis sive perspicientiâ veri, in quâ vera perspicacitas ingenij sita est, sive sententiarum, aut argumentorum,

Scholasticorum veterum commendatio.

mentorum, aut quæstionum delectu comparandi essent. Ecquid enim nisi dubitationes & conjecturas futiles, ab aliis contemptas aggerunt? Ecquid momenti præter molem afferunt? Cedo vel unius nodi difficilis solutionem tentatam à veteribus, à novissimis absolutam. Hoc sæpius & recordando, & percunctando quæsivi, nunquam inveni; adeo ut cum indignatione apud quendam legerim, *scientias*, de iis quas scholæ nunc tradunt, loquitur, *ad eum perfectionis apicem perveniſſe ut nulla eis fieri videatur posse acceßio*, eo quod ipse neque jota unum, aut apicem à se, suique similibus adjunctum proferat. Vtinam Scholasticos antiquos diligentius ipsi legerent, discipulisque prælegerent, eo enim fieret ut utrique plus saperent: nam multa scitu dignissima, quæ nunc, ut minus utilia jurgantibus, consulto prætereunt, non nescirent; modum in rebus, & delectum paulatim addiscerent, purius, atque ut mea fert opinio, etiam plenius è fontibus, quam rivis haurirent; neque enim plenitudinem tumore metior, multa paucis, non pauca multis, ut nunc fit, comprehensa, majore proventu, onere minore, colligerent, non adeo desiperent, ut sententias olim celebres, nunc intolerabiles judicarent, tametsi nihil ab eo tempore adversus easdem vel ab Ecclesia decretum, vel ab ipsis præter verba censoria prolatum fuerit; neque sibi & licitum, & tutum putarent, unius aut alterius disputatoris argutiis animæ salutem committere, quamvis reclamarent antiqui, & recti pravique fines cum Ecclesiæ & Reipublicæ detrimento motos arguerent. Compr. in Præf.

§. 10. At enim Scriptura, & Patres actionem eandem à creatore, & creatura simul, & proxime emanare testantur. Quasi vero operari, facere, plasmare, lilia agri vestire, producere fœnum, pluviam parare, actionem talem evincant. Nonne Anselmus aliis multis nominibus opera Deo ascribenda enucleatè demonstrat, nosque aliis opera sermone usitato tribuimus, qui non omnia quæ ab illo enumerantur præstiterint? Nonne scriptura disertis verbis alibi quid sit intelligendum explanat? *Ne dicas in corde tuo fortitudo mea, & robur manus meæ hæc mihi omnia præstiterunt, sed recorderis Domini Dei tui, quod ipse vires tibi præbuerit.* Hic certè si ullibi actionem illam, præter auxilium, ad coercendam superbiam inculcasset. Quid quod Deus iniquitatem odisse, & nihil eorum quæ facit odisse dicatur? iniquitarem tamen ab eo ita fieri docent, ut ipse tam fœdo operi manum admoveat; hoc loco faciendi vocabulum ad sententiam alienam ipsi detorquent, aliis autem ad usitatam, & propriam flecti non sinunt. Nonnemo quod è multis est infirmissimum, id tanquam opinionis robur astruit. *Idem*, inquit, *efficacius probatur ex illo Isaiæ. Domine omnia nostra operatus es*, Certè nec illum locum legisse, neque ullum legere consuesse videtur. Nusquam minus de actione illa, quam conatur asserere mentio fit, verba præcedentia, *Da pacem Domine* & contextus omnis sententiam Diluuntur objecta ab authoritate. Deuter. 8. Compt. d. 16. s. 1. Phys.

longe diversam indicant. Quæ Augustinum haud latuit, atque Hieronymum. Hic reddidisti nobis supplicia, nunc misericordiam præsta, ille impleti quæ promiseras, ubinam actio communis? At *pater meus usque modo operatur*? At Augustinus ad conservationem tantum accommodat, per quam, ut à me quidem æternitas explicatur, non ut olim tantum operatus, sed ut semper operans cogitatur, & plus quidem ex meâ, quam tuâ sententiâ, quippe qui rem omnem à Deo solo fieri, & conservari doceam. Noli voces crudas, sed ex aliis digerendas, & in succum innoxium concoquendas ingerere, alioqui Deum non modo quod Malum est efficientem, sed & imperantem è literis sacris inferes. Patres autem adeo efficientiam illam cum omnibus communicatam nolunt, ut eam Christo singulariter sepositam velint, neque ad aliorum actiones etiam supernaturales adhibeant. Eam autem ab illis examinatam, & consensione magnâ probatam, atque insuper ut quippiam ad fidei doctrinam pertinens asseveratam ostendere debuissent, antequam eò Censorum prorupisset audacia, ut viros doctrinâ, & fide præstantes tam gravi afficerent contumeliâ. Quo minus ægre ferant, si quandoque malè audiant, qui aliis tam temerè maledicunt.

Jo. 5.

Atque à ratione petita.

§. 11. Cæterum ab authoritate depulsi, ad rationem confugiunt. Ens ab alio, fit ab Ente quod à se est. Ita plane, atque ab eo solo insuper; verum actiones seu bonæ seu malæ non sunt Entia, sed horum tantummodo affectiones, & Modi. Hoc autem, quod Philosophis antiquissimis erat notissimum, si perinde Scholasticis perspectum fuisset, neque Accidentium, velut Entium à subjectâ re distinctorum Notio perquam absurda invaluisset, nunquam Deum mali effectionem attingere cogitassent. Sed prior alterum errorem peperit. Nam si volitio mala est Ens quod ante non erat, infinitâ potentiâ opus est, quod Ens à Nihilo per intervallum quasi transferat infinitum; neque immeritò timebant ne propius ad Manichæos accederent, qui Deo Mali principium alterum opponebant, & Numen quidem, cum Entis è Nihilo productio potestatem, ut dictum est alibi, infinitam postulet. Atqui Volenti Ens novum à voluntate distinctum non adjicitur, sed quod erat, aliter esse incipit, in quo nihil moliminis tanti cernitur, quod à Deo præstari debeat, aut à voluntate nequeat. *Nulla*, inquit Augustinus, *natura est quæ non sit à Deo*. Rei quippe cujusvis effectio efficientiam tam amplam comprehendit, ut Deum factorem deceat, atque aliorum omnium superet facultatem. Neque tamen eum dedecet etiam affectiones, & modos Humanitatis Christi admotâ manu propriâ elaborare, cum ejusmodi sint, ut qui earum decus ingens, & magnitudinem præcellentem clarè spectaret, ei exclamare liceret, non digitum tantum Dei; sed

Divinitatem decet Christi actiones, non nostras efficere.

ſed & manum, & brachium, & ſcientiæ bonitatiſque nervos omnes intentos conſpicor. Hîc opera cerno, quæ Deo non modo documenta, & inſtrumenta ſuggerenti, ſed agenti quoque, & ſuam ipſius artem applicanti conveniant: in his adeo præpotentem Numinis eminere virtutem video, ut licet humanitas otioſa non ſit, ea tamen perſonæ non humanæ, ſed divinæ aſſignanda jure merito videantur. In actionibus autem noſtris vel optimis nihil tam magnum, aut tam decorum apparet, quod Deo Actori, ſeu Artifici aſcribi debeat; neque quicquam habent quo cum arte creandi infinitâ comparari queant, neque proinde quod Creatorem ab opificio ſummo ad infimum, vel certe mediocre detrudi ſuadeat. Omnia quidem ſcire vel minima Principem decet, at minimis agendis diſtineri non decet: E dignitate fuerit aliis iſta committere, licet ipſe eadem ſi vellet efficere poſſet: Nam poſſe quidem ſingula potentiæ eſt, velle vero ſibi tribui quo perſonæ non congruant, prudentiæ non eſt. Quocirca non convenit, ut minora, quæ à Miniſtris fieri poſſint, ipſe faciat, ſed facultates potius, & adjumenta ſufficiat. Neque tamen propterea infra Majeſtatem Dei cenſeri debet, quod ſemetipſe ſubinde animabus ſummè dilectis imprimat, producendo per ſe, illis nihil agentibus, ſed divina tantum patientibus, affectiones quaſdam eximias, & planè cæleſtes, tum quia à Creatore fieri conſentaneum eſt, quæ Creatura nec agere, neque ab alio, quàm ipſo recipere poſſit; tum quia id amori ſingulari conceditur, ut dignitatis aliquando velut immemor videri velit. Quoniam vero Contemplativi cum Deum ſic agentem intus ſentiunt, eum ſibi Unione quadam, & contactu, uti loquuntur, ſubſtantiali conjungi percipiunt, ſatis apparet Unionem ab operatione divina haud temere petitam fuiſſe; & Beatis in cœlo ſempiternam cum Deo & propriam unitatem obtingere, non tamen idcirco Hypoſtaticam, quæ actiones illorum ab eo ſimul elici, eique potiſſimum tribui ex Hypoſtaſis notione flagitat. Unde & Unionem Dei & animæ, cum in ea gratiam Habitualem efficit, quam multi concedunt, cuilibet verè, propriè, & phyſicè & interpretari licebit, cum in ipſa operatione præſentiam, atque in operatione conſtanti, ſi partes ſint aptæ, etiam Unionem poſitam eſſe conſtet. Verum actionem divinam non modo recipere, ſed conſociata cum eo opera ſemper agere, id ei tantum, qui perſonam divinam ſuſtinet, adjudicandum eſt. Debilitatis igitur obtentu ſibi dignitatem divinam arrogant, qui ſemet, & Deum agendi principium unum conſtituunt. Neque minùs quid eum deceat, quam quid ipſi poſſint ignorant. Nihil enim facultati liberæ magis inſitum, quam ut ſemet inflectat, modo qui ſuſtentet, & neceſſaria præſtet, illi non deſit. Et quà ſuapte vi agit ſe Creatoris imaginem; quà vero conſervante, & neceſſaria præbente indiget, Creatu-

(quam apte unio in actione)

ram oſtendit, eique tum ut ſit, tum ut agat obnoxiam. Quamque proinde deſtruendo, vel adjumenta tollendo cohibere cum libuerit queat, & ſic quidem Domino congruentiùs, quam ſi ſervo ſuam ad viliſſima quæque operam mancipaſſe putetur.

Nedum malas.

§. 12. Turpia vero ſex mala ſi ſimul attingat, non modò Domini ſupremi dignitas contaminatur, ſed vel Deo Bonitas, vel peccato malitia demitur. Quiſquam ne bonus qui malum non ſinat tantum, ſed velit eſſe? cujus enim agendi vis eſt volitio, neque ab eâ vel reipsâ, vel etiam ratione diſtincta, is, id quod agit, velle cognoſcitur, & abſolutè quidem, & efficaciter, neque enim à voluntate ſuſpenſâ, & inefficace ducuntur effecta determinata. Trahitur, inquies, velut invitus, nollet enim niſi ex naturæ lege volentibus nobis opitulandum ſciret. Quænam eſt iſta naturæ lex, quæ naturæ Authorem ſummè bonum, cum malevolis mala velle jubeat, aut doceat? Vult enim quod facit, quia volendo facit. Nequicquam autem obtenditur potentia, quam à voluntate ſolent cogitando diſtinguere; tum quia turpe eſt potentiam à voluntate optimâ, voluntati ad peſſima, tracturæ proſtitui; tum quia nullum eſt in ulla re potentiæ à cognitione, & volitione diſcrimen, niſi forte agendi inſtrumenta, quibus Numen haud eget, ad agendi potentiam revoces. Quid porro cognitio? directio eſt. Quid volitio? nempe propenſio. Propone tibi jam ſpeciem Dei peccatum actione, quam concedis, phyſica producentis, Nimirum cognitione dirigente opus deſignat, delineat, monſtrumque fædiſſimum mente deformat, atque in id propenſione voluntatis incumbit. His etenim directio, & determinatio, id eſt agendi ratio continetur. Averſionem ponendo, determinationem agentis aufers. Propenſionem aſſerendo, vel Deum eſſe bonum, vel peccatum eſſe malum negas. Nam Bonus non propendet ad Malum, neque Malum eſt, in quod Dei ſummè Boni propenſio fertur. Hæc enim omnis Boni & Radix, & Regula, & Ratio eſt. Propenſionem vero etiam efficacem quis adimat, qui volitionem dederit efficientem? Deinde cur id à te fieri vetet, quod tecum ſi velis patrare non reſpuat, immo quia volendo facturus eſt, fieri velit? Quove modo quod tecum ipſe ſimul agat, id ab eo non committi ſed permitti tantum dicitur? Quin etiam ſecum pugnat, dum quod lege prohibet, id facto probet. Sed cum opinionis falſæ jampridem fundamenta ſubverterim, nihil eſt cur plus operis fulcimentis, quæ aſtruunt demoliendis impendam. Fundamenta ſunt iſta. Malum Potentiæ terminus eſt, non autem voluntatis, quam vel ex natura rei, vel virtute, vel ratione diſtinctam putant. Tum peccatum, ut accidentia, & modi omnes, Entitatem à ſubjecto diverſam obtinet. Sed huic poſteriori magis incumbunt, dumque antiquam, & perſpicuam accidentis definitionem

nem abolent, puriſſimum Boni fontem inquinant. Quod ſi Deus mala nobiſcum operari non poſſit, neque etiam de bonis probari potuerit, cum odium Dei non minùs ſit Ens, quam amor proximi. Immo cum ejuſmodi etiam ad benè agendum auxilia dare ſoleat, quæ malè agendi non adimant poteſtatem; neque per ſcientiam conditionalem ante dandi decretum utrum eventurum ſit certò prænoſcat, periculum eſſet, ne ſe actionis ſubinde malæ participem redderet. In nobis quidem ipſe per ſe citra diſcrimen agere poteſt, at ſi nobiſcum etiam ageret, fortaſſe etiam mala, non modo mediocria, contra bonitatem, & dignitatem efficeret. Quare Chriſto optio tantùm inter optima quæque relinquitur. Quem quia ut unione arctiſſima, & intellectu facillima Dei perſonam gerat, oſtendimus; deinceps quomodo ſe homini cibum præbeat, & paſcendo conjungat, explicationem tam fidei quam rationi conſonam inquiremus.

Neque bonas nobiſcum immediate, abſque periculo cooperandi malos.

§. 13. Cum in omni Theologiæ parte Philoſophia vulgata balbutiat, multaque effutiendo vix quicquam quod intelligi poſſit enunciet; tum hoc loco qui diviniſſimum Euchariſtiæ Sacramentum continet, tam perverſa, tam abſona, atque ab omni intelligentia remota differit, ut minimè mirum videri debeat, ſi hic potiſſimum errorum omnium veluti arcem Hæretici recentiores collocent; neque alibi tam procaci debacchentur inſania, & tam obfirmata repugnent pervicacia. Unde etenim iis audaciam creviſſe conjiciam? Num ex ſacris literis? At nihil in his uſpiam clariùs expreſſum, quàm quod panis, & vinum fuerat, id reipſa verè, & propriè corpus, & ſanguinem Chriſti eſſe. Nullibi minus ad Tropos aberrare liceat. Res, tempus, quæque rei adjuncta ſunt omnia planè conſpirant. Proclivius ſanè fuerat humanitati Chriſti veræ, ac Divinitati litem intendere. Chriſtus ſe filium hominis palam fatetur; at Paulus ſimilitudinis, & habitus ſuſpicionem ingerit. Unum quid cum Patre ſe Chriſtus afferit; at idem ſimilem inter ſe diſcipulis unitatem exoptat. At veterum forte Patrum ſtipati præſidio inſolentiùs ſe efferunt. Perlege quæ ex omni ætate, & natione accurate collegit Bellarminus. Nuſquam aut ſententiis magis concordes, aut verbis minùs ambiguos Patres invenies. Panem corpus Chriſti fieri, in ejus carnem tranſmutari, transformari, transelementari docent. Quamvis præ ſe panis ſpeciem ferat, panem eſſe negant; non figura, ſed natura mutatum ajunt, ſenſibus hic fidem haberi verant, ad omnipotentiam divinam provocant. Concilia, ubi primum cauſa fuit, diſtinctè rem totam, & definitè declarant, populus Chriſtianus tot ſæculorum uſu, fide, fructu probavit. Impietati proinde à ſcriptura, Patribus, Eccleſia profligatæ, neſcio quid, præter Academiam, animos, & arma ſuppeditet. Audiunt Chriſti corpus quod in cœlis eſt, idem omnino pluribus locis ſpargi per terram. Audiunt corpus,

De Euchariſtia, & præcipue de Tranſſubſtantiatione.

E falſa Philoſophiâ crevit Hæreticis pervicacia.

cujus Essentiâ, si quid de rerum Essentiis scire licet, extensione clarissimè continetur, inextensè & indivisibiliter collocari. Audiunt substantiam corporis in duabus umbris inconspicuis, neque minus quam substantia animæ ab omni sensu remotis, quas materiam, & formam nuncupant, commento vanissimo, & veteribus inaudito constitui. Audiunt accidentia, quorum Esse est Inesse, nomine retento Essentiam amittere, atque in substantiæ naturam commutata subsistere. Audiunt Quantitatem à corporeitate sive extensione distinctam; cumque spatii, locique capacitas extensionem quantitas includat, binas tamen Quantitates, alteram Panis, Corporis Christi alteram in eundem locum etiam inextensè compactas, & constipatas audiunt. Quæ vero de conversione vulgo dicuntur, animis, & auribus aspernantur. Neque enim substantiam alteram ex alterâ factam intelligunt, quod altera in alterius locum adductione, vel productione succedat. Ecquis enim liquorem qui in vas influit ex eo quem expellit factum asserat? Tum quæ manifestæ corporis notioni tam apertè repugnent, si virtute divinâ corpori accommodari queant, nihil est quod cuilibet negare liceat. Angelus, si Deo placet, durescet, albescet, atque pinguescet. Neque enim hæc amplius ab incorporei, quam à notione Corporis illa discrepant. Quæ vero plurimi ex Eucharistiæ mysterio perperam explicato deducunt, ut hominem eodem tempore, sed locis diversis, à seipso divisum, simul miserum & felicem, pium & impium, mortuum & vivum, vel sibi in eâdem semitâ adverso tamen itinere occurrentem, ac secum ipsum veluti cum ignoto luctantem, jurgantem, aut digladiantem somnient; ea scilicet Hæretici non cavillis tantum exagitant, sèd sannis & cachinnis exsibilant. Atque hujuscemodi scholæ commenta, veluti Ecclesiæ decreta, stolidæ & petulanti plebeculæ deridenda proponunt, cumque ab omni Authoritatis sacræ genere inermes sint, è falsâ, & profanâ Philosophiâ adversus sanctissimam fidei veritatem armantur. Hæc igitur illis arma quæ sola restant extorquere statui, nam reliqua ab aliis cumulatè sunt præstita. Neque mihi consilium est Philosophiam ad fidei patrocinium arte quadam, aut astu subornatam inducere; sed ex principiis per se notis, & antiquissimorum sapientum consensu probatis, & superius à nobis expositis Mysterii explicationem intellectu facillimam efformare; quæ nullius rei notionem ad hunc finem confictam, detortam, vel levissime inflexam contineat; neque communi Patrum sententiæ, vel ulli Ecclesiæ seu veteris, seu recentis definitioni repugnet; quæque ad Patrum inter se dicta, & antiqua & nova Ecclesiæ pronunciata invicem concilianda haud paulo amplius, quam quæ vulgo dicuntur, conferat. Quanquam Scolastico rudi, fateor, qui vix è vulgaribus dictatis emerserit, quique inter

Scholæ

Scholæ Placita, & Ecclesiæ Rensponsa quid intersit, nondum ex antiquorum, & graviorum Authorum lectione didicerit; nec qua verborum forma rata fidei dogmata concipiantur, è diuturno Conciliorum usu perspexerit, ea quæ dicturi sumus parum consentanea iis, quæ ipse certa fide putaverat esse credenda, rei novitate perculsus suspicabitur. Sed novitatem purgabit veterum consentiens authoritas; veritatem evidentia rerum docebit.

Substantia panis non est materia & formæ vulgares

§. 14, Ac principiò quidem lectorem monitum velim, ut eorum, quæ alibi sunt exposita, memor, cum de natura, vel substantia corporum cogitat, materiam illam umbraticam, atque formam, accidentium operimento concluſas à cogitatione semoveat; neque medullam, seu essentiam intimam panis in rebus inanibus, quas Philosopho ignotas supra docuimus, & Theologo inutiles infra docebimus, rationis nullius suasu, sed turbæ præeuntis strepitu ductus, constituat. Neque fidei fundamenta, Aristotele Architecto, speret in solido collocanda. Cujus præcipua, & propria, si quæ non emendicata habet, dogmata, firmamentis illis, quibus maximè doctrina Christiana nititur, adversantur. Quanquam hoc loco Aristotelem oculræ potius versutiæ, quam manifesti erroris accusem. Namque in generalibus, & longe abstractis notionibus pro more suspensus hæret. Primum cujusque subjectum, tum subjecti perfectionem, actum, energiam audies; substantias binas à se mutuo distinctas non videbis. Privationem principiis rerum accenset; ut notionibus, non substantiis numerandis distentum intelligas. Timet de rebus ipsis aliquid definitè dicere, ne veterum dicta captare solitus, à posteris ipse capiatur. In notionum logicarum recessibus tutus latet, has etenim cuilibet applicare sententiæ licet. Quid Anima? Actus corporis organici potentia vitam habentis. Quid lux? Actus perspicui qua perspicuum est. Quid Materia? Primum subjectum, nec quantum, nec quale, sed indifferens. Quid forma? Actus, perfectio, determinatio. Quid quodque sit nescis, sed quicquid sit, notionis latè patentis ambitu comprehendi scias. Sive enim Leonis anima sit calor, seu sanguis, seu sanguis calidus, seu plurium humorum temperata commixtio, seu substantia corporea, vel incorporea à materia distincta, quicquid horum fuerit, corporis vitalis actus non esse nequit. Esto lux qualitas, motio, vel momentanea ad motum propensio, obscurissima quoque de natura lucis comminiscitor: definitionem Aristotelis clarissime consentientem habes. Utcunque de corporum constitutione decreveris, nunquam ita aliud ex alio finges fieri, quin indifferentis & determinantis notiones occurrant; quodque jam sit, non fuisse quod sit, quamvis esse potuerit, neminem fugit.

Hæc

Hæc si attuleris, quibus carere non poteris, iis omnibus, quæ de materia, forma, & privatione definit, ac disputat Aristoteles, in quibus ego neque utilitatis quicquam, aut subtilitatis invenio, præclarè defunctus fueris. Neque Authorem hunc uspiam è notionum universalium fastigo, ad particulares hasce substantias, quas Materiæ & Formæ nominibus recentiores inculcare non desinunt devocabis. Eas igitur ut ignotas, & inceptas, & ne quidem ab Aristotele assertas, nullibi certe probatas, impune rejicias.

Sed certa partium extensarum structura.

§. 14. Quid igitur intelligendum cum de Panis substantia Patres loquentes audimus? Accidens adesse, & abesse potest; substantiæ itaque nomine, quæ ex adverso opponitur accidenti, id indicare solemus quod cuique ita adest, ut si abesse fingatur, non amplius hæc res, sed alia; non panis, sed caro dicatur. Ita fert sermonis usus, qui in ea notitia qui ex auditu nascitur, apprime spectandus est. In quo igitur panis à carne differt quidque pani inesse vel sensu, vel ratione conspicimus, quo sublato haud amplius panem esse dicimus? Corpora, id est res extensas, haud aliter inter se differre posse demonstravimus, quam partium magnitudine, figura, & quiete, seu connexione, & complicatione præditum, unde corpusculorum quidam motus nasci debeant, qui certo modo sensum afficiant, Panis vocabulo indicamus. Motus ad actionem, reliqua ab substantiam, nisi mutatio sit parva, referuntur. His enim sublatis aut valde mutatis, corpus hoc appellatione Panis spoliatur motu vero divinitùs variato, rei ipsius structura, qua discriminatur ab aliis, alia partium compage constructis, permanet.

Quid conversio totalis.

Porro tota substantia panis in carnem vertitur; cum partes ejus omnes eo pacto mutantur, ut magnitudine, figura, connexione tales evadant, qualibus caro consistit. Hoc modo aquam in vinum merum à Christo conversum assero, eodemque oleum durissimum in flammam abire totum censeo; id quod alibi rarò contingit ut alterum in alterum penitus convertatur; neque enim partes omnes ligni in ignem, vel alimenti in animalis substantiam transeunt. Aliud autem substantiæ corporeæ in aliam transmutationis genus, cum corporis naturam intimam perlustrarem, indicio aut vestigio nullo comparuit. Porro nomen substantiæ duobus modis corporibus singulis applicari solet, vel enim substantia seu natura ut communis, vel ut peculiaris accipitur, quæ sermone Scholastico Generica, & Specifica nominetur. Cum oleum in flammam vertitur, ejus natura peculiaris, ac specifica qua oleum dicitur, tota desinit, & in flammæ naturam transit, cum nulla partium structura talis maneat, quali res illa, vel substantia quam oleum vocamus fabricata censetur. Manet tamen olei substantia universim

l. 1. n. 41. &c.

Substantia Generica, & Specifica.

&

& generice accepta, id est extensio quæ & oleo, & corporibus reliquis communis est, neque ab iis vel mente præscindi poterit. Neque tamen idcirco duarum substantiarum distinctionem, sed unius duplicem acceptionem intelligas. Identitatis quoque acceptionem duplicem observare juvabit; veluti seni corpus est proprie idem quod adolescenti fuerat, quia eidem animæ copulatum; licet identitas propriissima ei tantummodo tribuatur, cui mutatio nulla vel partium defluxione, vel alluvione contigerit. His probe perceptis, & reliquis quæ de corpore alibi disceptavimus in mentem revocatis, res tota brevissime expediri potest. Ajo igitur Christi corpus quod in cœlis est, illud ipsum propriissime sumptum in Altari non sisti; sed panem propositum in tantundem carnis, vinum item in sanguinem virtute divina, sed ea quæ modo explicata est conversione mutari; hæcque animæ Christi copulata à verbo assumi hypostatice, partem vero carnis in sanguinem liquescere, sanguinis vicissim partem densari in carnem, ut utriusque sub utralibet specie sit copia; & totus & integer Christus omnium gratiarum fons, & auctor sub una specie ut Tridentina Synodus, & fidelium sensus postulat, panis sumatur. Nam qui Christi divinitatem, animam, carnem, & sanguinem, id est corpus integrum, quoad esui, & potui aptum est, in Sacramento accipit; is totum, & integrum Christum gratiarum omnium fontem, & talem penitus, qualem eum esse convenit, qui gratiarum rivulos per alimentum corporis transfundat in animam. Habes essentiam Christi totam & integram, nempe divinitatem, animam, corpus, & quidem ejusmodi ut haud aptius quod in convivio apponatur effinxeris. Sin de integritate quis dubitet, nisi corpus quod vocant organicum, atque omni membrorum varietate proferatur instructum, is munitissimas quasque panis, & vini particulas quæ sub sensum cadant in hujuscemodi corpuscula fabricatas cogitet, atque ex animalculis minimis, neque sine conspiciliorum ope conspicuis exemplum in promptu habeat. Hoc adjunxi tum quia omnibus satisfactum velim, tum quia Tridentinorum Patrum discipulum potius, quam Interpretem agere malim. Cæterum utrumvis eligas, in nihil offendis, quod Philosopho vel levissimam molestiam, aut moram afferat. Non erit anxius de corpore pluribus locis à seipso diviso, neque extensione, seu essentia spoliato; neque portentosa quadam, atque incredibili mutatione de rerum singularum proprietatibus intimis, & essentia incommutabili dubitabit. Plurimas quæstionum inanium quisquilias è sententia vulgari natas tam facile dissipatas, & in nihilum redactas esse gaudebit. Si eorum quæ de spiritualium loco diximus forte meminerit, quamque is iis æquivoce, ut D. Thomas loquitur, tribuatur, de anima Christi in hostiis simul plurimis plurimumque disjunctis rationem reddet facil-

Identitas propria, & propriissima.

Quomodo Christus in Eucharistia.

l. 2. n. 17. infra quoque l. 5. n. 22.

facillimam. Neque minus Theologo quàm Philosopho facilitatis accedet.

Absentia panis ex vi verborum evincitur.

Non erit quare cum Hæreticis, atque adeo cum quibusdam Catholicis ut Scoto, Durando, & Paludano luctetur, ut è verbis Christi absentiam Panis extorqueat; non enim corpus corpori in eodem spatio penitus immersum fingi potest, ab eo qui corpus ab extenso nullo modo distinguit, spatiumque & extensum idem omnino, cogitatione tantummodo ad diversa relatum noverit; verùm consecutione non morali, sed Metaphysicâ, seu certissimâ veritatem fidei indubitatum evincet. Accidentis notionem claram, veram, & veterem retinebit, quod non est ut quid, sed tantum ut quo, non Ens, sed Entis Ens seu affectio, nec re, nec mente quidem à subjecto separabilis; namque elementa in corpus Christi, & sanguinem transformata, quid ni ab animâ Christi, & operâ divinâ, eos motus & ipsa suscipiant, & corpusculis luminosis, sonoris, aliisque imprimant, ut eodem modo sensuum pulsentur organa, quo à pane, & vino feriri soleant? Paria Magi dæmonis ope præstant. Neque hic indignas Deo præstigias suspiceris. Neque enim aliena veste vult fallere, qui quis sit perseipsum & præcones edicit. Cæterùm quod Theologi magis interest, separatione atque etiam distinctione accidentis à subiecto ex animis evulsa; quam solo mysterii hujus obtentu constat inrusam, perfacilis & actus liberi, & Trinitatis evadit explicatio, quibus alii dum Eucharistiæ medelam apparant, insanabile vulnus infligunt.

Quid sit manere species panis.

§. 16. At species manent: nempe caro Christi veluti panis apparet, atque ejusdem quasi speciem ostentat; de accidentibus tacent Tridentini Patres, ne quis eos tam male feriatos putaret, ut de talibus Scholasticorum næniis decreta conderent. Quod instar panis appareat, id Christi corpus esse, panem non esse ex scripturis, ex Patribus, ex Ecclesiæ usu pronunciant; præclara illa accidentia, quæ à subjecto divulsa subsistant, à Patribus silentio prætermissa, antiquorum Philosophorum suffragiis abrogata, à Scholasticis tantum, ut alia multa incertissima, excogitata sciebant. Læsæ Conciliorum Majestatis reus est, quisquis eam ad liquida puræ fidei dogmata ex hujuscemodi fonte haurienda, detrudit. Nequicquam etiam obtenditur Wicleffi articulus secundus à Constantiensi damnatus, quo accidentia panis sine subjecto manere in Sacramento negat. Nam ex primo, & tertio, quibus panis præsentiam, Corporis Christi absentiam asserebat, quid in secundo execrandæ fraudis lateret, innotuit, nempe quod panis non esset, id panis præ se speciem ferre non posse. Accidentia vero à seipsis suspensa hoc loco sancita qui sentiat, is non modo Conciliorum, sed & vocabulorum ignarus evincitur. Eos motus effici, quibus tali modo sensum panis afficiat, ad panem quidem attinet; sed quia impediri potest, non ad subsistentiam,

ſtantiam, ſed ad ea quæ ſubſtantiæ accidunt referatur oportet. Manent igitur accidentia panis ſine ſubjecto, ſeu pane, ad quem ex partium conſtitutione, ſeu naturâ pertinent, cum iidem motus non ex pane, ſed carne proveniant. Deinde quam cuique articulo notam inurat Concilium, ex ſententia quâ alios hæreticos, alios ſcandaloſos, temerarios alios, aut piarum aurium offenſivos indefinitè pronunciat, ægre diſpicias. Licebit igitur huic leviſſimam aſſignare, quod pias aures offendat, Hancque offenſionem non ſemper ex falſitate contingere, & perſonarum, & temporum viciſſitudine perſæpe penitus evaneſcere, nemini obſcurum eſſe poteſt. Deinde quæ in Lateranenſi magno, & Florentino de Euchariſtiâ definita reperit, ea repetenda cenſuit Tridentinum. Hoc igitur, ſi à Conſtantienſi putaſſet declaratum, non adeo vel ipſum nomen accidentium exhorruiſſet. Quod quidem licet ſano, & veterum ſapientum ſenſu explicatum, nihil habeat incommodi; prudenti tamen conſilio ſpecies potius, quam accidentia manere docet, ne hęc nova accidentium abſtractorum monſtra, interpretatione id temporis Scholaſticorum uſu recepta, decretis fidei ab incautis aſcribere videatur. Id autem accidentium genus quantum à Philoſophiâ diſſideat alibi oſtenſum; quantum etiam hoc loco, quem ſine illis impervium vulgus exiſtimat, cuique complanando confiƈta ſunt, Theologo obſint, paucis oſtendam. Expedire ajunt D. Thomas, Bellarminus, & alii eos ſecuti, nihil panis in Sacramento eſſe reſidui, ne plebis ignaræ adoratio in ipſum quoque panem forte incidat: at ab accidentibus etiam magis timendum erat, in ea enim directè & proximè, immo in ea ſola proprie ſenſus incurrunt, neq; enim pellucet operculum quo ſubſtantia clauditur: in eis mentem ſiſtunt, neque ultra provehunt, neque plebs per ſe altius penetrat, ut arcanam è latebris ſubſtantiam eruat, niſi longo labore, vel, ut ego ſentio, errore occulta perrumpat penetralia. Nam ſi accidentia ſunt res, non rerum affectiones, ſi ſenſum ipſæ movent, paſcunt, & terminant, ac proinde quod nobis de corpore conſtat efficiunt, nihil ultra de eo populus quæret aut capiet; & quare, vel quo porrò pergat, necdum à Philoſophis monſtratum eſt.

I. r. Accidentia vulgaria neque Euchariſtiæ quidem congruunt.

§. 17. Vide ſis etiam quâ vi abſentiam panis è Chriſti verbis exprimas? Hoc eſt corpus meum. Ecquid à pronomine demonſtrativo ſignatur? Ego tibi mox Chriſti corpus exhibeo; nam in accidente quod, mea ſententia, non eſt ut quid, ſed tantum ut quo aliquid, ſiſti nequit; tu mihi accidens, vel accidentium cumulum aſſignare teneberis; illud enim demonſtratur quod oculum, aut manum vellicando, ſe cognoſcendum offert, cum tale ſit in quo cognitio hærere, & figi queat. At prolata inquies voce ultima, cum primùm reliquæ ſignificandi vim obtinent, accidentibus Chriſti corpus ſubeſt; ſubſtantiam itaque latentem, accidentia, ut par eſt, indicant. Sed ſi

par est substantiam ab accidente monstrari, palam est, accidenti naturam huic muneri parem tribuendam. Esto igitur rei tantum modificatio, non res alia diversa, nedum à seipsa suspensa, in quâ Spectator defigat obrutum: neque ultra sine ratiocinatione parum obviâ, & apprimè difficili, & mihi quidem improbabili progrediatur. Si accidentia sint talia, qualia tu fingis, ad substantiam occultam excludendam potius, quam indicandam nata videntur. Actionem enim & passionem, extensionem quoque, atque adeo naturæ corporeæ dignitatem omnem, & proprietatem sibi vendicant. Substantiæ inextensæ, inconspicuæ, inaccessæ, inerti, quod ad corporis notionem, vel operationem pertineat, nihil relinquis. Quantitas accidentia recipit atque sustentat; hæc si alio egeat sustentaculo, etiam huic basi stylobatam aliam atque aliam deinceps sine fine supponas. Nihil autem ineptius quam ut quantitatem extensam substantia extensa recipiat, fulciatque. At accidentia forte diffluent, nisi ea simul complexu quodam substantia coerceat, atque constringat. Quoties tibi inculcatum est: nil sine contrario destrui, vel dispergi? illius autem vim adversam, si quando invaserit, non substantiæ ignavæ subsidio, sed suis ipsa armis accidentia repellunt. Deinde mihi declares pervelim, accidentia extensa quo gremio foveat, quo ambitu circumscribat, quibus denique cancellis substantia inextensa cohibeat. Tantum igitur abest ut hoc accidentium genus pronomine uno grammatico substantiam arcanam indicet, ut neque multiplici syllogismo Analytico demonstret, vel illius demonstrandæ tenuissimam umbram ostendat. Atque hoc mihi maximam admirationem movet, quod de tam incongruâ explicatione mysterii tantum sibi Scholastici, tantoque consensu plaudant. Extensionem rotundam, albam, mollem, sapidam, compactam, siccitate, humore, calore frigore temperatam relinquunt illibatam, & integram, eamque è rebus & subsistentibus, & agentibus conflatam asserunt; binas umbras inanes ignotas, inutiles, inextensas, atque adeo à ratione corporis alieniissimas clanculum subducunt; atque hoc facto non modo quicquid in pane maximè proprium, peculiare, insigne, præcipuum est; sed naturam, substantiam, essentiam illius. Universam, totum illius esse, id omne quod est, penitus ablatum altâ voce proclamant. Testor purum, & sincerum, & nondum disciplinâ corruptum humani generis sensum, testor communem veteris Philosophiæ sententiam. Hoccine est rem integram, totum id quod Panis est funditus eruere, radicitus evellere, & nil nisi speciem, signum, vestigium relinquere? Non quæro quibus argutiis contradicentem eludas, sed quibus argumentis viro perspicaci, & verum haud fictis indiciis vestiganti persuadeas?

§. 18. Jam vero summotis panis & vini substantiis, qualem escam & potum,

potum fidelibus ſubminiſtras? Quod ad partem corpoream attinet, nudam, nudam inquam corporis ſanguiniſque materiam: de animæ & divinitatis concomitantia à Tridentino doceor, eademque aliis verbis à Patribus didici; de accidentium carnis & ſanguinis concomitantia Scholæ loquuntur, Concilia & Patres ſilent. Diris Tridentinum devovet negantes *in ſanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramento contineri vere, realiter, & ſubſtantialiter corpus & ſanguinem una cum anima, & divinitate Domini noſtri Jeſu Chriſti*, ac proinde totum Chriſtum; quod autem ſaporis, coloris, caloris, extenſionis ſenſum imprimit, non eſt, uti mea, ita tua ſententia, ipſa Chriſti corporis, & ſanguinis ſubſtantia; neque etiam accidentia propria quibus imbuitur, ſed aliena tantum & extranea quibus tegitur: immo quod propria ſecum è cœlo in Sacramentum deferat, cum neque ſubſtantiæ corporis, & ſanguinis, neque totius Chriſti partes ſint unde conficies? Ea quidem diſcipulis in Schola diſceptanda proponas, ſed fidelibus in Eccleſia credenda tradere non audebis. Diſcipuli quoque, niſi rudes & tardi ſint, magis hic quam rebaris moleſtos, & indociles experieris, haud facile clamoribus vel perſuaſionem facies vel ſilentium. In Concilio de ſubſtantia tantum & partibus Chriſti docemur; quorſum accidentia obtruduntur, quæ nihil omnino patiantur, aut agant, ſed miris modis permixta invicem, confuſa, & conſtipata lateant, torpeantque? D. Thomam audimus clara voce dicentem, Chriſtum Sacramento ad ſubſtantiæ modum ineſſe, ideoque totum in toto, & totum in qualibet parte; atque hoc quidem quod ad totius corporis ſubſtantiam attinet, cùm intellectu difficile ſit, tum ſi quantitatem, vehiculum accidentibus onuſtum inferas, evadit longe difficillimum. Accidentia tu ut ſubſtantiæ ſupellectilem aſportanda contendes; illi inſtrumenta; & ornamenta, inutilia, inconſpicua, fide non cogente, Philoſophia reclamante, in tantas anguſtias contrudenda negabunt. Verum utcunque cum diſcipulis pro authoritate tranſigas, à fidelibus haud amplius quam corporis, & ſanguinis ſubſtantiam nudam exiges. Age nunc, Chriſtus corporis ſui ſubſtantiam in eſcam, ſanguinis in potum exhibet. Quid hoc præter puram putam materiam primam, ut neque potum ab eſca diſtinguere, neque quicquam magis jejunum, exile, inane, umbraticum ab omni ſenſu remotum fingere queas? reliqua enim incerta ſunt, & in utramque partem etiam inter Scholaſticos diſputata. Formam communem corporeitatis pauci ſtatuunt, ſanguineitatis alteram nemo confinxit quippe quam corporeitas generalis includat. De partialibus formis, oſſis, carnis, ſanguinis, cartilaginis etiamnum litigant. Accidentia quibus corpus organicum fabricent, ad ſubſtantiæ notionem aut nomen haud pertinent, neque ex fide quamobrem comitentur evincunt. Non eſt igitur

Trid. ſeſſ. 13. can. 1.

3. p. q. 36. a. 1. ad. 3.

credibile Eccleſiam de utriuſque tum corporis, tum ſanguinis ſubſtantia ſub una ſpecie diſtribuenda ſollicitam, ad hoc Philoſophiæ genus, quod nihil firmi de utriſque differentia ſuggerit, reſpexiſſe. Cæterum locus hic, licet aliis præruptus, mihi planiſſimum factum videas. Ego carnem & ſanguinem ex elementis quæ conſecranda ponuntur, facta, diſcrimine tam manifeſto diſtinguo, quam inter ſe aquæ, oleique ſubſtantia diſtinguatur. Extenſum etenim ea partium figura, magnitudine, connexione præditum, ut aptum ſit agere & pati, ac ſpeciatim ſenſum certo modo percellere, id ego ſubſtantialiter carnem appello; alio quodam modo conſtitutum ſanguis eſt, itidemque de peculiari & ſpecifica corporis cujuſque natura cenſendum. Jam quia ea panis & vini mutatio facta eſt, ut ex ſingulis cujuſque particulis ſanguinis guttula, carniſque portiuncula ſit conſtructa; vel ſi neceſſe ſit, corpuſculum omni membrorum varietate formatum, palam eſt Chriſtum parte qualibet totum contineri, non modo quoad divinitatem, & animam ſingulis copulatam; verum etiam quoad carnem, & ſanguinem ad ſubſtantiæ modum, vel naturæ conſiderata; nam aqua è notione ſubſtantiæ, non quantitatis accepta in gutta minutiſſima tota conſiſtit. Vbicationum hic ſpiritualium nulla figmenta, quibus magna corporis moles decreſcat in minimam; vel potius in ſpiritum, aut nihilum evaneſcat; caligo nulla præſentiæ millies ut vocant replicatæ, implicatæ quidem certe, & nondum mille millium conatibus explicatæ, ut corpus Chriſti totum in qualibet parte conſtituant.

Suffragia Patrum.

§. 19. Auſculta nunc ſedulo, ut ex Patribus antiquitate, & authoritate primariis, quale ſit Chriſti corpus, & ſanguis in Sacramento cognoſcas. *Cibum*, ait Juſtinus, *qui per preces ſermonis, quem ab eo accepimus, conſecratus eſt, & quo ſanguis, carneſque noſtræ communione aluntur, Jeſu Chriſti, qui homo factus eſt, & carnem & ſanguinem eſſe accepimus.* Quid Iremæus? *Quando mixtus calix, & fractus panis percipit verbum Dei, fit Euchariſtia corporis & ſanguinis Chriſti, ex quibus augetur & conſiſtit* carnis noſtræ ſubſtantia. Alibi ſic. *Quomodo autem rurſus dicunt carnem in corruptionem devenire, ut non percipiant vitam quæ in corpore Domini & ſanguine alitur.* Tertullianus autem antiquitatis teſtis optimus. *Caro corpore, & ſanguine Chriſti paſcitur, ut anima de Deo ſaginetur?* Hilarius vero non ſolum dicit filium Dei *carnaliter* in nobis manere per Euchariſtiam, ſed etiam ab illius nos carne nutriri. Illud enim hæc verba ſignificant. *Si ergo nos naturaliter ſecundum carnem per eum vivimus, id eſt naturam carnis ſuæ adepti, quomodo non naturaliter ſecundum ſpiritum in ſe Patrem habeat, cum vivat ipſe per Patrem.* Gregorius etiam Nyſſenus, & Chryſoſtomus clarius loquuntur. Ille de Chriſto loquens, *per carnem*, inquit, *inſerit ſe omnibus credentibus, commiſtus, & contemperatus*

2. Apol. ad Ant.

l. 5. c. 2.

l. 4. cõn. hær. c. 34.

Lib. de reſur. carnis.

Lib. 8. de Trin.

Or. Catech. c. 37.

ratus corporibus credentium. Hic autem de Christo similiter. *Nos secum,* ait, *in unam* (*ut ita dicam*) *massam reducit, neque fide solum, sed reipsa nos suum corpus efficit.* Alibi vero, reipsa nobis commiscri carnem ipsius. Audi nunc Galenum: *Altrix facultas, vel nutrix est, quæ alimentum in corporis substantiam convertit, eique assimilat, ut resarciat quod exhaustum est.* Ecquis his ducibus quantamlibet Scholasticorum aciem reformidet? quos si Metaphoris, & ambagibus nitantur eludere, videant ne Hæreticis figurarum & troporum arma suppeditent. Qua vero fronte hæc sensu proprio communi sententiæ applicare audeant? An corpore, & sanguine Christi, quæ mox corruptis in ventriculo speciebus subducuntur, longe antequam per venas capillares percolata partibus adhæreſcant, alitur, augetur, & consistit corporis nostri substantia? Num quod evanuit, id quod exhaustum est resarcit? Aut ex eo quod propediem corpore absistit, ejusdem corporis substantia consistit? Quid si diu persisteret? Sane quod inextense, & indivisibiliter existit, nec in eandem cum extenso dividuo massam reducitur, neque eidem commistum, contemperatum, assimilatum ponitur. Neque etiam *sensualiter* manibus Sacerdotum tractatur, frangitur & dentibus fidelium atteritur. Hac tamen formula Berengarius à Nicolao Secundo & Concilio Romano Episcoporum centum & tredecim, quod à Guitmundo illius ævi scriptore celebri generale vocatur, Fidem profiteri cogitur. Ipsa verba subjungo. *Consentio S. Romanæ Ecclesiæ, & Apostolicæ, & ore, & corde profiteor de Sacramento Dominicæ mensæ eam fidem me tenere quam Dominus Venrabilis Papa Nicolaus & hæc Sancta Synodus authoritate Evangelica & Apostolica tenendam tradidit, mihique firmavit; scilicet Panem & Vinum quæ in Altari ponuntur post consecrationem non solum Sacramentum, sed etiam verum corpus & sanguinem Domini nostri Jesu Christi, & sensualiter, non solum sacramentaliter, sed in veritate manibus Sacerdotum tractari, frangi, & fidelium dentibus atteri.* Age dic bona fide, tu si tunc temporis Papa fuisses, & corpus Christi ipsissimum quod in cœlis est sub accidentibus inextensum, & individuum latere censuisses, fidem his verbis ab animi tui sententia tam alienis concipi consentisses? Intactile, & insensibile sensualiter tractari, inextensum, & individuum atteri, frangi dixisses. Si quod à quibusdam narratur te præsente contingeret, ut vaginam gladio illæso fulgur absumeret, tu gladium pariter absumptum scriberes. Id autem scribendo non quidem quod factum fuit, attamen quod & fieri & credi posset referres, at individuum dividi, intactile tangi, non modo incredibile sed impossibile est. At exaggerate Concilium loquitur. Eo nempe disputationis ardor quandoque Patres abripit; hoc loco tranquilli sedent, non disputant, sed definiunt. Patres in Concilio litibus finem imponunt; ambigue

Hom. 83. in Matth.

Hom. 45. in Joan.

1. nat. fac.

Et Concilii Romani sub Nicolao 2.

&

& exaggerate loquendo, dum errorem unum perimunt, alium parturiunt. Interpretatio ultima nisi clara sit, neque ultima est, neque interpretatio est; non ultima; quia ulteriorem postulat: non interpretatio; quia ad verba interpretanda frustratum remittit. Nihil hic Theologicæ ratiocinationis intextum, puram fidei professionem authoritate Evangelica & Apostolica tenendam habes. Talia in me si ex Tridentino proferre posses, quantis conviciis, & maledictis incesseres? Ego vero sententiam cum Tridentino neutiquam dissentaneam, tum horum Patrum & eorum quos nuper recensui ore pronunciatam affero. Neque enim aliud loquuntur cum nos carne Christi nutriri, eam à nobis tangi, frangi fatentur. Quæ pani, eo quem exposui modo, converso tam apte conveniunt, ac si de pane necdum in aliam commutato substantiam dicerentur. Et quod ad nutritionem quidem attinet tanto aptius, quanto caro carnem affinitate naturæ plenius nutrit. Unde etiam obiter observes, nutritionem eorum, qui longo tempore haud alio quam Eucharistiæ alimento vixerunt. Nam parum exhaustum est, & parvo subsidio resarcitum.

§. 20. Aliud autem magno pietatis sensu, & fructu perpendas: Cynerem martyris quondam animæ copulatum, cultu religioso, ut æquum est, ori applicas, & pectori appressum gestitas. Adesto nunc animo, & ad ea quæ dicturus sum diligenter attendito. Corpus Christi, quo ex sententia communi nec ventriculus tangitur, moxque speciebus corruptis abducitur; illud ipsum quod ex pane & vino fabrefactum est, quodque animæ & divinitatis amplexu consecratum est, à ventriculo non modo tangitur, verum etiam ut alimenta cætera elaboratur, perque venas lacteas in alias sanguini nostro permiscendum transmittitur, atque ea circuitione sanguinis, quæ ab Hervæo Nostrate argumentis est firmissimis stabilita, corporis partes singulas, & cor præcipue per veras, & arterias commeans, remeansque velut templum quoddam lustrando, expiando, & dedicando obit, donec ut nutritionis ratio postulat, fibris (forte cordis præcipue) agglutinatum, & intextum, non modo corpus in præsentia mortale augeat, verum etiam ad immortalitatem futuram, uti Patres sæpe loquuntur, præparet, consecretque. Cogita quale, quam sacrum, quam divinum amuletum non collo appensum, sed cordi insitum, visceribus infixum geras: quod licet ab anima Christi & divinitate disjunctum, atque in naturam tuam denique transformatum, tamen & Martyrum cineribus minus mutatum est, fuitque nec ita pridem, rebusque majoribus, & vinculo sacratiore conjunctum. Panem hunc epiusion, id est, Essentiæ tuæ addendum, in teipsum mutandum quotidie postula & enixe. Quamvis autem conversione panis in corpus Christi, naturæ panis specifice sumptæ nihil

Pia contemplatio in doctrina superiore fundata.

τὸν ἄρτον ἡμῶν τὸν ἐπιούσιον. Luc. XI. 3.

rema-

remaneat, & corporis Christi in corpus tuum transitione, substantia illius in tuam magis affinem, minusque dissimilem conversione non specifica sed individuali mutetur; naturam tamen communem, & generatim acceptam si penitus extinctam velis, conversionis substantialis, qua substantiam aliam ex alia factam dicimus, notionem perspicuam, & significationem propriam planè destruis. Tu si materiæ formæque panis in nihilum redactis, Christi corpus adductione, aut productione substituas, hoc ex illis factum, illa in hæc transsubstantiata verborum vim scientibus dicere audeas. Hoc illorum loco, vel vice supponi, subjici, subrogari per me licet affirmes (tametsi necdum vice panis quo pacto Corpus Christi propriè fungatur ostenderis) at ex substantia panis fieri, quod abeunti, vel etiam obeunti succedat, atque illius exuviis licet modo planè dissimili vestiatur, hominum & sensus, & sermo respuit. Siccine interpreteris Ambrosium. *Id quod fuit panis, Est corpus Christi:* nam si id quod fuit, est; certè aliquid tempori præterito, & præsenti commune intelligendum est; quid autem, nisi substantia notione communi & generica intellecta, id est extensio eadem modo in hanc, modo in illam naturam specificam conformata? Nam accidentium acervus neque fuit panis, neque est corpus Christi, neque ex illo factum est corpus Christi. l. 4. de Sacr. c. 4.

§. 21. Atque hinc trophæum quod Lutherani ex Theodoreti & Gelasii verbis erigunt nullo negotio demoliaris. *Neque enim*, ait ille, *signa mystica per sanctificationem recedunt à sua natura, manent enim in priore substantia, & figura, & forma, & videri, & tangi possunt sicut prius: intelliguntur autem ea esse quæ facta sunt, & creduntur, & adorantur, ut quæ illa sint quæ creduntur.* Gelasius autem non minùs apertè loquitur. *Esse*, ait, *non desinit substantia vel natura panis & vini*, & paulo post, *in divinam transeunt, sancto spiritu perficiente, naturam.* Nempe manet natura panis & vini quà natura quid commune significat, locutione Patribus usitata, qui quod in Trinitate personis commune est naturæ vel substantiæ tribuunt; transit natura panis & vini, quà natura quid cuique peculiare & specificum indicat, in naturam carnis & sanguinis, quæ propter unionem cum Divinitate, à Gelasio divina propriè nuncupatur, à Theodoreto meritò adoratur. sic genuino verborum usu uterque sibi, & invicem, dum manere & transire asserit, clarè consentit; neque à reliquis partibus, qui de mansione silent, de transitione, videlicet in naturam aliam specificam, palam passimque pronunciant, ullo modo dissentit. Sententia vero vulgaris in miras angustias Bellarminum, & Baronium redegerunt. Accidentia substantiæ & naturæ nominibus significari volunt, quod cum ubique difficile, tum hoc loco difficillimum esse liquet.

Interpretatio facillima Theodor. & Gelasii. Theo. Dial. 2. Gel. de duab. nat. adversus Eutych. & Nestor. in Biblioth. Patrum. & apud Baron. tom. 6. an. 496. & Bellar. de Sacr. Euch. l. 2. c. 27.

Theodoretus enim si accidentium cumulum vocat substantiam, cur figuram adjungit quam tu accidentium acervo semper accumulas ? Gelasius autem Papa è Sacramento velut imagine, duas in Christo naturas distinctas eruit. Sin autem substantia panis sola accidentia in Sacramento significat, haud amplius Christo extra Sacramentum, quam humanæ naturæ accidentia, ex hoc similitudinis argumento tribuit. Papam appellavi Gelasium, licet Baronius renuat, Bellarminus dubitet, quia hunc ei Librum S. Fulgentius coævus adjudicat, neque quicquam tanto Pontifice indignum continet. Qui cum Christum in Sacramento similitudinem esse & inaginem Christi extra Sacramentum, veluti rem notam & concessam assumat, utrobique corpus idem ipsissimum non esse demonstrat ; itidemque Hieronymus cum carnem spiritualem, & divinam in Eucharistia à crucifixa distinguit, Augustinus etiam, *Non hoc corpus* inquit, *quod videtis manducaturi estis, & bibituri illum sanguinem, quem fusuri sunt qui me crucifigent.* Alibi vero aliter loquens citatur. *Hoc accipite in pane quod pependit in cruce.* Sed omnia facillime conciliantur. Corpus est idem quia eidem animæ, & Divinitati unitum, non est idem ipsissimum quia ex alia corporea massa constructum. Quanquam antiqui rarius idem Christo in Sacramento, & cœlo, vel cruce corpus tribuunt, sed ejusdem potius quam idem affirmant. *Caro Ejus est*, ait Augustinus apud Algerum, *quam forma panis opertam in Sacramento accipiunt* : similiter Chrysostomus *Illius*, inquit, *corpus, & sanguis est qui super cœlos est*, atque hujuscemodi locutione passim occurrunt.

Et aliorum Patrum.
1. c. ad Ephesios.
In Ps. 3.
Ab Ivone Carnol. & Paschasio.
l. 1. c. 5.
Hom. 3. in Ep. ad Eph.

§. 22. At sanguinem effundendum in passione discipulis propinavit. Sed de fusione, seu libatione in sacrificio præsenti, intelligendum asserit Maldonatus ; & tres Euangelistæ græco sermone tempus præsens indicant. favet etiam phrasis qua poculum potius sanguinis, quam sanguis fundi dicitur : denique si effusionem è corpore, non calice interpretari persistas, est idem sanguis tum identitate quam diximus unionis, tum identitate partium ejusdem liquoris ; quod enim Christus ipse bibit in venas transmisit, atque illius saltem aliquid tormentis effudit. Paucula quæ sedulò corradunt, & nonnunquam malitiosè corrodunt hæretici, mihi parum, aut prorsus nihil incommodant. Quid si Augustinus alicubi de figura, signo, memoria suspicionem afferat, cum alibi aliis consentiens de veritate disertis verbis loquatur ? Ego enim inter corpus Christi sacramentale, & naturale discrimen quod postulant evidenter ostendo. Alia vero quæ Scholasticos torquent, me non attingunt. *Spatia tolle corporibus, & nusquam erunt, & quia nusquam erunt, nec erunt : tolle corporea qualitatibus corporum : non erit ubi sint, & ideo necesse est ut non sint.* Mihi neque corpus Christi contrahitur, neque qualita-

l. 3. de Trin. c. 4. contra Adiam. c. 12.
l. 20. contra Faustum c. 21.
tract. 26. in Joan.
Ep. 67. ad Dard.

tes

tes panis abstractæ subsistunt. Quid si dicat, *Corpus Christi in quo resurrexit, uno in loco esse potest: Veritas ejus ubique diffusa est?* Neque enim ego corpus illud per loca plura dispergo, neque simul è cœlo migrare, & ibidem manere doceo. Augustinum Hæretici sibi hactenus arrogabant nullo quidem jure; sed deinceps neque ullo quidem colore repetere possunt. Difficillima quæque facillimè dissoluta sunt; leviora quibus populum cohortando, Eucharrstiæ sensum spiritualem, & moralem applicat, ab aliis abundè confutata reperies. Libet hic adjungere Damascenum, quo & fidem meam adversus Hæreticos; & opinionem contra Scholasticos tueri licet. *Non est,* inquit, *panis & vinum figura corporis & sanguinis Christi (absit enim hoc) sed est ipsum corpus Domini deificatum, ipso Domino dicente: Hoc est meum, non figura corporis, sed corpus, & non figura sanguinis, sed sanguis.* & paulo ante docuerat transmutationem fieri panis, vini, & aquæ in corpus & sanguinem Christi, ita ut non sint duo, sed unum & idem, sicut esca & potus in corpus comedentis vertitur; eâ tamen differentiâ quod illud invocatione, & adventu Spiritus sancti ὑπερφυῶς, id est supernaturaliter peragatur; non quod corpus assumptum ex cœlo descenderit, sed quod ipse panis & vinum transmutetur in corpus, & sanguinem Christi. Superiùs autem sic loquitur, *Quia mos est hominibus panem manducare, & vinum & aquam bibere, conjunxit his ipsis divinitatem suam, & fecit hæc suum corpus, & sanguinem, denique prope capitis finem ista* leges (neque enim locum hunc totum perlegisse pigebit) *Nam quia ex uno pane participamus omnes, unum corpus Christi, & unus sanguis, & invicem membra efficimur, concorpores Christo redditi.* Vides hic quod ipse è perspicua corporis notione, corporumque in se invicem conversione notissima, ad scientiæ claritatem, cum veritate fidei conciliandam affero, id à viro sanctissimo juxta ac doctissimo, tot ante sæculis, prope totidem verbis expressum. Pani, & vino transmutatis conjungatur Divinitas, ex iisdem Christi corpus & sanguis efficitur, non autem corpus quod in cœlis est eorundem loco subjicitur; dumque corpus illius in nostrum, facultate nutrice vertitur, haud paulo majore sermonis proprietate concorpores Christi dicimur, quam si mox corruptis in ventriculo accidentibus, è corpore nostro quod neque ingressu quidem tetigit, evanescat. Audi nunc alium quem neq; Hæretici antiquis doctissimis, & sanctissimis Patribus accensendum negant, quemque Cypriani Carthaginensis nomine Bellarminus allegat. *Panis iste quem Dominus discipulis porrigebat non effigie, sed naturâ mutatus, omnipotentia verbi factus est caro, & sicut in persona Christi humanitas apparebat, & late latebat Divinitas, ita Sacramento visibili ineffabiliter divina se infudit essentia.* Sane communi sententiæ si adhæsisset, non carnem è pane factam, sed eidem

Locus insignis Damasceni. Damasc. l. 4. de fide cap. 14.

Inter opera Cypr. Serm. de cænâ Domini.

potius ſubſtitutam dixiſſet, neque de corporis infuſione mirabili tacuiſſet; Hujus enim ex opinione vulgari longe magis eſt ineffabilis, quam Divinitatis infuſio.

Objicien-dis occur-ritur.

§. 23. Verum ut, quod ab imperitis opponi poſſit, occupem. Si quis Academiæ potius, quam Eccleſiæ famæ conſulens, Scholaſticorum in re Philoſophica de materia, forma, accidentibus, converſione conſenſum, ab Eccleſiæ Catholicæ ſenſu ægrè diſtinguat; malitque fidem Catholicam ab hæreticis perniciosè contemni, quam doctrinam Scholaſticam ab ullo Catholico vel ad fidei defenſionem, impunè culpari; eum ex hoc loco monitum velim, non hic de re ludicra agi, neque ut in ludo literario adoleſcentibus tantum exercendis problemata vana proponi; religioni habendum, ſi quid non religiosè, ſed factiosè partium potiùs, quàm veritatis ſtudio tractetur: ſemper cum dedecore, nunc etiam non ſine ſcelere quemquam falſitate glorioſam aucupari. Meminerit quoque patrum dicta, ſi quæ, ut in re obſcurâ, minus aptè noſtræ quadrare ſententiæ forte putaverit, ea cum aliis quæ à nobis allata ſunt, & à verborum proprietate, & ab Authorum tam numero, quam dignitate conferre. Sin è Concilio Tridentino argumenta proferat; ejuſmodi ſint, ut eorum, quæ de Conciliis Melchior Canus qui Tridentino interfuit, aliique Doctores Catholici, minimeque ſuſpecti differant, quâ verborum formula, puram, claram, rationibus nullis, & explicationibus Theologicis permixtam, nulloque modo, quoad ſermone humano aſſequi licet, ambiguam doctrinam fidei declarandam aſſerant, inſcius, aut immemor dici non poſſit. Neve nimium emungendo ſanguinem eliciat, doctoreſque quos nolit vulneret, & ſanam fidem à Concilio Romano traditam Berengario; prorſus interimat, tum incauto fatuoque rigore, Concilia inter ſe, & cum Patribus conciliandi ſpem auferat. Tridentinum docet Deum permiſſivè ſolùm mala operari, ab eo tamen à multis etiam prædeterminatione quadam ineluctabili, à reliquis cooperatione ſaltem phyſicâ fieri dicuntur. Senſus diviſi exceptione, Thomiſtæ adverſarios hactenus impunè contemnunt, cum liberum arbitrium *excitatum* (quod ſenſum compoſitum non obſcurè tamen indicat) diſſentire poſſe contendunt. Characterem phyſicum etiam nuper in dubium quidam vocant, neque characteris indelebilis, animæque impreſſi voce terrentur. Chriſtum totum ſub ſingulis cujuſque ſpeciei partibus ſeparatione factâ contineri, in canone ſexto legimus; neque amplius definitum Suarez pariter, & Vaſquez affirmant, tametſi id capite tertio abſolute, nullâ ſeparationis abhibita reſtrictione dicatur. Angelos incorporeos fide non credimus, licet Nicænum ſecundum, & Viennenſe haud paulo graviùs huc incumbant, quam Tridentinæ

Seſſ. 6. can. 6.

Seſſ. 6. can. 4.

Seſſ. 13.

Nic. act. 5.

tini vox ulla ſententiam meam premat. Cenſorem rigidum componendis inter ſe Euariſto Papa, Tridentiniſque Patribus circa matrimonia clandeſtina non exagito; ſed ne ad pauca reſpiciens facile, & temere definiat, ſeque ſuoſque in difficultates ſummas ea temeritate conjiciat, etiam atque etiam moneo. Vien. c. firmiter. Evar. apud Grat. d. 30. q. 5. Trid. ſeſſ. 24. c. 1.

§. 24. Hæc eo dicta ſunt, non quo Patrum, Pontificum, conciliorumque ſententiæ inter ſe conciliari non poſſe doceam; quas longe faciliori negotio, quam plurima ſcripturæ loca ad concordiam reduci conſtat; ſed quo Dialecticos condocefaciam, quam imperitè & periculosè voculis captandis & premendis incumbant, eorum immemores quæ maxime à ſapientibus ſpectari debeant. Nempe ut quæ obiter inſerta ſunt, ab iis quæ meditate decreta ſunt; definitionem Eccleſiaſticam, ab explicatione Scholaſticâ; Philoſophiam diverſis ſæculis variantem, à fide ſtabili, ſibique ævo omni conſentiente, dijudicent; tum Pontificum reſponſa particularia, ab oraculis diſtinguant generalibus; Patrum ſenſa, verborum interpretatione perſpicuâ, & locorum plurium collatione perquirant; atque univerſim quid cuique propoſitum, contra quem quiſque ageret, quis controverſiæ nodus & nucleus, quid è re fuerit declarari atque apertè decidi, conſiderent. His ritè ſervatis, neque Scholaſtici tam facile Cenſores fierent, neque in tam fædos Hæretici errores inciderent. Atque horum quidem hoc loco præ cæteris lapſum admiror, quo nullus uſpiam Patrum conſenſu, atque Eccleſiæ ſenſu complanatior. Neque fidei Philoſophiam obtendere poſſunt. Tum quia communem de Materiâ & formâ, quibus corporum ſubſtantia contineri putatur, in Academiis hactenus, niſi forte quippiam nuperrimè innovatum fuerit, docuerunt. Quare nihil ipſi cauſari queunt, quin Panis ſubſtantia occultè ſubtrahi, eique clam corpus Chriſti ſubſtitui Scholaſticorum exemplo, à quibus Philoſophiam hauſerunt (neque enim quicquam ab iis excogitatum invenio) cenſeant. Tum quia conceſsâ ſubſtantiis corporeis penetratione mutuâ, quam materiæ & formæ non negant, de corpore uno, non uno loco contento, fruſtra litigant. Neque enim hoc illo abſurdius probare poterunt. Immo magis abſurdum eſt alterutrum rejicere, quam utrumque ſuſcipere. Ita enim fit ut non modo cum ratione manifeſta, ſed & ſecum ipſi manifeſtò pugnent; Longè vero abſurdiſſimum eſt, ſenſum potius quam rationem cum fide conciliatam velle. Sic enim argumentantur Hæretici. In Euchariſtia Panem ſenſus oſtendit, Chriſtum fides; ſimul ergo ſunt Panis & Chriſtus; cum ratio duo corpora ſimul eſſe non poſſe demonſtret: Neque ipſi quicquam afferant quo id fieri poſſe ullo modo perſuadeant, neque vel minimum ſubtilitatis aut probabilitatis exhi- Hoſtes Euchariſtiæ immerito Philoſophium obtendunt.

exhibeant, quo corpus aliud in aliud penetrare, vel etiam idem contrahi aut laxari queat. Noſtri ſaltem aliquid de Ubicationibus commenti ſunt; illi ſtupore defixi & ſenſibus immerſi, altius attollere mentem nequeunt. Sed mirandum non eſt ſectam lenocinio ſenſuum natam, eorundem inniti judicio. Atque vel hinc Hæretico Catholicus quid interſit apparet. Hic Philoſophando parum acutus, quam credendo minus tutus haberi mavult; ille facilius certiſſimam fidem abjurat, quam ſe à ſenſu fallaciſſimo falli dicat. Qui vero Chriſtum reipſa præſentem negant, ii non mente ſolummodo, ſed auribus capti videntur, quibus nec verborum Chriſti ſonus pervadat ad animum. Sed de his alii. Nobis exponendum ſupereſt quod à multis intelligimus opponendum. Chriſtus januis clauſis intravit in domum, ex utero, & ſepulchro illæſis evaſit; corporis igitur notio quam in extenſione poſuimus, quamque hujus myſterii explicationi ſubſtruximus, non ſubſiſtit; nam quibus idem eſt ſpatium, iis extenſio eſt una, ideoque non duo, ſed unum corpus eſſent. Sed quis te corporum alterius in alterum penetrationem talem docuit? Certe cum aquam in ſpongiam, aërem in pulmones, ignem in ferrum penetrare veteres verborum Architecti dicebant, particulas alias, aliis expulſis in poros invadere ſignificare volebant. Audi Epiphanium de Chriſti poſt reſurrectionem, corpore differentem. *Erat verum corpus ſpiritale ſubtilium partium, quod aliquando craſſiorum partium fuerat.* Ante vero duxerat. *Reſurrexit non aliud corpus ſuſcitans, ſed ipſum quod erat in ſpiritalem ſubtilitatem tranſmutans.* Unde dictum Apoſtoli interpretari licet. *Seminatur corpus animale, ſurget corpus ſpiritale.* Quare fulguris inſtar per corporis duriſſimi poros, partium ſubtilitate Chriſtum penetraſſe cognoſcas; neque earum disjunctione animam ab ipſis, vel à ſeipſa divelli finxeris, niſi eorum quæ de incorporeâ præſentiâ dicta ſunt, oblitus fueris. Jam vero etiam Chriſtum corporis ſui ante mortem habuiſſe pleniſſimam poteſtatem, illiuſque extenuare partes pro arbitrio potuiſſe, transfigurati ſplendor, corpuſculorumque ſplendentium tenuitas haud obſcurè declarat. Dumque Auguſtinus corpus ſpiritale quaſi *ſpiritui ſubditum* appellari putat, & nobiſcum & cum Epiphanio planè conſentit, cum in partes mutandum tenuiſſimas jubente ſpiritu ſatis indicet; & quatuor præterea in corpore Chriſti glorioſo dotes verbis duobus incluſas afferat. Nam dum animo ſcienti, ſcientiâque potenti obſequitur, nihil vetat eo modo formari ut coercere contraria, per obſtantia celerrimò penetrare, radiiſque puriſſimis lucere queat, Addo etiam tres reliquas unâ glorioſi voce concludi. Nam luminoſa corpuſcula evibrata vi maximâ, & ſubtilitatem, & agilitatem, & incorrutibilitatem oſtendunt.

De penetrarione, & corpore glorioſo.

Hæreſi 64.

1 Cor. 15. ℣. 44.

l. 2.

De Fide & Symbolo. c. 6.

§. 25. Sed

§. 25. Sed juvat audire ſectam ſaginæ corporis mortalis intentam, de immortalis gloriâ differentem? Agite viri ſubtiles, ingenii quo polletis acumen expromite; Philoſophiæ vos, non modo fidei Reformatores oſten dite. Veſtrâ quidem ſententiâ hebes eſt Aquinas, obtuſus Scotus, nihil aculeatum in Ochamo, nervoſum in Halenſe, in Durando reconditum; noſtri tantum loquaces, vos ſoli ſagaces, horum ſcilicet inſiceta volumina, ubique ſpernenda, alicubi etiam in publico comburenda putaſtis. Avemus à vobis diſcere quâ vi, quâ viâ Diſcipulos occluſis foribus Chriſtus inviſerit, Nempe eorum aliquis ei fores aperuit, ita non nemo; irrepſit, ait alter, per rimam quâ ſeræ clavis immittitur, alius per patentem involaſſe feneſtram, alius per ſpiramentum foci aſſerit. Qui tales offas ingerunt, nil mirum ſi popellum hiantem poſt ſe ducant. Gaudent enim veteramentarii ſutores cum nihil ultra crepidam proponi audiunt: Doctores ſibi ſimiles datos geſtiunt. Jam ſibi videntur intelligere cur Chriſtus linguâ vernaculâ vocetur unctus, cur Divinitate dicatur Humanitas delibuta; corpus enim haud dubiè velut unguento mollitum, & lubricum factum putabunt, ut colubri inſtar per anguſtos aditus poſſit illabi. O nos, exclamant, beati lucis filii, quibus Evangelii ſplendor etiam per camini fuliginem irradiat! ſed admiratio mox abit in confidentiam. Paria quippe cùm è ſutrinis & piſtrinis haurire liceat, tarditatem eorum aſpernantur qui ſenſim per Academiæ gradus aſcendunt, ſaltu igitur, uno è tabernis ipſi in Cathedras Extemporarij Doctores inſiliunt. Ecquis enim inter ſutores infimos, dum paginæ illi, qua Chriſtus januis clauſis veniſſe narratur, ceratis digitis adhæreſcit, non emplaſtrum novum interpretationis æquè ſollertis, ac ſalutaris allinat. Perfoſſo clam pariete, vel ſubductis tegulis immeaſſe, aut è caneâ diffiſſo fornice emerſiſſe perinde dixerit. Hæc hiſque ſimilia qui de glorioſo Chriſti corpore Philoſophantur, vel potius inſulsè nugantur, ii Scholaſticorum in Euchariſtiæ myſterio inſcitiam accuſare, aut uſpiam, ubi Philoſophandum eſt, vel hiſcere audebunt? Veſtrum omnium Pater Lutherus, qui velut *Eunius ipſe Pater nunquam niſi potus ad arma proſiliit*, ecquid in fidem Pontificiam debacchatus inter inſana pocula eructavit, quo corpus Chriſti quod in cælo eſt cum Pane qui in Altari eſt compingi poſſe ſciretis? Ecquid ſingulare de ſubſtantiis, aut accidentibus excogitavit, quo contractionem illam & compactionem cum natura corporum non apertè pugnare vel leviſſima conjectura ſuaderet? Nam quod aliquis corpus Chriſti & immensè diffuſum, quia immenſiatti conjunctum, idemque ſpeciatim quibuſdam panis fruſtulis contractum & concluſum aſſerant; id tam crudum, tam pingue eſt, ut nihil adeo craſſum & indigeſtum à Scolaſticorum noſtrorum imperitiſſimis allatum uſpiam probare queant. Nulla vero magis inſignita fatuitas fingi

Eorundem tarditas, inſcitia, malitia exagitatur.

Jo. 20.

Ubiquetarii.

fingi poterit, quam fide illa seu fiducia quâ Calvinus Christum non fictè sed verè præsentem asserit. Corpus enim tactione propria, anima vero incorporea operatione propria, non spe aut persuasione aliena præsens est. Multoque minus ea vis cujuspiam persuasioni firmissimæ tribuenda est, ut ex pane carnem efficiat, quà non anima tantum sed corpus etiam propriè nutriatur, id quod à Patribus antiquissimis dictum audivimus.

§. 26. Alii itaque nolunt inquirere quo pacto Christus Sacramento insit, sed ibi esse credunt una cum pane, ut Patrum consensum cum vulgi sensu concilient, de modo non laborant; sin urgeas ut saltem aliquo modo panem cum Christi corpore cohærere posse doceant, ne id factum, quo nullo modo fieri possit, affirment. Silent, & stupent, & reliquos omnes stupore superant. Nam cum nihil afferant, fidemque & seipsos ludibrio haberi sinunt. Alius è perfecta corporis notione, quod à te creditur, id non modo incredibile, sed omnino impossibile esse demonstrat; Interea taces, & hæres attonitus, & prævaricatorem te præbes stolidissimum. Siccine Patres Trinitatis, & Incarnationis mysteria adversus Ethnicos & Hæriticos defenderunt? Quam varia, quam acuta ex omni scientiarum genere congesserunt, ut nihil à fide proponi quod ratio respueret confirmarent. Nempe tibi non placent curiosi; sed nec aliis tua rei tam necessariæ incuria placet. Quem porro dicimus curiosum? forte neque ut hoc scires tibi curæ fuit. Disce nunc tandem. Curiosus est qui scire velit quæ ad eum non pertinent. Quid ais? Num ad Theologum non attinet Christianum, ut hoc saltem inquirat, portentáne incredibilia & Chimæras impossibiles in articulos doctrinæ Christianæ conjiciat? nonne id illi incumbit ut credendi simplicitatem à stoliditate distinguat? Satin' tibi non fide dico, sed vel mente sanus videri potest, qui dogmata nova cudat, antiqua rescindat, idem esse panem & carnem asserat, qui nec ea vel simul esse, nedũ idem esse probare valeat, aut velit? Nemini igitur obscurũ esse potest, unde factum sit ut ex hoc hæreticorum genere rarissimus existat, cui de religione quicquam persuasum sit. Neq; enim fidei tantum, ut alii, sed & intelligentiæ communis Regulam amiserunt. Sanè oleum & operam in Academiâ tot annis perdidistis, qui nihil supra vulgus sapere, sed tantum tria verba Græca, aut Hebræa sonare didicistis. Quæ quidem sapientem juvant, ignaro nocent; cui commentis inscitis è scripturæ sermone diverso & vario fabricandis viam aperiunt. Mente opus est ut arcanam Dei linguam intelligas. Si quando ad mysteria enucleanda te audebis accingere, tum demum quid Philosophus Philologo præstat videbis.

§. 27. Nostros, fateor, consuetudo quædam infelix à Philosophiæ planæ semitâ haud parum abduxit, vestri neque hanc tenere, neque aliam capere potuerunt. Sed à rebus ad verba delapsi in scripturæ Patrumque sententiis tor-

torquendis, truncandis, invertendis, atque eradendis haud minus insipienter quam fraudulenter insistunt. Neque Philosophiam callere, nedum emendare, aut cum fide conciliare student. Hæc apud nos stat immobilis, licet illa fluctuat. Neque sensum tantummodo, sed & scientiam omnem fidei censuræ subiicimus. Qua quidem pietate credendi, si quid minus scitè differitur, compensatur. Quibus autem nunquam cordi curæque fuit quicquam probè scire vel credere, eorum magis spernenda quam refutanda temeritas, dum fidem nostram dente maledico carpunt, & scientiam impudentissima fronte contemnunt. Proferant tandem è thesauris suis nova & vetera, depromant opes ingenij quibus Theologiæ scilicet inopiam locupletent, claritatis aliquid, quod cum antiquitate & veritate consentiat, Eucharistiæ mysterio illustrando conferant, neque semper argumentis exoletis, atque è nostris Authoribus compilatis, & centies refutatis aures obtundant. Comminiscantur aliquid de corpore, de presentia, de unione, de rerum commixtione, conversione, constitutione, substantia, modis, accidentibus, de Dei potentia, vel rerum possibilitate, quod sibi prodesse, nobis obesse putent; cui refellendo dum operam damus, hoc saltem operæ pretium habeamus, ut licet ab ipsis nil veri discamus, tamen materiam tractando subtilem, subtilitatem ingenij, verique inveniendi sollertiam acuamus. Hactenus tantummodo patientiam nostram exercent, dum dilacerata Patrum dicta resarcimus, dum testimonia rara & ambigua plurimis & indubitatis evertimus, dum sententias interpolatas excutimus, ablatas reponimus, inquinatas purgamus, dum versionum, & interpunctionum, & accentuum fraudes retegimus, in summa dum contra Grammaticos & Criticos, & verborum carnifices certamine magis laborioso quam glorioso pugnamus. Honestius fecissent, si quod de esu & potu, in quibus sat sapiunt, Theorema coxissent, quo scire possemus quo pacto è pane & vino nihil immutatis, Christi carnem & sanguinem fides excoquat, atque inde non animæ tantum sed corpori alimentum ingerat. Nihil enim abjectius quam scruta solum grammatica venditare. Si quid de spiritosis esculentorum particulis à Ciniflonibus Chimicis didicissent; multis quæ hoc loco de sensu spirituali, literali neglecto, insulse differunt, condimenti nonnihil & temperamenti fecissent, documento saltem fuisset, eos aliquid de rerum scientia degustasse, neque tantum blattarum instar scriptorum monumenta corrodere.

§. 28. Pertæsum est jamdiu nugarum ejusmodi, detecta pridem mendacia quibus non modo veteris Ecclesiæ usum, sensumque falsissimè, sed præsentis etiam impudentissimè calumniantur; quid in Scripturis, Patribus, historia Ecclesiastica & profana perverterint multorum industria patuit;

patefactæ quoque technæ & ſtrophæ vulgares quibus vulgus indoctum, & incautum irretiunt, doctorum jam nemini artis illius veteratoriæ fraudes ignotæ; tandem aliquando ſpecimen ingenii & candoris edite, ut veri vos inveſtigandi vel cupidos vel compotes ſuſpicari poſſimus. Quorſum fruſta tot rancida totieſque cum faſtidio rejecta, libellis novis indies inferciuntur? Ecquando nobis fatuitate riſum, importunitate ſtomachum movere deſinent? Nempe ſi cui Miniſtello à re domeſtica, popina, & pulpito tantulum vacet, ut quæ ſibi Bellarminus objecerit, cum Tranſubſtantiationis articulum pertractaret, ſermone vernaculo protrudat in publicum, vix operis novi nomen inſonuit, & reſponſum protinus flagitatur, perſuadet ſibi vulgus ignarum, Doctorem ſuum diu noctuque Patres & Concilia pervolutando ſententias corraſiſſe, quas congeſtas uno loco deſcripſerat. Jam doctus, jam mirus cluet. Niſi mox ſuccurrimus Roma corruit. Siquam forte non Authoris diſputatio, ſed deluſæ plebeculæ miſeratio reſpondere coegerit, nihil ei moleſtius accidit, quam quod nihil reſponſione dignum inveniat. Eadem enim omnia, non argumenta tantum, ſed commenta reficta, fraudes inſuper, calumniæ, corruptelæ recuſæ: Anteceſſorum quippe malitia, & poſterorum inſcitia factum eſt, ut ne fallaciæ quidem, & mendacia nova cudantur. Scribere tamen volunt, qui ne mentiri quidem ſcitè & callidè niſi ex aliorum mendacibus ſcriptis ſciunt. Hac tamen in re, quod toties iteratum inculcant de accidentibus inſeparibilibus, deque ſubſtantia è Gelaſio & Theodoreto reſidua, ex mea ſententia clariſſimè confutatum eſt; neque eſt cur ipſi Philoſophiam communem accuſent, tum quia apud eos vel eadem vel nulla eſt, tum quia nullibi Trinitatem, decreta libera, Incarnationem ad ullius ſcientiæ normam exigunt. Hæc igitur cum credere ſe profiteantur, licet explicare non poſſint tranſubſtantiationem authoritate probatam, licet à ſcientia minus explicatam, repudiare non poterant. Et de Unione quidem hypoſtatica hactenus dictum ſit; qua tum alia multa de Chriſto, tum difficillima quæque de corpore illius naturali & ſacramentali, Philoſophia cum fide conſentiente, diſſolvimus. Pergamus ad reliqua.

De ſacrificio. deque redemptione per Chriſtum.

§. 29. In quibus occurrit primo Chriſti Sacerdotium, de quo pauciſſima dicenda ſuperſunt; neque enim mihi ut cæteris laborandum eſt ut mutationem rei oblatæ talem oſtendam, quæ ſacrificii naturam explicet: cum panis & vinum eo modo in carnem & ſanguinem converſa probaverim, quo modo adeps in flammam, thus in fumum in ſacrificiis antiquis verti ſolebant. Vtrobique enim & perfecta & ſimilis tranſubſtantiatio cognoſcitur; hæc autem quod ad immutationem quidem attinet, ſatis habet ut eam quæ in comeſtione contingit minime requirat. Cumque holocauſtum

ſine

sine comestione sacrificium perfectum esset, non video quo alio nomine consumptio consecrationi addi debeat, ut sacrificii essentiam compleat; sed de vocibus ambiguis altercari non libet.

§. 30. Cæterum quod Christus justificatio, sanctificatio, & redemptio nostra dicatur, id altiùs scrutandum est; nonnulla quippe de peccatis & gratia haud satis explanata hactenus, explanatione verò dignissima comprehendit. Atque uti rem ab origine prima, ordine, & via recta deducam; Constat ex iis quæ scientiam Mediam excutiendo de bonitate divina diximus, eam fuisse primorum parentum ab initio conditionem, ut & ipsi, & progenies tota à ruinæ & calamitatis etiam discrimine procul abesset. Itaq; haud mediocri notitia, & amore boni instructos fuisse consequitur: Alia quoque omnia remota quæ vehementer ad malum impellerent. Id autem tum corporum, tum Universi constitutioni percommodæ, rectè tribuitur. Neque enim par erat ut animabus inquilinis, domicilium infectum & noxium conderetur ab eo qui illas à periculo tutas vellet. Potuisset quidem exteriore quadam providentia incursantia semper incommoda summovere; sed ea potius una ordinis structura, quàm continua turbarum cura repellere, non modò decorum magis, sed & minùs quodammodo operosum apparet. Et re quidem ipsa sic factum, quæ de Paradiso dicuntur indicant. Hæc autem hominis constitutio ab origine primâ recepta, quâ ad finem aliquem felicem tam stabili, facilique si velit, prosecutione boni dirigitur, justitia, vel sanctitas, vel rectitudo originalis sermone proprio vocari potest. Finem verò tam felicem fuisse, ut conspectu Dei felicissimo contineretur, id neque è bonitatis divinæ, nedum ab humanæ naturæ consideratione deducitur. Immo & infra Dei conspectum, felicitatis gradus plurimi cogitari queunt, quos neque Homo ullo sibi jure arrogare posset, neque Deus ei bonitatis ulla lege conferre deberet. Hoc tamen Numinis summè boni seu lex, seu ratio postulat, ut hominem saltem adeò rectum atque ad assecutionem boni tam propensum, & instructum conderet, ne miseriæ sempiternæ periculum grave subiret. Neque infra statum hunc cogitandum esse alium quem naturæ puræ nuncupant. Neq; enim absq; primæ & summæ Bonitatis opprobrio dici potest, animam ab ea vel pravè affectam, vel adversus mali impetus inermem creatam fuisse. Quamvis enim Deum id citra injuriam potuisse, potentiam à voluntate distinctam, & Dominum supra jus omne quod rebus insit longè subvectum intuendo, concesseris; Bonitatis tamen intuitu noluisse fateberis; immo & hoc velle à Bonitate ipsius penitus abhorrere perspexeris; & quia volendo potest, quod velle dedecet, id posse repugnat; itaque animam tam male & misere constitutam non tam potestatis inopia, quam Bonitatis copia creare non potuit.

De statu primorum Parentum ante, & post lapsum.

Rejicitur quidam naturæ puræstatus à multis admissus.

§. 31. Quare quam in rebus humanis perverſitatem, atque in aliis perturbationem cernimus; ea Theologiæ tantum naturalis perito non modo ſuſpicionem, aut opinionem, ſed perſuaſionem quoque gignere poſſe videntur; quod alicujus creaturæ rationalis malitiâ, deſtinatus à Ceatore optimo boni rectique ordo pulcherrimus, & decor eximius turbatus fuerit, atque diſtortus. Neque id Poetas antiquos latuit, qui arcana Theologiæ, fabulis occultare ſolebant; ab iis enim Pan qui Univerſum ſignificat, Ἑρμῆς πρὸ νοερέως, id eſt *Mercurii* ſive artis divinæ, & *Injuriæ* proles fingitur, ut Mundi primordia cujuſpiam iniquitate, perverſa & perturbata fuiſſe doceant. Idem autem à fide docetur apertiùs. Et communis quidem opinio fert, ante peccati pravitatem omnia tam recta fuiſſe, ut Primi parentes rectitudinis cujuſdam excellentis compotes eſſent, quam gratiam habitualem nuncupant; quæ non ad felicitatis qualiſcunque metam duceret, ſed ad eam quæ in clara Dei viſione ſita eſt conſequendam, & jus & vires tribueret; atque eo inſuper modo, ut ratione tumultuoſis affectibus imperante, conditione potiri beatiſſima facili negotio, levique diſcrimine licuiſſet. Atque hoc quidem rationis imperium nemo in dubium vocat, tametſi de causa, etiamnum ancipiti ſententiarum varietate certetur. Quam alii in ipsâ gratiâ habituali, ſed efficaciore quam noſtra conſtituunt. Plures in altero quodam habitu cum illa conjuncto collocant, ſed neutrius efficacitatem exponunt. Scotus gratiam habitualem in eo ſtatu parentibus primis negat, ſed donum aliud impertit ad affectiones quidem temperandas potentius, dignitate verò vilius, quod ſemen æternæ gloriæ non eſſet. Verum ut alibi de calore quid ſit interroganti, reſpondent, Qualitatem eſſe quæ calefaciendi vim habeat; ita hoc loco alteram obtrudunt quæ ſenſum rationi ſubjiciat, & corpus inſuper à morte & morbis eximat: qualis autem illa ſit, quove modo vim exerat, quod ſcire vel maximè optamus, negligunt. Da modò alimentum & aerem corpori conſentaneum, corpus autem animæ accommodatum, tum notitiam medicamenti pancreſti; Boni vero tum ſcientiam haud obſcuram, tum amorem cum ſuavitate conjunctum; nihil eſt quod à te quiſpiam ultra requirat, neque cur qualitatis ignotæ opem adhibeat; namque intellectus & voluntatis affectiones notiſſimæ, corporumque proprietatem jam diu explicatæ, ſtatum illum tranquillum & ſtabilem, haud difficilem ſcitu reddent.

Unde corporis corruptio per primum peccatum.

§. 32. Sed illius ruinam à peccato factam, intellectu forte difficilem judicabis? Eſto inquies comeſtio vetita, mentem inquinat; at corpus inde corrumpit, & progeniem tum corpore, tum anima labefactat? Certe pomum illud fuiſſe venenum verba Deiſatis indicant. Si quis Pater filium ſic moneat, cave, noli hoc comedere, mando tibi ne comedas, nam ſi comederis certiſſimè morieris; nonne perinde eſt ac ſi diceret, Mortiferum eſt. Tum man-

mandata Dei, quoad licet, rebus ipsis consentire dicendum est. Dum vetat attingi noxium docet, nisi forte documenta populo duræ cervicis, & capitis obesi vetitis inculcare conveniat. Sic Judæos à quibusdam abstinuit, quos exercitio magis quam disciplinâ dociles intellexit. Sic Magistri spirituales præceptis ludicris Tyrones exercent; Qua disciplina parcissimè prudentes utuntur. Ex ea quippe sensim sine sensu error gignitur, quo vis legis ad voluntatis potius impetum, quam rationis regulam exigenda putatur. Fraus ista grata paucis qui imperant, innumeris qui subsunt infesta, conditionem humani generis sat afflictam, miserandum in modum opprimit. Namque ubi imperiosa voluntas sibi, potestatem imperii prope totam arrogat, confestim velut ex edicto prætorio, *sic volo sic jubeo, sit pro ratione voluntas*, agitur; atque ignorantiâ cœci, ab iis quos excæcavit ambitio, in angustias, & angores maximos, præcipites aguntur. Hoc loco nimirum *latet anguis in herbâ*, qui non unam Eurydicen, sed animas innumerabiles demisit ad inferos. Incredibile dictu est quantum calamitatis & stragis, opinio una fecerit, quæ legem voluntate potius quam ratione metitur; quam Deus invalescere Mortalibus iratus quando permisit, de eo tunc si unquam dici poterat, *Induxisti nos in laqueum, posuisti tribulationes in dorso nostro, imposuisti homines super capita nostra.* Alia longè diversa sensit Doctor Angelicus, multique pietate pariter & eruditione præstantes. Sed res est ejusmodi quæ explicationem postulet operosam, plurimaq; ad mores & vitæ communis usum apprimè spectantia comprehendat; quæ quia multa sunt, atque ob operis hujus instituto aliena sunt, nunc prætereo. Nam quod ad rem præsentem attinet, fingi nil potest quare comminatione Adamo & posteris tam horrenda prohiberetur innoxii pomi comestio. Non erat tam rudis ingenio, aut voluntate contumax ut doceri aut domari hac arte debuerit. Neq; nos adeo rudes præbere debemus, ut depravatæ naturæ causam obscuram, & remotam vagi quæramus; cum perspicuam & proximã quasi manibus teneamus. Ecquid enim intellectu facilius, quam medicamentis noxii corpus infici, memoriam eripi, vires imminui, bilem, libidinem dolorem accendi; cumq; unius arboris fructum restauran-dæ naturæ viribus pollere concedant, cur non & alteri eandem labefactandi & inquinandi virtutem tribuant? Igitur corpus veneno, animam vitio contaminatam & debilitatam merito statuemus. Neque propterea corpus etiam ab animâ vitiatum negamus; sed neque tantam corporis recens conditi teneritatem, & molliciem ponimus, ut pravitate mentis vel unicè vel maximè distortum putemus. Hoc etenim Promethei lutum necdum bene constipatum & arefactum saperet, neque cum hominis à Deo perfecti & absoluti firmitate congrueret. Primos igitur Parentes tum animâ tum corpore contaminatos cernimus, sed utriusque labem soboles unde contraxit?

Obiter de Lege.

Ps. 65. 20.

De posteris vitiatis.

§. 33. De corporis quidem è semine corrupto nati vitio quis ambigat? De animâ vero quid dicemus? Nam licet non creata, sed propagata per traducem, sive ab animabus parentum avulsa particula fingeretur, nullâ tamen ratione pars animæ quæ tota baptismo vel aliter pura sit, maculata censebitur? Deus autem animam quam creat maculare non potest, eâ præsertim maculâ quæ peccati nomine vocari debeat; immo neque constitutionem animæ pronam ad malum, nedum ipsam malitiam à summo Bono fieri putandum est. Nihil enim uspiam occurrit, quod in opinionem Numini tam probrosam impellat. Nil ratio, nil fides objicit, quod ex meis principiis facile removeri non possit; ut Deum à malo & falso usque adeo abhorrere cognoscas, ut neque habitum ullum à Bono aut Vero avertentem ipse possit infundere, sed tantum permittere errorem aut vitium sive actu sive habitu dicantur existere. Est enim vel in ipso habitu, sive inclinatione deformitas. Sed de his nunc satis, post uberius; nam qui hujus generis habitum à Deo fieri posse concedunt, eum tamen peccatum appellare non audent, neque in eo proinde Originale constituunt. Immo neque animabus ab origine pravitatem ullam, & deformitatem positivam arbitrantur innatam, sed privativa contenti sunt; nam quia gratiam non habent, quam Deus ex pacto cum Adamo dedisset, si culpæ se immunem præstitisset, idcirco in peccato natas, quia dono illo non ex natura sed pactione debito privatas asserunt. Adeo ut si quis pacti illius inscius aut immemor, animarum alias in naturæ corruptæ, alias in puræ statu creatas cerneret, has ab illis non internosceret, quamvis alias labe turpes, noxæ reas, pœna dignas; innocentes alias & intemeratas pronuntient. Ut noxam & pœnam omittam, ubinam turpitudo, ubinam macula quam Baptismus eluat? adhibetur enim aqua ut sordes indicet abstergendas; quisquamne argentum purum idcircò sordidum dicat, quod non sit, prout statutum fuerat, inauratum? Neque enim idem est ornamento carere, & immunditia squallere. Rectè inquies de immunditia physica, non de morali, nam peccatum præteritum animam reddit immundam. Ecce medicamentum morbo deterius. Hoccine nunc obtrudis postquam actum absque contrario nunquam desinere toties audisti? Motio quidem corporis, sine qua peccatum quod est, non sentitur esse, desinit; voluntatis autem distorsio, donec in rectum flectatur, permanet. Moralitates tuæ, nisi Entium affectiones positivæ sint, nugæ sunt. Deformitatem igitur positivam ostendas oportet, nihil enim quod positivum non sit, nec à Deo quidem videri, nedum ei displicere, probatum est. Certe quæ de peccato dicuntur, veluti cum macula, sordes, vulnus, morbus, pravitas appellatur, tam positiva significant, quam quæ de gratia dici solent. Neque obliquum recti, malum boni aliter quam amarum dulcis

dulcis, frigidum calidi privatio vocatur. Verbis igitur omissis, pravatis in rebus positiva quærenda est; cum privatio nulla seu gratiæ, seu justitiæ originalis à gratia distinctæ, nisi voce tantum, non re à positivo quopiam differat, neque hoc loco nec ullibi adhiberi queat. Ecquid igitur positivum quærentibus occurrit? Num Adami peccatum posteris imputatum? At hoc commune cunctis est, singulis autem proprium à Tridentino requiritur. Deinde pœnitentia sublatum est, non igitur culpam sed pœnam habent; tum si peccatores iniquitas Aadami imputata constituat, cur non & Christi justitia justos? Denique peccatum illud extinctum est, neque nunc minùs nihil est, quam Privatio; quod autem non est, id neque maculam aspergit, neque pœnam infligit sempiternam. Sess. 5. viden. 38.

§. 34. Proferamus aliquid quod sub intellectum cadere, & rebus ipsis congruere videatur. Satis constat ex iis quæ libris primo & secundo disseruimus, animam à corpore per motum affici, in eoque sitam esse illius aptitudinem qua corporis forma noscatur, hoc enim non agendi tantum, sed patiendi potentiam continet. Quique spiritus indolem sublimiorem autumant, quam ut ab accidente corporeo naturali vi possit attingi, ij spiritibus animam annumerare possunt. Eam enim motibus veris & perspicuis stimulari, potius quam speciebus quibusdam confictis, & obscurissimis, luce meridiana clariùs demonstravimus. Quid quod & ipsi speciem impressam, quam spiritualem appellant, à facultate corporea produci concedant; vel si speciem impressam spiritualem esse negent, corporeum tamen valere ad incorporei effectionem inficiari non possunt, cum speciem expressam sive intellectionem ab impressa fieri fateantur. Sed ne verborum obstaret ambiguitas, Incorporeum in animale, spirituale, & mixtum divisimus; animasque nostras veluti quiddam medium inter formas animalium, & Angelos, qui spiritus puri sunt, atque amborum particeps, constituimus; idque affectiones animæ declarant, sensione quippe cum animalibus, intellectione cum Angelis consentit; cum his quoque statu separationis, conjunctionis cum illis congruit. Deinde quid vetat quin hic, ut alibi, naturæ quædam Participia è dissimilibus temperata cernamus? Namque animalia amphibia sunt, indole planè media inter aquatilia atque terrestria; similiter inter terrestria & aerea; sunt etiam nonnulla inter plantas & animalia, lapides & metalla, plantas & lapides natura quadam ancipiti constituta. Itaque non modo ex ipsius animæ sed & aliarum rerum consideratione colligere debuissent, ipsam ut formam quidem animalem à corpore mutari; eodem autem quà spiritualis est, posse privari. Actionem igitur immediatam corporis in animam diffiteri non licet, atque etiam ejusmodi quæ non modo perficiat sed inficiat. Quantas enim perturbationes Peccatum originale explicatur.

copia

copia aut acrimonia flavæ vel atræ bilis afferunt? Humor autem quo generatio fit, hoc habet præ cæteris singulare quod mentem obscuret, diviniorum contemplationis & claritatem, & suavitatem, & firmitatem impediat; nec mirum si à functione subtilissima mentem avellat, quæ ad sensuum crassissimi voluptatem tam vehementer impellat. Hunc autem humorem imprimis esca venenata corruptum fuisse, nuditatis pudor mox obortus ostendit. Ea nunc reminiscere quæ de animæ & corporis unione docuimus. Namque ubi anima cognitione sui, & corporis instructa, illud operatione voluntatis amplectitur; tunc corpus præsentem afficit, & quia contaminatum est fædè inficit. Humor enim iste si in corpore adulto, cujus forte vix decies millesimam partem obtinet, tantam animæ etiam aliis cogitationibus abstractæ & firmatæ pestem inspiret; quid sentiendum est fieri, cum corporis portio non modica humore pestifero, & reliquum altero quoque affine, (nam similia similibus primum affluunt) contineatur? Quam altè putas in anima patente & recente contagio insidebit? Quid ni affectionem tam pronam & præcipitem ad commoditatem propriam è delectione præsertim corporea, eaque vel maximè quæ humori afficienti magis congruat captandam imprimat; ut qui eam affectionem clarè cerneret, eadem animam ad claram Dei visionem non modo non aptam, sed ab ea penitus alienam & aversam diceret? Cumque aversio à Dei visione perspicua, sit conversioni ad eandem, seu præparationi contraria; hanc autem justificationis gratia comprehendat, habet anima affectionem gratiæ oppositam, quæque illam proinde excludendo, ejusdem positiva & vera, non ficta & negativa privatio sit, eaque originalis, sive à semine orta, neque à Dei Bonitate, qui gratiam impertire decreverat, sed à primorum parentum voluntate profecta, qui veneno prohibito, atque pestifero humanæ prosapiæ radicem, ideoque propagines inquinarunt.

§. 35. Vides hic sordes Baptismi lixivio abstergendas. Nempe affectionem immundam, gratiæ quam Baptismus largitur oppositam. Vides malum naturali via transfusum, & Deum merè quod è natura corrupta sequitur permittentem; neque enim illas proxime motiones efficit, quibus animam corpus inficit, tametsi primum Mobile ab ipso potiùs quam Angelo cieri putes; nam qui Machinæ à se probè constructæ manubrium ordinato motu circumagit, ei vitio non vertitur si quid in rotulis alterius imperitia aut malitia turbatum fuerit, quo inconcinna nascatur agitatio. Vide quam aptè Patres Tridentini differant. *Homines*, aiunt, *nisi ex semine Adæ propagati nascerentur, non nascerentur injusti, cum ea pro-*

Sess. 6. c. 5.

pagatione

pagatione per ipsum, dum concipiuntur, propriam injustitiam contrahant. Deo enim per se non convenit naturæ puræ statum ullum condere; tam impuro semine propagandæ; licet alium eo quem Adamus habuit, inferiorem statuere potuisset, quique affectionem gratiæ, quæ justitia vocatur, adversam obtinent, ij injustitiam propriam habere noscuntur, eaque etiam *peccatum & mors animæ* ab iisdem Patribus rectè dicitur; quia injustitia peccatum est; & quod gratiæ, quæ vita est, adversatur, id Mortis nomine appellatur: parvuli quoque non in seipsis sed Adamo peccasse dicuntur ab Apostolo, quia ipsi non agendo, sed patiendo pravitatem contrahunt; ille vero voluntatis actione libera in se culpam personalem admisit, cum operatio personæ tribuatur, fructuque vetito, & venenato corrumpendo naturam, peccatum in posteros nihil agentes, ideoque non personale sed originale transmisit, quare cum peccare sit liberè agere, non in se qui nihil egerunt, sed in eo qui sic egit peccaverunt, id est injustitiam ab illo acceperunt. Nihil autem est cur de notione quæ peccato originali & personali communis sit litigemus, modo utriusque convenientiam & differentiam perspectam habeamus, id quod utriusque explicatione paulatim addiscimus. Originale vero quis neget peccatum propriè, licet à personali dissideat, esse dicendum, cum sit injustitia, & Mors animæ, sive justitiæ & vitæ contraria, tum pœna dignum, nam beneficio ex decreto Dei debito, Parentum nequitia spoliari pœna est? Beneficium autem erat cœlestis gloria, hac autem spoliari digni sunt, qui eâ frui indigni sunt, cum dispositionem animæ talem habeant, quæ ad Deum clarè videndum non modo inepta sit, sed ab eo aliena & aversa, ideoque penitus indigna sit. Non potest etiam non displicere Deo affectio animæ tam perversa, non casu orta, sed è voluntatis perversissimæ causa pronata. Depravatam igitur animæ propensionem; quæ Mors illius sit, tum injustitia Deo displicens & pœna digna, peccatum appellare ne dubites. Sess. 5. Rom. 5.

§. 36. Quamvis autem hæc pravitas mentem à clara Dei visione alienam reddat; quia tamen ea perversitate caret, quam voluntatis propriæ libera distorsio efficit, neque cruciatu dignam reddit, nec quæ felicitatis nonnullæ sensum ex operum & opificis naturæ contemplatione degustet indignam. Quare *Gehennam*, ut Ambrosius inquit, *Non peccato Adæ patimur, sed ejus occasione propriis peccatis acquiritur.* Nihil enim de Deo vel Fides, vel Philosophia nos docet, quo aliena malitia distortum usque adeo odisse putemus, ut propterea semper miserum, & ærumnis afflictum velit; neque etiam, quod perinde est, in tantis periculis constitutum, ut supplicia sempiterna vitare Inc. 5. ad Rom.

Augustinus. vitare nullo modo possit. Num cum *nemo peccet in eo quod vitare non potest*, nec qui non ipse propria malitia peccet in suppliciis semper esse debeat; quamvis benevolentiæ & favoris sit admirabilis, quod *Deus illuminet omnem hominem venientem in hunc mundum*, & facienti quod in se est gratiam non deneget, qua non modo liberetur à pœna, sed præparetur ad gloriam; id tamen naturæ divinæ omnino convenit, ut neminem etiam originali labe fœdatum ita deserat, quin aliquando in illius potestate sit cruciatum æternum, si velit, evadere. Qui secus fieri posse cogitat, is potentiam divinam atque Dominium à Bonitate sejuncta cogitat. Nil in Deum crudelitatis cadit, neminem gehennæ torquendum tradere potest (quia cum voluntatis sit optimæ velle non potest) nisi qui culpa, quæ evitandæ vires haud deerant, sponte commissa tantæ se pœnæ aliquando reum fecerit. Quocirca maculam, & morbum, & mortem animæ, tum generis humani mortalitatem, calamitatem, & proclivitatem ad malum per escam vetitam & venenatam è principiis haud obscuris aut incertis citra ullum divinæ Bonitatis opprobrium demonstravimus. Neque ea quæ diximus rationi magis quam authoritati conveniunt. Nonne isti omnes mecum consentiunt? Iob. *Quis potest facere mundum ex immundo conceptum semine.* Augustinus. *Non enim substantialiter manet* (nempe originale peccatum) *sicut aliquod corpus aut spiritus, sed affectio est quædam malæ qualitatis sicut languor.* Alibi verò non semel, anima, ex ejusdem sententia, sicut liquor vase vitiato corrumpitur. Beda quoque animam ex Unione cum carne maculari docet, atque ea causa quod homines ardore libidinis generentur; quem Magister, Aquinas, Bonaventura sequuntur, & sententiam nostram indicarunt apertè, non explicarunt, Gregorius, Holcot, Gabriel, Henricus, Antisiodorensis, Driedo, dum in qualitate morbida peccatum originale constituunt. Sed mirum est quod Gregorius eo quod leviss[illegible]mum est se maximè premi queratur, nempe quod accidens corporeum spirituale producat, id est quod substantia spiritualis à corpore per unionem adjuncto mutetur. Aliud magis urget, quod neque Baptismo ablutos à peccati originalis sordibus puros quispiam suspicari queat, neque enim unda salutaris appetitionum restinguit ardorem; motiones igitur corporis inordinatæ non modo in ortu primo, sed postea characteres animo deformes inurunt. Verum affectio quam non facit sed patitur animus, licet prava sit, non habet tamen eam vim ut illum per gratiam ad Deum conversum, ab eodem reddat aversum, viquippe majore ad armatum, quam inermen subvertendum est opus, neque tam facile jam divinæ naturæ particeps, sive ad Deo clare viso fruendum directus atque dispositus, quam nativæ debilitati relictus inflectitur; Neque etiam succus ille virulentus, alimenti quod adjectum est copia tem

peratu-

Jo. 1.

l. 1. de nupt. & concup. c. 255.

lib. quæst. q. 14.

Mag. in 2. dist. 31.

S. Th. comp. Theol. c. 224.

Bon. in 2. dist. 31. q. 1. a 2.

peratus, tantum perversitatis efficiet, quantum circa tempus conceptionis fecerat, neque proinde etiam in animas gratiâ nudatas tam fædâ strage grassabitur. Quocirca licet mentem à principio pravitate tantâ perverterit, ut eam à Dei conspectu remotam & aversam reddiderit, non tamen idcirco tantundem postea vitiosæ contagionis afflari putandum est. Neque enim alia quædam ad res creatas etiam immoderata conversio, intellectu difficilis est, quæ aversionem à Creatore non contineat; qua si careat, atque omni insuper voluntatis propriæ consensione vacet, in ea tanta fæditas non apparet, quantam in se peccati turpitudo complectitur. Nihil igitur habet quare eo nomine, nisi tanquam causa vel occasio vocari debeat. Nihil ergo cogit motus indeliberatos peccatis ascribere, aut Baptismo purgatis, & nondum actuali crimine contaminatis, domicilii cælestis fores occludere.

§. 37. At si motiones primæ corporis è semine vitioso conflari, tantum animæ fæditatis aspergant, ut eam macula quæ peccatum originale dicatur inquinent; illam non modo è primorum sed & reliquorum etiam parentum corruptione contrahimus. Hoc autem dici non potest; Ab illis, fateor, qui omnia ad pactum cum Adamo revocant. Quod quidem ex pacto & conventu potius quam ex authoritate & ratione tueri videntur. Quod Deus ex benignitate posteris gratiam daturus fuisset, si per parentes licuisset, audio, De conventione cum Adamo, vel Evâ, vel utroque, nec scriptura, nec Ecclesia loquitur. Rarus etiam & obscurus est Patrum sermo. Minùs certe clarus, quàm quo eos nostra probare comperies. Neque pactum hoc claritatis quicquam originali peccato, sed contrà plurimum obscuritatis affundit. Nam ab argumentis ad conjecturas, à ratis naturæ legibus, ad arbitrarias pacti conditiones abducit. Tum licèt posteri de gloria, quam jure nullo vendicent; quavis conditione paciscì non recusent, neque de calamitate quam naturæ vis intulit queri possint; at tantam, ac tam acerbam stipulationis aleæ committi, & voluntate sortiri aliena nolint. Si cum posteris neque culpam neque pœnam natura communicat, quorsum illis immeritis & insciis pactorum struuntur insidiæ? Quod natura fert, ferendum est: neque auditu mirum, aut novum est. proli nonnihil à parente proximo contagionis afflari. Nam si quis Parentum, stantibus primis, cecidisset, prolem vitiosam, ex Scoti sententia genuisset. Durius est autem totum ab eo, quàm augmentum tantummodo derivatum dicere. Quod si *ætas parentum pejor avis ferat progeniem vitiosiorem*, nescio quo metu territi, vitium naturæ, seu peccatum originale indies auctum fateri non audeant. Neque enim hoc impedit quin per unum hominem peccatum in hunc mundum introierit, neque

In 2. dist. 32.

Rom. 5.

neque etiam efficit ut in homine uno peccato originalia plura ponamus, nam si aqua ex uno fonte primo atque primario per alveum unum, unumque ostium in lacum influat, licet affluentibus hinc inde rivulis aucta fuerit, fluvium unum non plures receptum dicimus; Eoque magis quo rivuli minores fuerint, maxime vero si omnes ab eodem fonte primario velut ab origine prima fluxerint. Parum autem à posteris corruptionis adjectum nequissima Caini indoles docet; Atque ut medicamentum cum fructu arboris vitæ comparandum haud supereſt, ita nullum est venenum quod ad alterius pestilentem fructum accedat. Quid multis in re facili opus est? Augustinus ut probabile disertis verbis enuntiat, quod ab aliis quoque parentibus originale promanet, neque id ab ullo cujus censura sit metuenda damnatur. Probari vero debet ab omnibus qui animæ labem à libidine & semine inquinato derivant. Unde quam animam ab hac macula puram ab initio pronunciaveris, eam corpori vel è semine purgato, vel sine semine constructo infusam dixeris. Deinde ubi quid fœmina ad fœtus structuram conducat inveneris, num ab Adamo solo posteri contaminentur intelliges; Scoti vero opinionem haud stirpitus evelles ex animis, nisi arborem illam noxiam vel extirpandam vel occultandam fuisse demonstres, alioqui forte posterorum cuipiam periculum haud minùs quam Adamo & Evæ creasset. Postremò nihil unquam nisi per conjecturas incertas quamdiu pactum illud ignotum & inutile retinueris explicatum dabis. Satius fuerit ea quæ nota sunt, & rerum naturæ consentanea sunt, intueri. Sic etenim & pravitatem, quæ proprietate perspicua peccati appellatione notetur, invenies; quæque ita propagata & punita sit, ut Deo neque crudelitatis injustæ, neque severitatis austeræ, vel levissimam notam aspergat. Et de peccato quidem originali hactenus.

De pœnis inferorum citra suspicionem crudelitatis in Deo.

§. 38. De actuali vero, & habituali gratia quæ iustituto nostro congruunt perpauca dicenda remanent. Neque enim nunc quæ ad Mores attinent, vel iis conjuncta sunt, tractanda suscepimus. Ea verò quibus doctrina fidei à ratione dissentire videri possit, præteriri non debent. In his terret, & terrore perturbat plurimos æterno supplicio minax & ultor Deus. Qui monendi sunt, ut quale peccatum sit illud, quo tantæ pœnæ rei sint, secum reputent. Sive enim Deo non cognito patrari queat; sive præcepto divino, seu fini nostro adversari; aut in eo finis ultimus à peccante constitui putandum sit, sive malitiæ infinitæ sit sive finitæ; illud unum, quod mihi satis est omnium suffragiis ratum & fixum est, neque argumento ullo contrario refigendum; eo nempe peccati genere depravari magnopere rationem, dum quippiam indecorè, incautè, & stultè, veluti

veluti minima magnis præferendo, à sciente & volente cum possit nolle, committitur. Quæ quidem in illos, quibus Dei Majestas, minæ, præcepta, & promissa haud ignota sunt, maximè cadunt. Quos autem illorum ignorantia tenet, eos hac pœna nemo constrinxerit nisi voluntariam, & temerariam in re magna stultitiam viderit. Propone jam tibi animam corpore nudatam, & fatuitate tam fœda, tam præcipiti depravatam; & eorum quæ de separata diximus, semet intuente, sibimet vacante, neque aliorsum motibus corporeis abstracta, memineris. Revoca deinde in mentem quæ legeris, quæ audiveris, quæ fortè videris de horribili tormento, quod facti turpis & ignominiosi conscientia afferat, ubi atra bilis aut angor cogitationem in eo fixerit; quem dolorem si nec famulorum obsequia, neque amicorum blanditiæ, neque voluptatum illecebræ mulceant, neque corporis adjuncti stupor sopire queat; quid censendum est de anima cui nulla suppetant avocamenta mæroris, cui nullus ex sensu, sed omnis è depravatæ rationis usu felicitas; quam non præteriti tantum probri memoria, sed turpitudinis altè infixæ, & nunquam evellendæ conspectus affligit, quæ se sua culpa deformem, desertam, despectam aspicit? Ecquæ vermis aut vulturis corrosio, quis fletus, quis ejulatus, quis stridor dentium, quæ viscerum exustio cruciamentum illud exprimat, quo semetipsam torquet, urit, & excedit? In summa rationem in rabiem versam atque in semet furentem, seque & res cæteras execrantem cogita. Quibus autem peccatum actuale desinere, neque depravatio mentis physica, sed connotatio tantum moralis manere censetur; ii vel Deum torquentem, vel summittentem carnificem introducunt, & suspiciones illius bonitati neutiquam faventes movent. Decet autem manus ejus puras non modo à culpæ, sed à pœnæ talis ac tantæ operatione servare. Non immittit furorem sed permittit, neque faces admovet, sed non amovet, execrationes quidem audit, sed carnificinâ non elicit. Tu neque uti semet anima ulciscatur & urat, & nedum uti se flammis ultricibus immergat, rationem ullam perspicuam & rerum naturæ consentaneam assignabis. Ego tibi pestem imis, ut ita dicam, visceribus accensam ostendo, neque Carnificem qui in fornacem ardentem detrudat requiro. Namque ubi igne corporeo torqueri animam authoritate probaveris, mox ut illi, ubicunque sit, præsens & affixa reddatur, argumento perfacili demonstravero. Aptitudine quippe propinquitas, voluntatis actione præsentia continetur. Neque minus rabies ad corpus ignitum, quam ad naturale ratio aptatum efficit. Furoris igitur impetu in flammam vindicem præceps abripitur, eique obformata væcordia adhæresci. Incorporeum autem à corpore lædi posse, ex iis quæ nunc mente patimur scire

ſcire licet. Neque Angelos quorum natura eſt Ratio, ea depravata infra conditionem quæ Rectæ conveniat, deprimi mirum eſt. Neque quod immortale eſt, dum venis inſanabile vulnus alit, æterno dolore affici obſcurum eſt. Eſt autem inſanibile quia neque ſibi poteſt remedium dare, neque à Deo meretur accipere. Si privatio tantum eſſet & connotatio moralis, quæ condonatione tolleretur extranea; mirari fortè quis poſſit, cur Deus odium ex offenſa dudum præterita nunquam remittat: cum vero ulcus præſens, ac veluti recens, idem ipſum quod fuit hærere noverit, cur dolor non abeat, mirari deſinet. Dum perſeverat morbus naturali vi cruciat, niſi mentem à Deo ſtupore defixam, vel cogitationibus aliis in ſingula momenta ingeſtis avocatam finxeris. An quia eum qui inſana cupiditate ſibi vulnus infixit inſanabile, relevare aut ſanare poſſit ſi velit. ideone velle, juſtitiæ aut æquitatis lege tenetur?

De ignorantia cæcantis.

§. 39, At omnis inquies peccans ignorans dicitur, ignorantiæ igitur æquum eſt indulgeri. At uſu quotidiano compertum eſt illud, *Video meliora proboque, deteriora ſequor.* Et Auguſtinus appoſitè, *Nolunt homines ſive quia latet an juſtum ſit, ſive quia non delectat*; non enim ratione tantum, ſed delectatione voluntas ducitur; immo & cæco quandoque impetu contra id quod manifeſtò melius eſſe videt, & pertinacia propria multos præcipites agit. Ut peccantium ignorantiam non tam ad intellectum, qui peccanti differentiam boni & mali ſemper indicat, ſed ad voluntatem potius referri debeat. Ideo enim qui peccat ignorans dicitur, quia licet quid melius ſit intellectu conſpiciat, ita tamen deterius eligit voluntate, ac ſi rerum diſerimina neque intellectu dijudicet; atque in hoc, rationis diſtortio, ideoque malitia peccati cernitur. Nam ſi quod melius apparet id aſciſceret, non tam malus errando, quam rudis dicendus eſſet. Deinde cur voluntas ab omnibus cæca dicitur, niſi quia quiſque dum malè ſciens agit, ſe contra quam ſciat agendum, à voluntate ferri ſentiat, ideoque tunc ratio voluntati propoſita, veluti lux cæco prælata non profit. Quare volitio non modo nullo cognitionis genere continetur, ſed neque cognitionis majoris lucem ſequitur. Ipſi quippe in nobis ipſis ſentimus, aliud eſſe videre quid, & cur agendum ſit, & velle agere; contra enim quam quod agendum videmus, ſæpe volumus; præterquam quod volitio omnis foret neceſſaria, ſi cognitio eſſet, vel à majore trahi neceſſe eſſet, neque enim in voluntatis poteſtate eſſet, aliud alio clarius intelligere. Intellectum, inquis, fortius ad hoc quam illud conſiderandum applicat. Sed unde ei appiicatio magis innotuit? Num ad aliam confugies, quæ hanc quoque attentius luſtrare jubeat? Peccatum igitur neque intellectionis actuoſæ error eſt, neque intellectus errorem ſequitur, ſed in præcipiti voluntatis à recta via quam intel-

intellectus ostendit aberratione consistit. Videt malum peccator sed vitare non vult; si vitare non posset, peccare non posset: Dictum enim Augustini celebre, *Nemo peccat in eo quod vitare non potest*, non modo axiomatis sed oraculis annumerandum est; quare qui videt, & non vult, videndo non errat, sed nolendo; & quia videndo vitare posset, excusationem non habet ignorantiæ. Sed Deus non modo non sævit in ignaros; sed ne quidem certa scientia, & aperta malitia peccantes ipse torquet, neque etiam Judicis, hominum more, Personam suscipit; neque enim vel emendatos damnat, vel carnificem etiam sceleratis immittit; sed sua quemque peste, imis adhuc naturæ exardescente medullis, uri sinit.

De Gratia.

§. 40. Verum qui severitatem naturæ legibus parcè metitur, benignitatem tam angusto limite non coercet. Nam quod Naturæ, ut loquuntur, jus omne superat, impertiendo gratiam præstat. Jus enim quoddam Scholastici rebus affingunt, quo nonnulla veluti sibi debita ab Authore naturæ postulent. Quæ vero hoc nomine vendicare non possunt, ea nempe supernaturalia dicenda putant. Gratiam ergo supernaturalem ut doceant, quid natura exigat, considerandum inprimis autumant. Quam quidem exigentiam in Theologia sæpissimè, velut Appetitum naturalem in Philosophia repetunt, qualis ea sit nunquam explicant, sed in Metaphora ab usu forensi tradita conquiescunt; Perinde cum Poëtis dixerint, *Supplicat herba Iovi*, atque herba à Deo imbrem exigit, quinimmo plantis arescentibus, personam potius libellum supplicem porrigentis, quam Deum in jus vocantis & litem illi è lege naturæ intendentis, decuisset imponere. Hoc etenim arrogantiæ, illud indigentiæ signum est. Quid igitur de jure naturæ sentiendum? quandonam Deus secundum, vel supra naturam agere putandus est? Utrumque enim divinæ naturæ viribus peræquè respondet. Num res creata jus aliquod adversus Creatorem habet? Nullum. Quid ita? quia jus fundatum in Nihilo nullum est; in alio vero fundari non potest, cum res contingens, ut alibi probatum est, sibi solam naturam Nihili, seu posse non esse vendicet; nam quod possit esse, divina potentia, non autem possibilitate propria, aut non repugnantia concluditur objectiva. Quod autem existat, id, quia à Deo non accepisse, sed semper accipiens intelligitur, nunquam existentiam suam ita possidet, ut in illam jus aliquod acquisivisse putetur; neque enim donum quà datur aut accipitur, sed quà datum & acceptum intelligitur, tuum est, cum tui juris esse nequeat, priusquam jus alienum in te translatum, à teque possessum aut obtentum sit; quare cum ex iis quæ de æternitate diximus, Deus ita semper sit creans, ut creatio semper in fieri, nunquam in facto esse seu præterito cogitari debeat, existentiam

Ratio solida cur nullum jus creatura adversus creatorem.

l. 3. n. 18.

eo

eo modo ſingulis momentis à Creatore recipimus, ut ſemper nunc accipi, nunquam acceptam eſſe, ac proinde neque noſtram factam ſciamus. Nihil igitur habemus in quo jus quoddam proprium adverſus Creatorem fundari que at; nam poſſibilitas à creatr ice potentia non diſtinguitur, exiſtentia nunquam data, ſed ſemper dari cenſetur. Neque etiam ulla de Exiſtentia noſtra notio, præter poſſe non eſſe, formari poteſt, qua nobis quippiam arrogandum appareat; poſſe vero non eſſe præciſe ſumptum, ad eſſe jus nullum, ideoque nec ad ipſius eſſe perfectionem ullam tribuit. Quinetiam ſi exiſtentiam tibi ut tuam, quia tibi jam pridem datam è falſa Creatoris æterni opinione vendices. Quæro à te, tu quis es qui Exiſtentiam acceperis? Homo Poſſibilis. At poſſibilitates ante exiſtentiam à potentia effectrice diſtinctas jamdudum Chimæris aſcripſimus; quare qui perſonam accipientis non ſuſtinet, is ſibi jus nullum donationis lege vendicet; quod ſi exiſtentiæ primo creatæ nil juris inſit, neque etiam conſervatæ ineſſe poterit, niſi præſcriptionis aut uſucapionis actionem Creaturæ in Creatorem dari putes. Jus igitur omne Naturæ creantis, creatæ nullum eſt. Natura vero creans eſt ſumma Ratio, proinde quid huic juſtum, id eſt aptum & conſentaneum ſit agere, quid contra diſſentaneum, non quid natura creata poſtulet, inquirendum, cum de jure naturæ quæſtio inſtituitur. Nihil autem à ſe alienum Ratio ſumma præſtaret, etiamſi rem omnem creatam ab eâ familiaritate intima, & conjunctione arctiſſima, quæ in viſione beata, non modo in unione hypoſtatica ſita eſt, prorſus excluderet. Hæc igitur velle favoris eſt, quæque proinde his aptam & idoneam creaturam efficiunt, naturæ jus excedere, atque ad gratiam attinere cenſentur. Quæ vero neceſſaria ſunt, ut in rebus ordo quidam haud indecorus, & ornatus exiſtat, maxime vero ut creatura rationalis tormentis eximi poſſit æternis, ea ad juſtitiam, non autem ad gratiam referuntur. Neque enim Rationi creatrici congrueret rem exiſtere velle cui inevitabilis eſſet tanta calamitas, neque etiam ut perturbata omnia, & inornata relinqueret. Quibus autem Deus nunc utitur, ut nos eam miſeriam poſſimus evadere, cum eorum vel pleraque vel præcipua ejuſmodi ſint quæ ad viſionem beatam ſimul præparent, & exornent, gratiæ tribuenda ſunt, non juſtitiæ. Non autem omnia, quia non quodlibet bonum agendo, aut malum fugiendo, eum animæ ornatum & decorum adipiſcimur, quo vel abſolutum, vel etiam inchoatum exiſtimes apparatum, per quem ad viſionem Dei claram apta reddatur; quamvis inde ſibi præſidium aliquod adverſus cruciatus æterni metum acquirat, qui nondum in ſe grave crimen admiſerit.

Ius omne naturæ creantis, & in Ratione ſuprema ſitum, hinc quid ſecundùm aut ſupra naturam.

§. 41. Creatio præterea ſpectat ad gratiam; quia rem nullam creandi decretum à Creatoris, qui in ſe uno habet omnia, ſapientiâ neutiquam diſſenti-

sentiret; neque etiam si hominem aut Angelum creatos ad sui conspectum nollet admittere; id itaque si velit, alteram præstat gratiam; similiter quoque si quem in gratia supra creationem recepta, promovet; magis autem si metæ admovet, eum favore novo prosequitur; eidem vero usque ad excessum è vita perseveranti, gloriam dare tum gratiæ tribuitur, tum justitiæ; gratiæ quidem quia à gratiæ derivatur origine; justitiæ vero, quia haud justum esset, id est rationi summæ conveniens, negare gloriam quam promiserat: promisit autem non gratiam recipientibus, sed in recepta decedentibus: his igitur, non illis lege justitiæ gloriam impertit. Neque tamen propterea quod justitiam ad promissionem referam, idcirco in suspicionem vocari velim, quasi ornatum illum animæ quo Dei filia, & sponsa, tum Spiritus Sancti templum, divinæ naturæ consors, atque unus cum Deo spiritus esse dicitur, aptitudine nulla aut proportione gloriæ respondere dicerem. Nam & hæc ipsa clara voce contradicunt encomia gratiæ, & contrà quam in aliis, Deus & sapientes quique soleant, faceret, si tot minis, monitis, & auxiliis ad gloriam per gratiam assequendam impelleret, nisi hanc adepti, ad illam ornati, & aptati quodammodo videremur. Maxima quidem de gloria prædicantur, *Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit*, sed num parva sunt quæ de gratia dicta protulimus? Num ineptus ad gloriam qui jam naturæ divinæ particeps, unus cum Deo spiritus factus est? Si tribulatio levis & brevis à Paulo dicatur; at gratiæ momentum non adimit, quod cum gloriæ pondere, proportione rata, licet haud æquata lance pendatur. Ex hac autem proportione fit ut gloriæ promissio, rationi sit magis consentanea, non autem ut gloriam non promittere à ratione penitus alienum appareat. Itaque promittendo gloriam præstat gratiam, & promissa præstando justitiam servat, eoque magis cumulatam, quò ad promissa recipienda aptiores sumus. Quibus etiam per opera quædam & gratia facta digni vocamur, non quod in nobis sit jus aliquod postulandi, sed quod verè dignum, æquum & justum sit, & rationi summæ maximè consentaneum, ut Deus quos haud indignos, id est haud ineptos & inornatos fecerit, eos potissimum felicitate pacta non fraudet. Hanc autem aptitudinem multi jus vocant, alii strictum, alii laxum, ego nullum, quia re ad Metaphysicæ trutinam examinata in Nihilo fundatum invenio. Illis autem visum est Lycæum in fotum vertere, & legum præscripta ad usum & captum popularem inventa, atque ad jus illud quod hominibus inter se convenit accommodata, ad Creaturæ cum Creatore commercium crassa planè Minerva, & improprierate maxima applicare. Est enim in homine quo jus adversus hominem fundari queat; adversus autem Creatorem ut diximus planè Nihil,

2. Cor. 4. v. 17.

quibus verbis tam paucis in Nihilum altercationum Topicarum immensa farrago, & moles indigesta redigitur. Sed triumphant hoc loco velut in regno suo Dialectici, ubi ex vocibus ambiguis, *justitia*, *bravium*, *merces*, *dignitas*, vociferandi jus amplissimum nacti videntur. Sed dignitas, bravium, merces, nec jus, nec titulum in creatura neque in Creatore debitum, sed hujus quidem promissionem, illius aliqualem significat aptitudinem. Iuris enim & Tituli, & exigentiæ, ideoque & debiti, quod ex adverso respondet, funditus commentum evertimus. Atque odiosam illam arrogantiam à merito, prout à schola non Ecclesia explicatur, atque ab Hæreticis exagitatur, abstulimus. Iustitiæ verò vocem etiam sine aptitudine subjecti per solam promissionem interpretrari licet. Deus enim fidelis, verus, & justus, significatione promiscua è scripturæ phrasi dicitur. Immo cum aptitudinem nisi qua jus quoddam in creatura constituat ad justitiam ipsi non applicent, eam in hac re non mihi sed illis inutilem esse probavi. Nihil igitur in homine reperitur, quod Deum justitiæ laxæ vel arctæ lege constringat, sed ipse sua lege tenetur, ne quempiam, contra quam non res creata, sed ratio increata postulet, promissis ad laborem fraudulenter illexerit, & frustra ornamentis ad gloriam præparaverit.

§. 42. Aves, opinor, audire quid ornatus ille sit, quo anima sine jure quidem, non autem sine proportione quadam, præparatur ad Gloriam. Aristot. Certe cum *Virtus sit dispositio perfecti ad optimum*, gloria vero, prout eam à scriptura & Patribus descriptam accepimus, sit bonum tam sublime, tam præstans, ut nihil ea melius optare possimus; immo quòd cogitata, ideoque & vota nostra superet, cum ne quidem in cor hominis ascendisse dicatur; non potest abesse quin virtutem omnium apparatus eximius requiratur, ut ad eam vel mediocriter elaborati, & dispositi videamur. Omnes autem velut ad unam fidei, spei, & charitatis radicem scriptura revocat. Quas tamen Scholasticorum plerique stirpe quadam altiore, quam gratiam habitualem vocitant, niti contendunt, sed ipsi argumento tum levi, tum falso nituntur. Namque ut animarum Essentiæ facultates infigunt, ita virtutes gratiæ velut Essentiæ ejusdem ordinis supernaturalis inferunt; proprietatem autem nullam gratiæ illius habitualis expromunt, quam in charitate reconditam non invenias. Sed eam ego non tantum ut minus necessariam, verum etiam ut ignotam & cum animæ natura pugnantem excludo; quippe cui proprietas nulla seu naturalis seu supernaturalis præter cognitionem & volitionem ascribi queat. Proprietates enim alias jam dudum alienas ostendi, usque adeo ut ne habitum quidem ab actibus distinctum asciverim: neque peccatum etiam

Gratia habitualis passim nunc admissa rejicitur.

etiam habituale, vel ad semen quoddam ab actuali relictum, vel ad privationem ullam, aut connotationem, sed ad ipsam affectionem animæ, quæ donec à contraria pellatur manet, reducendum esse dixerim. Quo fit ut fidem, spem, & charitatem, & virtutes reliquas, non modo quoad usum, sed habitum in affectione actuali animæ, quæ aliquo cognitionis aut volitionis genere contineantur, nexu doctrinæ consentaneo collocare debeam. Quoniam vero cognitiones & volitiones actuales absque actione, atque etiam animadversione nostra clam imprimi posse docui; nihil obstat quin Deus virtutes animæ per Sacramenta ex opere operato, id est ultra recipientis operationem, immo absque ea veluti per infantium Baptismum inserat. Quæ, quia doctrinæ jam traditæ corollaria sunt, indicasse sit satis.

De occasione erroris Pelagiani.

§. 43. Sed mirandum est unde Pelagio in mentem venerit, ut hoc animæ ornatu nil natura sublimius comprehendi diceret. Nisi forte de gloria abjectiùs sentiret; nam & Patres quidam, præsertim Chrysostomus temporibus illis de Visione Dei clara, ut in se est, non modo ante, sed & post diem extremi judicii obscurè loquuntur. Inde fortè erroris ansam arripuit, ut gloriam ad contemplationem quandam Numinis, quæ intelligendi vim naturalem non excederet, referendam esse censeret; ideoque & viam quæ eò duceret naturæ perviam judicaret. Nam si finem supernaturalem esse putasset, ordine eodem Media collocasset, lapides enim non rudes, sed elaboratos in hac vita, & aptatos ædificio cœlesti inseri non latebat. Id tamen quia fide, spe, & charitate præstari sciebat; hæc Christi monitis & exemplo munitis haud difficilia factu existimabat, adeò ut fortè non tam ex fine quàm mediis errorem hauserit. Sed licet haud factu facilia censuisset, non tamen quod difficile, idem continuo supernaturale dixisset. Tum quia hoc naturæ cujuslibet vires superat, quod autem nostræ difficile, id alteri facile potuisset accidere; tum quia naturæ non modo difficile, sed impossibile probari debes, quod supra potentiam illius positum suadere velis; tum etiam quia quod à nobis nunc fieri non potest, dalias tamen fieri potuisset, nec quia cæcus videre solem nequit, ideo supernaturalis dicitur solis aspectus. Neque si Deus astrum aliquod occultum, quod conspicilio nullo detegi potuisset, conspiciendum objiceret; conspectus illius supernaturalis dicendus esset, nisi & Deum id ostendere naturæ lege nulla teneri, & visum insuper ab eodem instrui acumine plus quam naturali constaret: nam si stellas extimas & absconsas oculis admoveret, earum naturalis esset visio. Quare quod arcana Dei Trini, & gloriæ datoris mysteria credamus, eumque ut talem speremus, & amemus, nihil inde tam excellens in fide, spe, & charitate colligitur, quod supernaturalem obtineat dignitatem. Neque si utrique tantum

Et difficultate circa supernaturalitatem.

ineſſe dignitatis & difficultatis oſtenderes, ut auxilio & actione Dei ſingulari, ſupra id quod ad alia conferre ſoleat, opus eſſe liqueret; nihil ultra conficeres quam quod numerari inter præclariora quædam, & rariora naturæ ornamenta deberent.

Ejuſdem ſolutio perfacilis.

§. 44. Sed hæc & alia quæ poſſunt objici, principiis quæ ſupra jacta ſunt, nullo negotio removentur. Quamvis enim gloria infra claram & immediatam Dei, ut in ſe eſt, viſionem conſiſteret; quia tamen vita æterna gratia Dei dicitur, & ſumma quæque de viſionis illius excellentia in ſacris literis prædicantur, quod ſimiles Deo reddat, & corpus ſolis inſtar ſplendidum, inexplicabilem quandam animæ ſcientiæ luce fulgentis claritatem evincat; haud minoris ignorantiæ quam arrogantiæ foret, Creatorem invidiæ, injuſtitiæ, aut alterius vitii, quod rationi puræ maculam ullam aſpergeret, accuſare, ſi rem nullam ad dignitatis tam excelſæ faſtigium vellet evehere. Multa quippe longe inferiora, neque tamen indecora tribuere potuiſſet. Felicitatem ergo tantam ad gratiam, non naturam ſpectare conſequitur. Quibus igitur agendis aut accipiendis ad illam apti & ornati reddimur, ea tum in ſublimi excellentiæ gradu, tum extra naturæ ordinem collocanda ſunt. Unde gratiam non modo in ornatu mentis ſupernaturali, ſed excellente quoque & ad gloriam diſponente poſitam eſſe cognoſcas; atque excellentiam illius non tam ex eo quod naturam ſuperet, quam quod ad gloriam præparet, eminere. Mus etenim ſi alas haberet, & naturam excederet, & veſpertilioni non multum antecelleret. Sed quia gratia venuſtate tam eximia mentem decorat, ut idonea ſit quam gloriæ ſplendore Deus veſtiat, inde pulchritudo illius & decus elucet; inde etiam apparet ſupernaturalitatis non quidem univerſim acceptæ, ſed gratiæ ſigillatim aſtrictæ ampliſſima dignitas; ſic etenim diſpoſitionem ſignificat ad aliquid tam ſublime recipiendum, quod Deus ſi naturæ non infimæ ſed altiſſimæ non concederet, nihil præter decorum facere videretur. Illuſtrior tamen ſupernaturalitatis animo ſpecies exoritur, cum viſionem beatam, ſive gloriam contemplatur, quæ ſupernaturalitatis illius qua gratia reſplendet, caput & culmen eſt. Longe vero maximè effulget Unio hypoſtatica, tum quia in ſe maxima, tum quia gratiæ noſtræ & gloriæ fons & origo. De gratiæ vero præſtantia indignè ſentiunt, qui eam acceptatione tantùm ſine proportione ad gloriam diſponere arbitrantur. Quid cauſæ fuit cur eam tantopere abjiciant, quam ſcriptura præconiis tantis extollit? Ubinam Deus quippiam ad faſtigium perducit, niſi per ea quæ proportione quadam apta ſtructuræ conveniant? Undenam Pelagium refutabunt ſi opera per gratiam facta deſtinatione ſola, dignitate nulla gloriæ reſpondeant? Nam ſi proportio nulla requiritur, perinde leviſſima quæque bona, quæ Pelagio non negat Eccleſia, acceptata

acceptata fuissent. Ideoque Deus carnem assumeret, factis & monitis ad laborem accenderet, exemplar tale proponeret, ut opere mediocri contentus esset?

§. 45. Non hæreo in gratiæ & supernaturalitatis vocibus; nam opus levissimum ad gloriam à Deo ordinatum, qua sibi ordinationem illam habet affixam, & gratia & supernaturalis meritò vocari posset; neque ego opus tale requiro, quin illud Deo, nisi aliter è Christi meritis decrevisset, non coronare gloria licuisset; ut beneficium triplex præstari liqueat; tum quia per gratiam ad gloriam tam prope admovet; tum quia accessum propiorem gratiæ augmento, ac veluti progressu concedit; tum quia propius admotos à possessione non rejicit. Nihil enim horum est quod sine dedecore negare non potuisset. Sed Excellentia gratiæ tantopore celebrata, & symmetria in Divinis operibus observata, haud modicam gratiæ cum gloria proportionem arguunt: Cumque ea quæ fiunt *prout oportet* ad gloriam consequendam, talia sint, neque Creatoris in creatis, neque in Christi doctrina & exemplo contemplatio, iisdem perficiendis aut etiam inchoandis sufficiat, (id quod contra Pelagianos & Semipelagianos declaravit Ecclesia) parvarum aut mediocrium perfectionum numero contineri non posse conficitur. Quæres, sat scio, in quo sita sit tanta difficultas & dignitas. Adeone magnum & arduum est, credere, sperare, diligere? sane quandam Divinitatis imaginem, eamque non leviter adumbratam per fidem, spem, & charitatem in anima efformari, quæ pòstea per gloriam, quando *simile ei erimus*, absolvenda & illuminanda sit, nemo qui obvia scripturæ & Patrum verba legerit, inficias ire poterit. Quoniam autem lineamenta prima operi toti, ideoque & absolutioni extremæ responderit; gloria vero tam ignota, ut ne quidem *in cor hominis ascendisse* dicatur; Deus etiam, qui velut exemplar à gratia & gloria proponitur exprimendus, ignotior, quippe qui lucem inhabitet inaccessibilem; ecquis in ea, quam experimur, tum exemplaris, tum reliqui operis ignorantia positus, eaque rerum longe dissimilium cura & cupiditate distractus, vel suo Marte se totum impendat, vel sua arte tantum intelligat, id est industriæ & sollertiæ sibi tantum à Deo negari non posse per legem rationis autumet, quantum imagini tali delineandæ, nedum perficiendæ par fuerit? Sapientiam quidem, fateor, maximam & optimam haud deceret, in conditionem quempiam tam miseram sine propria culpa redigere, ut nihil vel boni agere vel mali posset fugere; quocirca animam aliquo bono veluti tabulam paratam seu potius minus ineptam picturæ capiendæ reddere, ad naturæ vires pertinet; operis autem tam excellentis vel lineas primas toti convenientes designare non pertinet. Hoc etenim totius quandam notitiam majorem postulat. At

Difficultas & dignitas operum supernaturalium.

neque notitiam talem, inquies, ad fidem excitati, neque in ea provecti sentimus. At neque operis Idea est necessaria discipulo qui Magistro singula quæque præscribente, & quasi manum dirigente laborat. Quod si Magister lege nulla, sed benevolentia sola discipulum ad opus inchoandum, & prosequendum excitet, in eoque reget & adjuvet, & susceptio, & continuatio, & absolutio Magistri gratiæ, non autem Discipuli industriæ vel ingenio assignatur, quamvis hic operam non invitus sed volens conferat; neque enim per se quicquam quod rei tantæ congrueret, cogitatione complecti, nedum decreto voluntatis amplecti potuisset. Quocirca credere, sperare, & diligere prout oportet ut Divinitatis effigiem per gloriam magis ad vivum exprimendam incipias, neque tam vile, aut factu proclive reputes, ut arti tuæ vel industriæ tribuendum existimes.

§. 46. Cæterum licet hæc ab imagine deducta consideratio, non ficta sed vera sit, quippe quæ & authoritati consentiat, neque à ratione dissentiat; cùm Deo qui totus est intelligere & velle, nihil cognitione & volitione similius, quibus omnem proprietatem spiritualem includimus, excogitari queat; quia tamen nondum apparet quid fidei, spei, & charitati insit, quo animam singulari modo Deo similem reddat, pergendum ulterius, ut considerationi quæ veritate non caret, claritatem, quoad in re obscurissima licet, affundam. *Dixit autem* (nempe Christus) *ad omnes, si quis vult venire post me, abneget semetipsum.* Quid hoc, nisi suum Esse negare, quod perinde est ac si quisque *Non sum*, seu *Nihil sum* diceret. Hoccine fatetur, qui credit, sperat, & amat? Prorsus. Non quia Ego video, sed quia Deum audio credo; non in mea virtute, sed in Dei potentia & promissione spem colloco; nihil quia Meum, sed quia Divinum diligo; unde sibi quisque credendo veritatem, sperando potestatem, amando Bonitatem abdicat: ac si apertè diceret. Nihil est in me puræ veritatis, potentiæ, Bonitatis, cui fides certa, fiducia secura, amor castus, sive à Nihili, seu mali appetitione, ac proinde vitio, & labe integer inniti queat. Neque ego neque res alia creata, sed Deus solus verus, potens, Bonus, immo Deus solus est. *Qui est* sive Esse purum possidet. Ego igitur Non sum, sive Entis indolem non obtineo, nisi significatione quadam, ab ea qua Numinis proprium Nomen est diversissima, sic etenim *Aseitatem* meram significat, cui nil ullo modo simile in creaturæ *Abalietate*, sub Entis notione conspicitur. Nam Deus & creatura sunt differentiæ puræ nullius generis communione miscendæ, ille mera *Aseitas*, hæc *Abalietas* mera cognoscitur, Ut vox nusquam magis æquivoca reperiatur, quam ubi Ens Aseiati & Abalietati tribuitur. Non sunt Entis differentiæ, sed ipsæ per seipsas ab invicem totæ differunt. Multo sane promptius nomine Canis quippiam quod Terrestri & Cælesti conve-

De abnegatione.

Ens de increato, & creato æquivoce dicitur.

conveniat clauſum invenias, aut Juris ad Coquum & Cauſidicum pertinentis, quam Notionem Entis *Aſeitati* & *Abalietati* concordem facias. Cur Deum non modo cognoſci, ſed ſpeciatim definiri poſſe negatur, niſi notionem communem ſive Genus reſpueret? de Differentia quippe dubitari non poterat. Quamobrem *ſuper-Ens*, & ſuper-Subſtantia à Dionyſio vocatur, niſi ut eum à ſpeciebus diverſis eorum quæ uſu vulgari Entia nominantur ſegreget? Niſi ut aliquid non tam inter illa primarium, quam extra & ſupra eadem velut eximium, ſepoſitum, atque omni cogitatione altius evectum indicet? Atque hoc habet illa Dei à Prædicamentis exemptio, ſi quid Metaphyſico dignum habet. Hic nempe rerum ordinem hoc pacto deſcribet. Primùm omnium Aſeitatem ſolam, atque ab omnibus procul amotam pinget, eique nomen Entis aſcribet; tum Ex *Abalietate* quaſi fonte vel ſtirpe diverſitatum divortia vel propagines ducet, dextra Abalietatem incorpoream, ſiniſtra corpoream ſignabit, & reliquorum deinceps diviſiones ordine diſponet, nullibi vero Entis nomen apponet. Hoc enim Aſeitati ſoli, in quo Eſſe omne purum eſt, proprium ſervabit: Neque dum ſibimet mente loquitur, Creaturam Entis notione formabit; Atque hæc prædicamenta Metaphyſica ſeu Mentialia vocabit. Dialectica vero & vocalia aliter ordinabit. In quibus è ſermone vulgari rem creatam Entis appellatione donabit, idque non per increati & creati differentias dirimet, quia ubi creatura vocatur Ens, ibi Deus Ens citra æquivocum dici non poteſt, eritque proinde ſeorſim extra ordinem collocandus, & *ſuper-Ens* nominandus, neque etiam Ens creatum per ſubſtantiam & accidens dividetur, hoc etenim uti latè docuimus, non eſt Ens, ſed Entis proprietas ab eo etiam Mente inſeparabilis. Sed Ens, res, ſubſtantia, in idem cadunt, perque incorporei & corporei divortia in partem utramque diffluunt. Quæ deinde ordine diſſecabit. Tum Entis Modificati ſeriem diverſam ſtatuet, in qua tamen Quantitas, quæ ab Ente corporeo non diſtinguitur, collocari non poterit. Sed de his ſatis.

Arbor prædicamentalis communi plane diſſimilis.

§. 47. Nam quod ad rem præſentem attinet, inde ſat liquet, quo pacto Mens creata cum increata ſe comparans, ſibi Entis Notionem & Nomen abjudicat, atque in ſe nihil, in illo omnia collocat; ſeque ſic abnegando, Deum ſolum Eſſe *Qui-Eſt* neque dubitanter, neque repugnanter agnoſcit; idque non ſolum, ut ita dicam, ſpeculativè, ſed practicè, non intellectu tantum ſed affectu, dum voluntas ſemet ei una cum intellectu reipſa dedit & ſubjicit, cumque & cogitatis regulam, & votis metam aſciſcit, in quo ſolo veritatem, potentiam, Bonitatem puram & ſolidam intuetur. Unde animam Deo ſimilem factam, id eſt intelligendo & volendo concordem cernimus. Deus enim de ſeipſo dicit, Ego ſum qui ſum, Ego ſolus

Explicatur ulterius Abnegatio.

solus verus, potens, & Bonus, Ego in me omnia pono, nihil extra me quæro, nihil desidero, in me uno Esse omne interminato quodam ambitu comprehendo. Hæc autem assimilatio quam difficilis factu sit quis ignorat? Est enim tenax naturæ rationalis ingenium, se sibi avelli ægre patitur, seque nihil Esse non verbo tantum, sed opere quoque ægerrimè profitetur, injucundum est enim perque molestum, cogitata, & optata ad alienam normam exigere, nihil sibi juris affingere, ad alium omnia referre, postremò in seipsa tanquam si omnino non esset nullatenus conquiescere. Unde cur superbia peccatorum omnium radix, & origo dicatur intelligas, quicquid enim peccatur, arrogantia peccatur, qua se quis aliquid esse reputat, neque enim in Nihilo jus sibi legem ferendi poneret; denique cur apud Deum superbi in summo & hostili odio sint; ipsum enim Esse quod Deo summè & unicè proprium est, veluti per vim hostilem invadere atque usurpare nituntur: tum cur in omni peccato sacrilegij virus insit, nihil enim magis sacrum, quam quod maxime Deo proprium est, illud autem sibi proprium contendit peccator reddere, dum arbitratu suo agendi jus proprium, quod ab Esse quoque proprio separari non potest, arrogat: Præterea cur tantopere celebretur Humilitas, quam Abnegationi à Christo omnibus commendatæ, id est virtutis supernaturalis seu Christianæ medullis intime cernis infixam, Hinc etiam apparet cur Annihilationem Doctores Mystici tam vehementer exposcant, ut anima θεοειδὴς sive Divinitati similis evadat: Neque enim Abalietas in seipsa consistens, sed in Aseitatem se refundens, origini unde fluxerat assimilatur. In eam autem neutiquam refunderetur, nisi Entitatis ascititiæ & ementitæ jure falso, Abnegatione non ficta deposito, fæx aliena & discolor expurgata fuisset, ut in Esse purum limpida & illimis influeret.

§. 48. Neque similitudinem tantum, sed unionem etiam & Identitatem cum Deo per Annihilationem fieri, non modo dicunt, sed intus sentire videntur Mystici. Neque Mysticorum à Scholasticis, sed horum ab illis dicta, & sensa corrigenda sunt: Nam qui res clariùs iutuentur, eas etiam veriùs eloquuntur; Mystici verò proprius ad Dei conspectum admoti, radiisque purioribus illuminati, cum Esse divinum fixo mentis intuitu contemplantur, se Nihil Esse alta voce proclamant; quod certe haud tam affirmatè dicendum putarent, nisi plane perspicerent, Notionem Entis, prout Deo convenit, à creatura penitùs adhorrere; quamvis hæc alio sensu longe dissimili Res aut Ens vulgò & vere dicatur, quo tamen sensu Deus non quidem Ens, sed *super Ens* appellatur. Neque iidem Annihilatione perfecta unionem & Identitatem fieri persentiscerent, nisi ad similitudinem quandam etiam imperfecta pertingeret, id est cum fides, spes,

ſpes, charitas, ut in pleriſque fit, nondum ad maturitatem plenam creverint. Patet etiam cur per fidem potius quam ſcientiam ducamur ad Deum; neque enim hâc veritatem noſtram abnegamus, & pro nihilo putamus, & in ſolâ veritate divinâ quieſcimus. Deinde cur ſpes & minus facilis, & magis neceſſaria, quam aſpectu primo videatur, exiſtat. Abnegamus enim vires & facultatem propriam, atque ad claram Dei viſionem, rem maximam & remotiſſimam, illius unius poteſtate & fidelitate confiſi, per ardua & abrupta connitimur; ægrè etiam ſe quiſpiam ad pleniſſimam & difficillimam quæ in Charitate eſt Abnegationem accingeret, niſi ſpes tam copioſæ mercedis alliceret. Porro Charitas trium maxima recte cenſetur; nam ſpe ſibi aliquid, licet non à ſe, quiſque promittit; poteſtati quidem propriæ renuntiat, utilitati verò non renuntiat. Inclinat cor ſuum ad faciendas juſtificationes Dei in æternum, ſed quid reluctantem attrahit? Retributio. Fide ſibi veritatem abjudicat; ſed charior eſt boni quam veri poſſeſſio, nam ſe quiſque non ut vero ſed bono fruitur, magis placet agere prout libet, quam ſentire prout liquet. Nihil æque magnum & noſtrum in nobis agnoſcimus, quam liberam agendi poteſtatem; quippe quâ genus quoddam Dominii claudi videtur; eam igitur ſibi abdicare & Bono divino mancipatam & addictam tradere, & maximum & difficillimum recte cenſetur. Et quia Imago Dei in homine per arbitrium potiſſimum voluntatis elucet, hujus utique ad voluntaris divinæ modum conformata propenſio ſimillimos Deo reddit; major autem & melior eſt ea virtus quæ Deo Optimo maximo ſimiliores efficit, ergo fidei & ſpei Charitas antecellit. Pſal. 118. verſ. 112.

§. 49. Jam vero qui præter fidem & ſpem charitate potitur, neſcio cur juſtus appellari non debeat? Eſt etenim toto corde & animâ converſus ad Deum, atque illius voluntati veluti normâ juſtiſſimâ coaptatus: Rectus etiam, quem nulla erroris perverſi, aut amoris obliqui pravitas à Dei veritate & Bonitate deflectat: Sanctus item & Numini votis omnibus dedicatus; Decôre vero non caret, quem fides, ſpes, & charitas Entis impuri ſordibus exuerunt, atque affectionem animæ, quâ Eſſe purum induit, inſeruerunt; eamque non fluxam, quæ ceſſatione propediem evaneſcat, ſed inhærentem & fixam, neque ſine contrariâ evellendam. Ipſa porro ſcelerum abſterget maculas, haud ſecus ac volitio nolitionem obliterat. Pugnant enim inter ſe manifeſtò Dei legem in aliquo nolle, in omnibus velle ſervatam. Qui vero ſic velit, eum intrinſecus voluntate diſtortum, contaminatum, ſordidum cogitare non potes. Quibus autem actus ſunt fluidi, qualitatem quandam occultam & fixam, quam gratiam habitualem nuncupant, comminiſcuntur, quæ num peccatum patiatur, aut quo ei modo adverſetur ancipiti lite diſceptant. Actuum verò inter ſe pugna, litigantibus argumentum nullum

ſuggerit. E quibus etiam actibus proclive mihi fuerit demonſtrare, quid peccata leviora detrimenti afferant Charitati. Quod longe ab eo, quod vulgo fingitur, diverſum eſſe alibi declarabo. Item cur ad Meritum non modo Charitatis præſentia, ſed efficientia inſuper requiratur, quâque ratione ab actionibus Chriſti Theandricis, omne noſtrum meritum derivetur. Quo pacto Philoſophorum virtutes à Chriſtianorum virtutibus ſecernantur. Quæ veræ, quæ fucatæ pietatis indicia. Quas gratiæ natura larvas imponit. Quot *ara ſonantia*, *cymbola tinnientia*, *ſepulchra dealbata*, *vaſa vacua* pleno ore ſpumantia, *promptuaria* licet prorſus inania, *ex hoc tamen in illud eructantia*, quot Hypocritæ profani ut *ſimilitudo templi circumornati*, & fucoſis ſanctitatis ementitæ radiis coronati dicendum erit. Indicatum eſt leviter, ſed fuſius exponendum, quare ſtructuræ ſupernaturalis fundamentum Humilitas, eademque à comparatione *Abalietatis* cum *Aſeitate* naſcatur. Quo vero modo ad fidem, ſpem, & Charitatem virtutes cæteræ revocentur, vel in iiſdem potius includantur, nihil non obvium & vulgare continet. Quid autem Charitas, niſi valdè perfecta ſit, Purgatorio relinquat excoquendum; quid maculæ etiam poſt peccata deleta remaneat eluendum, explicatu quidem dignum, ſed parum in hoc opere neceſſarium. De illis enim agimus quæ fidei à ratione objici poſſe videntur. Nihil autem velut à ratione alienum hoc loco, ut in Euchariſtiâ, objectat Hæreticus; ſed illud urget, & premit ut Purgatorium ad fidem ſpectare monſtremus; id quod ab aliis tum è ſcripturâ, tum à Patrum conſenſu, perpetuoque Eccleſiæ uſu pleniſſimè demonſtratum eſt. De peccatis igitur & gratia hactenus dictum ſit. Nihil enim eorum quibus à ſcientiâ fides in dubium vocari poſſit, niſi fallit memoria, prætermiſi. De fide verò ipſa extremo loco diſſerimus, quæ tum demum clarâ luce ſe pandet, cum argumentorum quæ adverſari videntur diſcuſſæ fuerint. Quamdam ad Principia à quibus viâ quâdam, & ordine derivatur, reducimus, eam velut in partes reſolvimus; cumque alia præterea ſuperſint reſolvenda, de Analyſi ſive Reſolutione poſtremum Librum inſcribimus; in quem magnitudinis, & multitudinis reſolutionem conjicimus; hanc ad numerum certum, & definitum; illam ad partes extenſas, & individuas, curva ad recta denique revocamus. De quibus cum de corpore ageremus agi non poterat, quippe quæ à Creatricis ſcientiæ contemplatione pendeant; neque poſterioribus inſeri, niſi interruptâ nimium rerum ex ſe invicem aptarum continente ſerie potuerunt.

LIBER

LIBER QUINTUS,
DE
ANALYSI.

§. 1.

EXtenſum in partes dividi, eaſque pro Artificis, & inſtrumenti ſubtilitate minores, & viſu cernimus, atque animo peræquè comprehendimus. Ubi verò ad particulam tam minutam perventum fuerit ut manus hæreat, mente nihilominus ultra progredimur. Nihil enim tam exiguum, modò extenſum ſit, quo minus extenſum cogitando ſumere non liceat. Quod autem à nobis cogitando diſtinguitur, id à Deo operando diſcindi, potentiæ Divinæ conſentaneum videri poteſt. Quo poſito, vel ulteriùs ſine fine dividendo pergendum, vel in aliquo inextenſo, hoc eſt, omnis omnino extenſionis experte ſiſtendum. Cęterùm harum viarum alterutram ingreſſi, iis ubique ſalebris, tenebriſque incurſant, ut neminem non incæpti pœniteat, cùm nec quò ſe vertat, nec ubi conſiſtat, inveniat.

De partibus Extenſi, ſive Diviſione continui.

§. 2. Qui extenſi partitionem inextenſi cujuſdam metâ finiunt, ii extenſum ex ſolis inextenſis conflatum ſtatuant neceſſe eſt. Nam ſi dividendo lineam *AB* ad extremum inextenſum appuleris, eoque ſublato, reliqua, eodem partitus modo fueris, in aliquo terminos inextenſos impinges; ſimilique deinceps reliquorum partitione nihil omnino in lineâ extenſa præter puncta penitus inextenſa, ſeu ut vocant, Mathematica, numerabis. Hoc autem tam ab omni ratione, & verò etiam cogitatione alienum eſt, ut qui id aſſerant, ſimiles videantur iis qui in ſummis anguſtiis ſubitò deprehenſi, ea ad defenſionem metu, non mente ſuadente proferunt, quæ nec ipſi intelligant, nec ab aliis intelligi poſſe ſperent.

De punctis Mathematicis.

§. 3. Sanè *Nihil Nihilo* additum, nihil efficit; alioqui nihil non eſſet nihil, ſed aliquid, ſi illius quod eſt *Aliquid* accrementum foret: aliquid enim eſt, non nihil, cujus adjunctione aliud in majus quoddam eſſe tumeſcat. At ſi puncto punctum, hoc eſt, inextenſo inextenſum additum conflaret extenſum, nihil nihilo additum efficeret aliquid; Nam inextenſum, quod

quod ad extensionem quidem attinet, tam nihil obtinet, quam si nullam, ne entis quidem, rationem haberet. Fac inextensum non esse merum figmentum, sed ens aliquod verum: junge huic inextensum alterum: plus quidem entitatis erit in utroque, quàm in alterutro, extensionis autem nihil amplius. Quid ita? quia in utrolibet entitatis aliquid, extensionis nihil existit. Finge *colorem* esse qualitatem absolutam, *gravitatem* itidem: colori deinde cogitatione gravitatem adjungito: qualitatis amplius invenies, non coloris: neque aliam ejus rei causam inveneris, nisi quia gravitas, quâ gravitas est, perinde se habeat, quod ad rationem coloris attinet, ac si nec qualitatis, neque etiam entis rationem haberet. Itaque cùm plurium conjunctione incrementum in aliquo genere contingit, singula certè aliquid ejus generis habeant necesse est, quod ad augmentum commune conferant, singulę proinde Extensi partes extensionem habent; non igitur ex inextensis, seu punctis Mathematicis consistit extensum.

§. 4. Sed audiamus, si placet, quid contra objiciant. Paries, inquiunt, non est Domus; neque tectum est Domus; ex utrisq; tamen Domus efficitur; quare ex duobus punctis Extensum fieri poterit, licet neutrum sigillatim extensum fuerit: Similiter plures unitates numerum constituunt, cùm nulla seorsim numerus sit. Sed hi verba jactant, vim verborum non considerant. Nonne numerus est ex unitatibus conflata multitudo? Nonne Domus est habitaculum ad injurias Cœli defendendas extructum? Unitas ergo aliquid illius continet quod ad numeri rationem attinet: Similiter tectum defensionis aliquid affert, paries itidem; ac proinde neutri deest quod ad constitutionem Domi contribuat. Punctum autem, cui nihil extensionis inest, quid habet quo extensionem efficiat?

§. 5. At enim puncto apud Geometras respondet unitas in Arithmeticâ, ex unitatibus autem numerus; igitur & ex punctis extensum. Erras utriusque ignoratione scientiæ. Cum Solem in primo puncto, hoc est, in ipso ingressu Arietis notant, cyfram ascribunt, non unitatem, cyfra autem nihil in numero, punctum igitur in Extenso nihil indicat. Unitatem autem haud priùs adhibent, quàm partem unam, veluti gradum, minutum confectam intelligant. Quid autem punctum sit apud Geometras, & quâ causa confictum, in ipso Geometriæ nostræ vestibulo explicamus, & infra quod huic loco satis sit indicabimus. Quod nos inextensum, alii *Indivisibile*, neque re, neq; mente dividuum nuncupant, atque hunc in modum argumentum effingunt. Indivisibile additum indivisibili non facit aliquid alterutro majus; quia primum à secundo non parte aliqua, quippe quam neque reipsa, neque cogitatione nostra contineat, sed totum tangitur: erit igitur secundum intra primum immersum (id penetrationem appellant) seu potius cum primo commensum; non

Cyphra puncto, unitas parti respondet.

non igitur extra prominet ut longitudo naſcatur. Sic inſtantibus opponunt adverſarii diſtinctionem contactus penetrativi, & conſecutivi, ut bina puncta vel intra, vel juxta ſe mutuo collocentur, hancque juxta poſitionem à penetratione etiam in re indiviſibili diſtingui poſſe contendunt. Multa ultro citroque congerunt, regeruntque. Verum effugium hoc longe facilius *inextenſi*, quam *individui* notione præcluditur. Eſto enim, inextenſum adhæreat inextenſo, non inhæreat, nihil tamen extenſionis adjungitur, nihilo ergo fit majus extenſum. Quare punctum *inextenſi* potius quam *individui* nomine declaramus, quia clariorem extenſi explicationem ſuggerit.

Punctum ſeu momentum temporis non eſſe penitus inextenſum ex Atomis extenſis inferius explicandis patebit.

§. 6. At tempus, inquies, quod extenſionem quandam habet in *Ante* & *Poſt* ex inextenſis componitur, nihil enim eſt temporis quod aliquando non exiſtat; nihil autem unquam temporis exiſtit niſi id quod dum exiſtit: *Nunc* dicitur; illud vero inextenſum eſt, tum quia Authore Ariſtotele paſſim aſſeritur, tum quia ſi extenſum eſſet in *Ante* & *Poſt*, ſimul eſſet *Ante*, *Nunc*, & *Poſt*, deque eo quod ſucceſſione quadam fluit, vere dici poſſet, ſimul *fuit*, *eſt*, *erit*. Extenſum igitur fluidum ex momentis inextenſis; cur non & fixum ex punctis ſimilibus coaleſcat? Immo contra potius arguendum; Extenſum fixum ex punctis extenſis componi docebimus, cur non igitur & extenſum fluidum ex momentis componatur extenſis? Adhæc etenim quæ de illis dicenda ſunt nullo negotio transferentur. Nam ut punctum Mathematicum à Phyſico & vero diverſum eſſe docebimus, & in ſola Geometrarum mente ſubſiſtere, ita *Nunc* Mathematicum, ſeu momentum temporis inextenſum notionibus tantum, non rebus ineſſe conſequitur. Quod *Nunc* dicitur individuum quidem ab Ariſtotele non tamen dicitur inextenſum: ſin autem individuum ipſi pro inextenſo ſumatur, vel de *Nunc* Mathematico intelligatur oporteat, vel manifeſta rario, qua extenſum inextenſis augeri non poſſe docuimus, Ariſtotelis authoritate potior habeatur. Interea ſat fuerit adnotaſſe nullum eſſe in tempore momentum quod reipſa extenſione careat, non quod *Ante*, *Nunc*, & *Poſt* vero inter ſe diſcrimine in momento unico diſtinguantur, ſed quia pars minima temporis prius, & poſterius ſimul contineat, prout in eadem Atomo diverſa latera contineri monſtrabimus. Quare non erunt ſimul *Ante Nunc* & *Poſt*, quia licet ipſum *Nunc* ſit quid extenſum, non tamen in *Ante* & *Poſt* veluti partes reipſa diſcriminatas extenditur. Quam rem perſpicuam reddent quæ de Atomis extenſis infra dicentur.


τὸ νῦν ἀδιάιρετον.

§. 7. Contra puncta Mathematica ingeruntur à multis plurima', quaſi adverſariis os occludere per vim ſatagerent. Sed fruſtra. Nam quos nihilo nihil addendo, conflari aliquid non pudet aſſerere, eos nulla argumentorum

torum evidentia à ſuſcepta ſententia dimovebis. Ecquid ab iis ſperes non dico ingenioſæ in veritate quærenda ſubtilitatis, ſed ingenuæ in profitenda ſinceritatis, qui propoſitionem tam claram, adeoque ex mera verborum perceptione perſpicuam vel non intelligant, vel intellectam abnegent? Profer ſodes, ex tota qua late patet Geometria, principium huic uni axiomati præferendum: *Nihil extenſionis nulli extenſioni additum, non facit extenſum.* Argumentis igitur ſequentibus, non huic primo præſidium, ſed iis quæ dicenda ſunt præludium ponimus.

Argumenta Geometrica adverſus pũcta, nihil aſſumendo quod extenſo è punctis conflato repugnet.

§. 8. Si puncta admittis Mathematica, ea in directum collocari poſſe non abnues. Horum ſeptena conſtituant rectam A B, totidemque in ſingulis rectis A C, B C, A D, B D ponantur. Non ut Euclides poſtulo ut circulum perfectum deſcribi poſſe concedas, tantum ut binæ alicubi, veluti in C, D, concurrant poſtulo, interque extrema C, D, puncta ex æquo jaceant, quæ C D rectam efficiant: Denique ut quæ ſibi mutuo applicata congruant, ea fatearis æqualia eſſe. Qui Geometriam vel ex limine tantum introſpexerit, ex his ſolis indiſſolubili conſecutionum nexu confectum intelliget A E applicatam congruere B E, ideoque illi parem eſſe, ac proinde rectam impari punctorum numero conſtantem in ſemiſſes pares eſſe diviſam, quantumvis hinc terna, illinc quaterna puncta conſiſtant. Nam C D per aliquod punctorum ſeptem transibit; eſto igitur tertium, vel quartum ab A, ea enim ſunt medio proxima. Si tertium, ergo A E trium, B E quatuor punctorum erit: Si quartum, contra fiet, utrolibet autem modo rectæ A E, B E, contra id quod demonſtratum eſt, impares erunt. Tametſi vero apud Geometras punctum E ſit utrique rectæ commune eò quod punctum ab ipſis ad extenſum tantummodo terminandum, non augendum ſumatur, in hac tamen ſententia propter rationem contrariam ſumi non poteſt. Id ſi quis Geometriæ ignoratione tentaret, is in alium ſe laqueum haud minus ſolutu difficilem nec opinans indueret, cum recta punctorum parium ſecunda bifariam proponeretur. Eſto enim A B punctorum ſex, & reliquæ totidem, ſimiliterque ut ſupra diſpoſitæ, & C D tranſeat per punctum tertium E, (neque enim inter tertium, & quartum, quippe quæ contigua ponantur, cadere poteſt.) Si punctum E utriuſque rectæ punctis annumeres, in una terna, in altera quaterna reperies.




Elem. Eucl. l. 1. pr. 10.

§. 9.

§. 9. Dixerit fortaſſe quiſpiam extenſum Geometricum prius probandum cum Phyſico convenire, quam demonſtrationibus Geometricis ad extenſum Phyſicum accommodatis, conſtet veritas. Quid inter illa conveniat, aut diſcrepet, infra videbimus; nam hujus loci nil intereſt, in quo illam ipſam tuam, quam tu tibi ipſe fingis conſtructionem extenſi, ſumpſimus; neque quicquam concedi quod eidem ipſi non quadret poſtulavimus; neque in ipſis conſecutionibus, quæ pauciſſimæ ſunt, atque clariſſimæ, & cuilibet in ipſo Geometriæ ingreſſu notiſſimæ, quidquam invenies, quod ab eodem extenſo diſſentiat: Nihil enim in 8^a. 1^mi. Eucl. quæ triangulorum ACD, BCD, angulos ad C probat æquales, neque in 4^a. quæ baſes AE, BE, pares oſtendit, invenies, quod etiam extenſo è punctis compoſito in dubium revocari queat.

§. 10. Ecce tibi aliud exemplum quod haud majorem Geometriæ notitiam deſiderat. Eſto ABCD quadratum paribus lineis, anguliſque rectis extructum. Latera æqualia negare non poteris; quid enim vetat ſingula octonis punctis conſiſtere? Eorundem autem ad angulos rectos ſitus, ex ſuperioris figuræ, abſque ullo prorſus additamento, conſtructione deducitur; id quod infimi Geometriæ tyrones teſtari poterunt.




Tum puncta in directum poſita conſtituant rectam diagoniam BD. In latere AD accipe punctum E quintum ab A. Similiter in BC punctum F quintum à B, atque punctis intermediis ex æquo inter E, F, extrema jacentibus rectam EF conflatam intellige: reliqua item quæ ex adverſo ſunt puncta rectis ſimiliter lineis conjuncta. Quo fiet, ut octonis rectis contiguis conſtrata ſit tota quadrati area. Quoniam autem recta EF, unius tantummodo puncti latitudinem obtinet, cogitari non poteſt quo pacto plus quam punctum in BD occupet: non enim amplius in lateribus: Quare cum E, F, ſint puncta, cur non & G? Neque enim qui puncti penitus inextenſi notionem mente formaverit, quod extenſione cum careat, omnis quoque figuræ expers eſſe debet, quid ſitus in obliqua DB variet, unquam invenerit. Singulæ proinde tranſverſæ per ſingula in obliqua puncta tranſeunt. Non igitur erunt plura quam octona puncta in DB, ac propterea non foret major quam DA. Sed quia cum iis agimus quibus nulla eſt cura dicendi quæ vel ipſi intelligant, vel

ab

ab aliis intelligi velint, modo illis ad clamosa disputationum solemnium jurgia verba non desint, concedamus plus puncto occupari in G, propter obliquitatem rectæ B D. Si duo puncta integra; ergo B D foret dupla rectæ A D: Si punctum unum integrum & partem alterius, quæro primo, quo jure partem in puncto status Mathematico, cujus pars nulla est; (ita enim definitur à Mathematicis.) Atque ita ab iis sumitur ut nullum ei seu divisibilitatem, seu extensionem ne cogitando quidem tribuant? Quæro deinde, quotam partem? Sane si quid in re quæ ab omni ratione aliena sit, rationi consentaneum dici queat, dimidiam respondebis. Nam si rectæ E F punctum unum occupet in B C quæ illi ad angulum rectum objicitur, sesquipunctum occupabit in B D quæ eidem ad semirectum occurrit. Itaque B D semisse superat A D. Tantum autem abest ut B D sit rectæ A D vel æqualis, vel dupla, vel sesquialtera, ut errorem non modo amussi Geometrica, sed fabrili regula deprehendas. Non urgeo eam à Geometris poni inter B D, & A D, inæqualitatem, cui nulla mensura communis congruat. Id quod à punctis alienum est, quorum unumquodque aliquoties acceptum non minus lineam, quam unitas numerum metietur, hoc enim ex penitiore Geometriæ recessu promendum esset. Qui vero ad obvia, & clara cœcutiunt, ii in remotis, & abditis nihil dispicient.


§. 11. Id autem quod sequitur ita perspicuum est, ut nemini obscurum esse possit. Poterit saltem Deus ex A puncto disponere plurium punctorum in directum ordinem, veluti A B, alium quoque A C punctorum totidem; eoque insuper inclinationis ad invicem angulo, ut latus alterutrum triplo, aut etiam quadruplo eoque amplius excedat basim B C. Acutiorem quippe angulum, quam qui hoc loco requiritur, vel obtuso circino describunt Opifices. Pone B C punctorum quatuor, & B A sedecim, atque adversa laterum puncta rectis jungito alternis si lubet, vel etiam pluribus prætermissis. Certe transversarum prima E D quæ tertia vel quarta puncta connectat, major est apice, vel puncto A:



hanc quoque superat transversa G F, quam sexta utrinque puncta terminant: ubi ad transversam quartam hac via perveneris, eam basim majorem esse confeceris: nam si singulis puncti unius (quo nihil minus cogitari potest) excessum tribuas, quina puncta in ultima numerabis; excessus autem aliquis negari potest, nam si E D foret æqualis ipsi F G, latera E F, D G, æque distarent, neque ad concursū in vertice propenderent. Jam si ultima I K basim superat, latera non ad A, sed

sed ad partem adversam inclinata procumberent. Mitto alia permulta quæ ex hoc figmento sequuntur absurda, quia nihil his quæ allata sunt evidentius excogari potest.

§. 12. Unum tamen non omittam, non quia cæteris quæ adduximus magis perspicuum, sed quia ad vulgarium Philosophorum captum magis idoneum, quodque non ex situ, ut reliqua, sed motu puncti deducitur. Argumentum è motu adversus puncta.



Esto curvatura rotæ extima A E, peripheriæ circuli B D quadrupla, ipsius autem C Θ octupla. Centrum quo radij vergunt sit L. Ponantur

in arcu CO puncta duo, in BC quatuor, in AE proinde sedecim. Finge nunc moveri punctum A versus E. Eo igitur moto vel unà moventur BC, vel tantisper quiescunt; si unà moventur, ergo dum A punctum unum conficit, B, C, nihilo minus (nihil enim puncto minus cogitari potest) conficiunt. Quare cum A binis punctis peractis ad F pervenerit, erit B in G, & C in O. Radius igitur ab F per G, O, ad L via obliqua protenditur: Unde crescente obliquitate radii, & curvitas visu discerneretur, & discriptio insuper sequeretur; denique motus omnes æquales forent, adeo ut nec Achilles, licet pedum velocitate toties ab Homero celebratus, præeuntem testudinem assequi posset. Achilles enim dum uno puncto se promovet, testudo vel nihil, vel nihilo minus puncto procedit. Quod si motum non continuum, sed morulis interceptum finxeris, ut puncta A, B, C, in eadem quæ ad centrum extenditur recta consistant, fiet ut quoniam AE est octuplum arcûs CO, & quadruplum arcûs BD, dum A uno puncto progreditur, C octo punctorum morulis, B verò quatuor immotum hæreat, alioquin in rectam EDOL haud simul inciderent. Ex quo efficitur ut cum A erit in puncto tertio M, nondum B, nedum C, stationem primam reliquerit; erit igitur radii ductus obliquus ad centrum ab M per B, C ad L, id quod & visa curvitate, & audito fracturæ strepitu haud longo intervallo patesceret.

Contra puncta infinita.

§. 13. Sunt qui Extensi partem quantumvis exiguam infinitis punctis inferciant, ut argumenti superioris, atque aliorum, in quibus puncta certa, ut tertium, aut quartum assumimus, vires elidant; rati nil certum in confusa, & indigesta infiniti congerie posse signari; quasi verò mens illa quæ cunctorum seriem ordinaverit, singula quæque non ordinate cognosceret, ac proinde omnium summam numerando colligeret, & quæ quibus in trianguli aut quadrati lateribus ex adverso respondeant clare dispiceret. Qua sola designatione concessa, superiorum demonstrationum veritas firma consistit. Sed de infinito alibi, cujus ruina opprimitur ista sententia; neque se à primo quod contra puncta intorsimus argumento tutatur: Nihilo quippe extensionis quamvis infinities sumpto non crescit Extensum.

Contra extensum è partibus sine fine dividuis.

§. 14. Contra eos qui Extensi divisionem puncti Mathematici meta finiunt, hactenus. Sequitur ut eos qui ulterius sine fine dividendo procedunt, aggrediamur. Qui in solis argumentis dialecticis è trivio desumptis, & opinione populari subnixis omnia ponunt, ii contra extensum sine fine dividuum in hunc modum alta voce declamant. Ergo ex ala Muscæ, vel bractea aurea in bracteolas tenuiores sine fine dissecta vel ipsi cœlo operimentum fiat. Hoc enimvero prodigii instar, hoc nullius imaginatio capiat,

piat, hoc delirantium somniis, non Philosophorum dogmatis annumerandum. Bona verba: non quia mirum, idcirco falsum, neque si quid imaginationis angustiis haud comprehenditur, id continuò mentis humanæ capacitatem excedit. Geometræ certè quibus mens longe præ cæteris ad notiones extensi perspicuas exculta est, rectam quantumvis exiguam cogitatione dividunt, & quolibet extenso proposito aliud seu majus, seu minus excogitant. Tu quod nulli Geometrarum unquam in mentem venerat, additione puncti, hoc est Nihili, quod ad extensionem quidem attinet, incrementum extensi comminiscēris: Et quasi nihil pensi haberes quid dicas, modò adversario strenuè contradicas, quæ ex bisectione rectæ, & parallelis ad trianguli basim, quæque ex motu rotæ contra puncta torquentur, ea tu contra partes quacunque proportione divisibiles, adeoque in omnem differentiam sectiles sine ulla veri vel similitudine, vel cura retorques.

§. 15. Itaque prætermissis puerilis Dialecticæ terriculamentis, è primæ Philosophiæ principiis argumenta promamus. Quod à Deo sciri non potest, id ab eo fieri non potuit, cognitione enim dirigente operatur Deus: at partes sine fine partibiles neque ipsi Deo cognitæ sunt: neque enim satis est ut partem integram comprehendat, nisi singulas illius particulas distinctè perspiciat, ac veluti sigillatim enumeret, ut primæ secundam, secundæ tertiam annectat. Quamvis enim totum simul extensum ex nihilo possit educere, id tamen si cognitione dirigente faciendum est, haud minus distincta singularum partium notitia requiritur, quam si successu temporis veluti texendo telam, filamentis fila subjungere: Alioqui singularum partium nexum, totamque texturam haud clare perciperet: nam nisi à primâ ad ultimam quasi progressu quodam mentis telam faciendam perlustraverit, incertus esse poterit, quo situ, nexuque, rectone, an pravo inter se mutuò partes cohæreant. Prima inquies, & ultima sciri nequit, quia nulla est prima, nec ultima, cum quælibet ulterius dividi possit. Sed hoc ipsum probat texturam hinc cognitionis opificio factam non esse, atque idcirco non scientiæ divinæ, sed ignorantiæ humanæ figmentum esse. Si primam non novit, igitur nec secundam, & tertiam; partes igitur quæ circa principium sunt, rectone an obliquo collocatæ sint ordine non discernet, ac proinde lineam in directum extensurus, hæreat necesse est. Parum juvabit partes singulas videre, seu nullam non videre, nisi singularum ductus, & ordo compareat, ut si quæ forte ultra vicinas extuberet, innotescat: nam ex iisdem partibus alio situ positis lineam diversam nasci liquet.


§. 16. Præterea quod Deus ſimul texuit, id utique ſimul retexere poterit, ſingulaſque proinde juncturas uno ictu diſcindere, ut nulla pars alteri juncta remaneat; nam ſi quæ non disjuncta ſit, ea Deum latuit, quam ſi vidiſſet, in eam quoque ictum direxiſſet: nulla igitur partium junctura reſtat illæſa, neque quicquam ulterius dividendum: extenſum itaque in partes omnino indiviſibiles diſſectum eſt. Palmos fatentur ſingulos poſſe disjungi, hoc eſt partes determinatas, non ſemipalmos, ſemipalmorumque dimidia, reliquaſque dimidiorum ſemiſſes, quas indeterminatas, proportionales, & communicantes appellant. Quid ita? An non ſingulas ità vidit, ut nullam non alteri videndo junxerit, cur igitur ità junctas non videat, ut nullam non juncturam ſolvere poſſit, atque adeo nullæ inter ſe partes junctæ cohæreant? Eo, inquiunt, modo videt quo ſunt, ſunt autem fruſtra quælibet in plura ſectilia. Non ita, ſed contra. Eo modo debent eſſe ut diſtinctè & ordinatè cerni queant, alioqui cognitione ordinante creari nequiviſſent, non autem eſſent diſtinctè, & ordinatè conſpicua, ſi eſſet pars quælibet ultra dividua, non igitur hujuſcemodi partibus conſiſtit extenſum. Nihil hic de partium infinitate urgeo, cum haud alio numerus infinitus, quam infinita partibilitas jure damnetur, nempè quòd utrumque ſit ſcitu, ac proinde factu impoſſibile. Deinde cùm numeranti reſpondeat illud infiniti genus, quod partibus commune quippiam habentibus, non undequaque diſcretis competat; aliquale infiniti ſecundum quid, & ſimpliciter aperitur effugium.

§. 17. Sunt tamen quam plurimi, quibus hæc quoque rima præcluſa eſt. Nimirum Geometras craſſa Minerva interpretati, qui ubilibet in linea punctum aſſignant, neque ullibi bina puncta contigua fingunt, quibuslibet partibus reipſa punctum interjectum putant. Hocque à Mathematicis mutuati ad uſum phyſicum transferre ſatagunt, ut puncta partium juncturæ fiant, eoque modo Extenſa continua à contiguis differant. Contigua enim apud Ariſtotelem vocari audiunt quorum extrema ſunt ſimul, continua vero quorum extrema ſunt unum, id eſt punctum unum utrique commune obtinent. Hac illecebra tracti in aperta pericula præcipites ruunt. Puncta quippe manifeſtò ſunt infinita, nam adeo à ſe mutuo adæquatè diſtincta, ut etiam interjecta parte ſint diſita: multitudo vero tanta, ut ſemper ſit aliquid extra ſumere, neque priùs numerando finita, quam partium diviſio finiatur. Deinde omnem humanæ mentis captum excedit, quòd inextenſum extenſo reſpondeat, & quadam ſui commenſione partibus aptatum, eas inter ſe medio nexu colliget. Sed non fuit tantæ, tamque difficilis operæ pretium: nam quid Geometræ velint; quoque ſibi partes modo cohæreant; quid Continuum diſcrepet à Contiguo, perfacile deinceps explicabitur.

§. 18. Alii

§. 18. Alii nec pauci, nec infimæ notæ Philosophi, ut implicatam illam, neque unquam intellectam partium mensura omni minorum, numero quovis majorum congeriem amoliantur, ajunt Extenso nullas partes ante divisionem inesse. In hos reliqui turmatim invadunt. Dum serpit per fomitem ignis, vel forma Equi per materiam nutritione diffunditur, pars partem aggenerat, causam verò ab effectu distingui nemini dubium esse potest. Sed hæc falso principio nituntur. Nulla enim est hujusmodi efficientia, uti alibi docemus. Neque illud majorem vim habet. Pars altera Extensi illuminatur, aut calefit, altera non. Calor enim & lumen & motum includunt, & motibus diversis partes agitant, dividuntque. Contra partes in potentiâ, non actu.

§. 19. Restat una brevissima, eademque clarissima refutatio. Nulla res à seipsa dividi potest, alioqui non esset ipsa, sed alia: divisionem igitur distinctio antecedit: non enim separatione fit, sed tantum patefit discrimen partium. Vbinam, obsecro, est instituenda divisio, nisi ubi partium termini se mutuò contingunt? ubi autem plura abinvicem, tametsi minimè disjuncta, sed tantum disterminata videris, ibi aliquoties unum, seu distinctorum numeres multitudinem. Sed mirum est hoc argumentum ab iis usurpari, quia rem à seipsa dividi, ac separari, dum in pluribus simul locis ubicatione, quam vocant, circumscriptiva distenditur; eandemque rem sibi ipsam obviam ire, & alterutrius ubicationis amissione, se sibi denuo postliminio reddere, jucundo phantasiæ ludibrio somniant. Sed audiamus aliòs suæ sententiæ patrocinantes. Unum, inquiunt, dicitur indivisum in se, & divisum à quolibet alio; divisione igitur nascitur multitudo, sive distinctio. Fateor, sed divisio hoc loco pro separatione non sumitur. Est enim à Geometris petita definitio; cum numeri prima, & planissima notio divisione Extensi Aristotele teste nascatur. Videsis Geometram dividentem extensum. Esto recta *A B* secanda bifariam; utrinque æquilaterum punctis C, D, fastigiatum exstruit, eademque recta conjungit. Quo tantus linearum apparatus pertinet? Nempe ut in *A B* signum seu terminum *E* inveniat, qui binas æquales *A E*, *B E* terminatione non separatione distinguat. Sed & hinc quoque alterius erroris ansam arripiunt. Cum Geometras vident designatione tantummodo puncti, vel signi *E*, binas rectæ *A B* partes distinguere, parum seu gnari, seu solliciti quid extensum ad contemplandi subtilitatem mente confictum à rei veritate differat, adversariorum incursus hac arte repellunt. Dextra pars extensi cognoscitur, videtur, tangitur, Sinistra non item, hæc igitur ab illa distinguitur, iteratisque clamoribus



ribus contradictoria insonant. Hi contra reclamant designatione ipsâ distinctionem, quæ ante non fuerat, factam esse; quasi vero designatio extranea rebus ipsis, intraneam mutationem inferret, eamque maximam, quippe qua res una à seipsa divulsa in plura fatiscit, atque dissolvitur. Geometris quidem licet materiam, quæ sola ipsorum cogitatione nititur, cogitando distinctam fingere; non tamen idcirco Physici in materiam à Deo constructam id juris poterunt vendicare. Sed de his infra explicatiùs.

§. 20. Videamus nunc sublato ne partium discrimine, num id ipsum, quod vitare volebant, tollatur incommodum. Non habeat actu seu reipsa partes ante Divisionem, Extensum, sed tantum ut loquuntur in potentia, ut alias atque alias sine fine minores Deo dividente possit habere. Quid? Nonne Deus priusquam partes ab invicem secando dirimat, quot, qualesque partes emergere possint prævidet? partes autem sine fine, & multitudine auctæ, & magnitudine minutæ, nec sub divinæ scientiæ comprehensionem caderent; cum neque multitudini meta, neque magnitudini mensura certa constiterit; quod autem in suo Esse incertum, indeterminatum, atque indefinitum est, id cognitione definiri, ac proinde, cognitione certum essentiæ modum definiente, fieri nequit. Nil autem refert quod res ipsa sit una, nec in tot, talesque partes actu distincta; ipsa enimvero, ut ita dicam, in hujuscemodi partes distinguibilitas, absque earum partium, in quas divisione distingui poterit, distincta notitia clarè intelligi, ideoque nec intelligendo produci potuit.

Vera sententia.

§. 21. Quoniam igitur neque extensis actu, vel potentia sine fine dividuis, neque etiam inextensis consistit extensum: reliquum est ut extensis individuis componatur, quibusque proinde nulla partium minorum distinctio donetur. Nam Deus quas creando conjunxit, movendo disjungere partes posset. Quamobrem qui Extensum resolvunt in corpuscula quibus partium distinctio conveniat, separatio repugnet, turpius hallucinantur iis qui sine fine dividua statuebant. Absurda enim omnia, & absona utrosque pari ruina opprimunt, quippe quæ è partium sine fine minorum distinctione, non divisione sumantur. Hi vero si propriam insuper cladem accersunt, dum Deo potentiam partes diversas diversis motibus ciendi abrogant. Prætermissis itaque talibus Individuis, ad nostra pergamus. Quæ quia extensa sunt, & exigua, vocantur Corpuscula, quia Individua, Atomi græcè dicuntur. Talesque Democritus, quem Seneca Antiquorum omnium subtilissimum vocat, posuisse putandum est, tum quia idem alibi Democriti Atomos, itidemque Augustinus. diserte Corpuscula nuncupant; tum quia indignum esset tanta subtilitate commentum, Extensi ex Atomis omnimodè inextensis coagmentata structura. Neque ea tantum

Contra Atomos ex partibus distinctis, & inseparabilibus.

Veræ sententiæ confirmatio.

l. 7. q. nat.

l. 5. ep. de cur. quæstionibus.

tum ratione moveor, ut hoc Atomorum genus assumam, quod aliquid assumatur oporteat, ac præterea nihil reliqui sit, (quamvis & hæc ratio, licet claritatis ad videndum parum, firmitatis tamen ad sustinendum plurimum habeat) sed ipsa prima ac genuina Extensi notione plane compellor; quæ rem quandam in longum, latum, & altum porrectam indicat; quam determinata quædam Extensionis mensura consequitur (cuique etenim sui Esse certus est modulus) hanc ambitu quodam extensionem certam terminante circumdatã notione tertia deprehendimus. Partium autem notio haud prius emergit, quam plura, suo quæq; termino, comprehensa, eaq; ratione ab invicem distincta noscamus. Distinctionem sequitur separatio, si partibus non idem, sed alius, atque alius motus accedat. Non igitur omne extensum est in plura distinctum atq; dividuum. Habes enim Extensum unum certa extensionis mensura circundatum, prius quam distinctionis ullum, nedum divisionis vestigium appareat. Relege, si lubet, iter quod progressu rationis facimus, ut si quis obex occurrat diligentiùs inquiras. Cogita Extensum, quid deinde? Sane si est, definita quædam illius esse, quod habet, mensura inest, alioqui illud esse nullo modo à scientiæ Creatricis designatione profluëret. Porrò mensura certa sine limite certo, ubi metiendo consistas, intelligi nequit. Ecce tibi extensum suo termino circumscriptum. Nec dum apparet distinctio., quando igitur? Nempe cum aliud extensum suo quoque ambitu limitatum attigeris. Neque distinctionem continuò divisio excipit. Deflectendum enim paululum ad cogitationem motus: quem nisi inveneris, ad divisionem partium nusquam perveneris. Nisi enim parte altera quiescente moveatur altera, vel utraque non eodem sed diverso motu feratur, separatio neutiquam consequetur. Nescio quam, verum investigando, viam ineant, qui notiones Extensi, atque dividui vel unà confundant, vel nexu necessario inter se mutuò constringant. Sane si quis ingenij vi, atque exercitij usu, notiones animo claras, & simplices informando, easque ordinata serie disponendo, aliquarum rerum quas ante ignorabat notitiam acquisierit, rerumque veritatem cum Dialecticis incerta vocum interpretatione, & implexa complicatione, experientia doctus scrutari disierit; is clarè perspiciet, quicquid contra objectum fuerit, non posse ulla ratione fieri, ut Extensa quæ cernimus non resolvantur in partes extensione quadam præditas, sed Distinctionis omnis & Divisionis expertes. Neque hoc cuiquam obscurum esset, nisi argumenta ex falsis deprompta principiis, caliginem menti offunderent. Ea sunt quæ vel ex prava distinctionis notione & notis emanant, vel à materia geometrica perperam intellecta ducuntur. Qui ista correxerit, is nodum opinione communi indissolubilem planissimè solutum & explicatum dederit. Certe qui vel probabilem

babilem ſolvendi viam ingreſſus fuerit, hactenus vel legendo, vel audiendo inveni niminem. An aliis ſoluturus ſim neſcio, mihi me ſolviſſe certò ſcio, cum nihil in extenſi compoſitione reliquerim, quod mihi aut obſcurum, aut implicatum appareat.

De Diſtinctionis Notione, Notiſque.

§. 22. Primùm itaque de Diſtinctione, quæ quidem in ſe, ut patet, multitudinem involvit: Multa vero, ſunt aliquoties unum. Quid porro unum? Ex hoc enim reliqua. Extenſum, id eſt corpus unum ſuperiùs oſtendimus eſſe Aliquid certo quodam extenſionis modulo circumſcriptum; idque ad incorporea, quatenus ea verbis communibus exprimi queant, applicari poteſt; quorum unum quodque definito quodam intelligendi, & volendi modulo terminatur; Deum excipio, qui cum omne eſſe contineat, ex eo quod à ſe ſolo, non aliunde exiſtens, nihil eum ad ſingulare aliquod perfectionis genus aſtringat, menſura proinde nulla vel ambitu comprehenditur, ideoque altiſſimæ unitatis planèque diſſimili notione concipi, & *ſuper Unum* ſicut alibi *ſuper-Ens* appellari debet. Deus enim ut amplitudine interminata nullum non Eſſe purum includente ſubſiſtit, unus dicitur; res autem alia ut certo quodam Eſſe, eoque non puro, atque aliud omne excludente ſubſiſtens, una vocatur. Sed quod huic loco congruit, in rebus finitis id unum dicimus, quod definito ſui Eſſe ambitu continetur. Diſtincta igitur cognoſcimus cum unum, & unum ſui quodque *Eſſe* menſura circundatum intelligimus. Hæc itaque ſit diſtinctionis clariſſima, & ſimpliciſſima Notio. Sed ecquæ Notæ? Nempe quæ Notionis hujus notitiam afferant, & plura, ſuo quodque Eſſe circumſcriptum, oſtendant. Quamobrem ſeparatio quoad locum per motum, & quietem, vel motum diverſum, diſtinctionis meritò Nota cenſetur, hoc enim pacto diverſæ Extenſorum terminationes apparent. Viderint illi qui rem eandem ubicatione, quam vocant, circumſcriptiva, in pluribus ſpatiis collocent, quemadmodum principij hujus ab omnibus conceſſi evidentiam tueantur. Incorporeum verò quod modo plane diverſo locari dicitur, non quod corporibus ambiatur, ſed quòd in corpora intelligendo, & volendo operationem exerceat; etiamſi ſimul pluribus quantovis intervallo diſſitis, imprimendo motum interſit, nullum diſtinctionis indicium prodit, quoniam ipſius Eſſe non extenſionis ambitus, ſed tanta, taliſque intelligendi & volendi facultas terminet. Sin autem incorporea quædam certis corporibus affixa conſtiterit, ut in ea ſola vim habeant; tum quidem ex disjunctis corporibus, tanquam ſignis extraneis, incorporea diſtincta colligas, propterea quod eorundem facultas haud ultra determinata quædam corpora protendatur. Altera diſtinctionis Nota eſt. Si quæ duo ita ſint, ut altero exiſtente, non ſit neceſſe exiſtere alterum.

Incorporeum liberum pluribus quantovis intervallo diſſitis ineſſe poteſt.

alterum. Hinc enim liquet suum cuique existendi modulum seorsim competere. Tertia sit producere, atque produci. Principium enim producens nisi in suo Esse subsistat, quî fieri potest ut productione in alium aut aliud emanet? Cæterum rebus finitis hæc nota non congruit, solus enim Deus, uti alibi docemus, eam habet efficientiam ut rem à non Esse sd Esse traducat. Aliis rebus ea tantummodo vis ineſt, nec ea tamen omnibus, non ipsum Esse ut efficiant, sed aliter atque aliter Esse perficiant, non ut ipsum Existere tribuant, sed existendi modum immutent. Neque verò quod mutat vel à mutato, vel à mutatione distinguere, sive ab affectione, & modificatione quâ mutari contingit, necesse est. Nam quod liberum est, αὐτοκινήτου est, seu movendi, afficiendi vel determinandi seipsum virtute pollet, & veluti libra viva, æquatis etiam rationum utrinque momentis, nutu quodam proprio inclinatur: unde quid inter scire quod liquet, & velle quod libet intersit, colligere licet. Neque tamen cum potestate nostrâ nos velle dicimus, alterum quasi primum agendi principium cum Manichæis fingimus, tum quia à Deo facultatem, & adjumenta volendi recipimus; tum quia rem nullam agendi virtute producimus; ipsa quippe determinatio, vel nutus voluntatis non ut res terminatè, vel interminatè subsistens, neque proinde ut alia unitas; sed ut rei unius, & ejusdem Modus aut στοιχεῖα, vel Sic-se habentitas cogitatur; nihil igitur est cur Mutans à Mutatione, unitate binâ, vel discrimine vero distinguas. Producens quidem à producto destinguitur, quia utrique ut subsistenti unitatis notio congruit, ideoque hæc, & illa unitas noscenda proponitur, Modus autem utcunque produci dicatur, non tamen animo velut altera unitas, ac proinde nec Entitas obversatur. Quare licet filiatio divina produci dicatur, non tamen Modi illius à virtute producendi distinctio, sed Patris producentis à filio producto colligitur. Cæterum ex his notis, nulla partes in Atomo licet extensâ, distinctas indicat. Neq; enim in eâ quidpiam quod loco, vel tempore separetur, vel quod ab alio quod eidem insit noscatur, inveneris.

De facultate liberâ obiter.

§. 23. Restat alia distinctionis Nota, remota quidem, sed proximis in Scholâ usitatior; quæ non ab iis quæ rem propius attingant, vel intimè pertingant, sed ab extraneâ cognitione desumitur. Vides è longinquo, vel in obscuro Rosam, scis esse coloratam, rubrane sit an alba nescis: Color igitur à Rubore, & Albore distinguitur: Unde colorem quendam generalem à singularibus discretum, & naturâ quâdam communi in medio suspensum colligunt. Audito inter arbusta strepitu, venator feram putans, confixit amicum vel canem venaticum, animal ex motu esse noverat; rationale, vel latrabile (hâc enim voce canem distinguunt à reliquis) omnino ignoraverat; habent igitur animalia commune quippiam, quod Animalitatem appel-

appellant, à singulorum distinctum differentiis. Historiam Pentapoleos igne cœlesti conflagrantis legendo, de justitiâ divinâ cogitamus, de misericordiâ non item, hæc igitur ab illa distinguitur. Deinde cum penitiùs res animo introspicimus, ut cujusque naturam notione propriâ explicemus, aliam definitionem justitiæ, aliam misericordiæ, aliam animalitati, latrabilitati aliam applicamus; sunt igitur natura diversa, ideoque distincta, quibus notiones dissimiles congruant. Quæ quidem diversitas ex eo quoque discernitur, quod animalitate Canis sit Equo similis, latrabilitate dissimilis; Justitiâ Deus severo Judici, misericordiâ benigno parenti comparari soleat: æquum autem videtur, ut similitudo, ac dissimilitudo in diversitate aliqua, ac proinde distinctione fundetur; nisi enim cogitanti diversitas objiceretur, undenam ei dissimilitudinis suspicio nasceretur? Hac distinctionis notâ, Atomus extensa in suspicionem partium distinctarum vocari poterit. Cum parietem aspicis, neque ultra aspectum, ut sæpe fit, cogitationem extendis, vides & scis Atomi latus extimum, non intimum; tum alterum definitione ab altero diversa explicas, veluti quod hoc solem orientem, illud aspiciat occidentem; deinde Atomus latere orientali rebus ad ortum vergentibus similis, occidentali dissimilis intelligitur; denique cujuscunque Extensi dimidium, dimidiique semissem mente formamus, Atomum igitur quam nos cogitatione dividimus, Deus utique reipsa & operatione dividet, ac divisione partium distinctionem prodet. Neque hîc finis est. Notam enim hanc à notionibus ad nomina transferunt Dialectici, & Voculas *Est* & *Non* tanquam indubitatos distinctorum characteres ostentant. Est enim apud illos solenne pronunciatum, *Idem de eodem affirmari non posse, & negari.* Itaque hæc horrendo sonitu fulminantur in scholis. De animalitate verè dicitur, *est* cognita, de latrabilitate contra, *non* est cognita, Deus intellectu *est* intelligens, voluntate *non* est intelligens, misericordia parcit, justitia non parcit. Cavendum igitur nobis est ne Atomi nostræ hoc telo confossæ, in frusta dissiliant. Latus enim orientale dicitur esse visum, cognitum, tactum, & formidabile verbum *Non* in occidentale conjicitur.

§. 24. Si quis fortè miretur quid Philosophos, neglectis, vel per transennam aspectis unitatis & distinctionis notis intimis, quas è summo Metaphysicæ fastigio contemplandas ipsi moneant, ad Dialecticorum notiones, & Grammaticorum nomina deturbarit; is mirari desinet, ubi noverit eò jam deflexisse Philosophorum industriam, ut immensam litigantibus sylvam apportent, non autem ut veri inventione litibus finem imponant. Notiones autem & nomina vulgaria, in quibus nihil non incertum, implexum, & ambiguum, numerosa velitantibus tela suggerunt; & tantorum

tum argumentorum ſegetem uno ictu ſuccidimus, cum ad ea quæ de unitate, diſtinctione, & cognitione ſunt dicta reſpicimus. Latus Orientale Atomi num circumſcriptionem indicat? Minime. Neque igitur Occidentale? Prorſus; non igitur ſunt Unum, & Unum, nec proinde vere & reipſa diſtincta cenſeri queunt. Age vero, contactus ne omnis, atque cognitio rem tactam & cognitam comprehendit? Nullo modo. Non itaque tactione, & perceptione qualibet declaratur Unitas, quam diſtinctione priorem demonſtravimus. Sin tactio vel perceptio perfecta fuerit, fatendum eſt unitatem comprehenſione pateſcere. Veluti ſi Sphæra concava interiorem contiguam amplectatur, aut ſi cognitio rei cognitæ par fuerit, quam ſeu Quidditatem, ſeu comprehenſivam appelles, ſeu alio quocunque nomine, per me licet. Quo verò Metaphyſicæ fonte haurias hoc Principium *Cognitionem omnem cognito exæquari?* Unde igitur alia atque alia cognitione, aliam & aliam Unitatem conficias. Si latus, ſi ſemiſſem Atomi cogites, vide ſi cogitatio perfecta ſit, ſi par rei cognitæ, ut totius menſura dici debeat. Alioqui latus, & latus, ſemiſſis, & ſemiſſis, non unum, & unum, ſeu res diſtinctas, ſed unum, & idem diverſis intelligendi, & nominandi formis expreſſum indicant. Neque etiamſi cognitio ſit illa, quam definitionem, ſeu naturæ perſpicuam explicationem dicimus, univerſum naturæ quam explanat ambitum comprehendit; ſed eam non ut in ſe tota conſiſtit, ſed ut animo noſtro ſub diverſa quaſi ſpecie ſe ſiſtit, paulò quam aliis quibuſdam cogitationibus obſcuris, manifeſtius intuendam exponit. Ita cum latus orientale Atomi definimus, quod Soli obvertitur orienti, non totum ut in ſe eſt, ſed ut cogitationi cuidam ſubeſt, qua quandam cœli plagam aſpicere intelligitur, definimus. Non tam bene cum ſcientia humana agitur, ut tam faciles, frequentes, atque parabiles notiones exiſtant, rebus cognitis ad amuſſim æquales. Contra vero haud exiguum progreſſum feciſſe videmur, cum res ſingulas variis definitionibus, quaſi totidem paſſibus, quia uno non poſſumus, pedetentim dimenſi, ad plenam uniuscujuſque notitiam propiùs accedimus. Quò etiam fit cum aliquid occurrit animo quod alteri nec plane ſimile ſit, neque etiam undequaque diſſimile, ejuſdem quatenus unâ notione quæ rei objectæ ſit impar, intelligitur ſimilitudo, diſſimilitudo altera dignoſcatur. Nihil igitur ex hujuſcemodi cognitionibus de rerum diſtinctione pronuncies. Quare neque colorem ab albore, nec animalitatem à latrabilitate, neque juſtitiam divinam à miſericordia diſtinctam aſſeras. Unum enim, in rebus finitis, intelligitur quod certum, & definitum eſſe complectitur. Coloris autem & animalitatis prout à ſingu-

Nulla partium in Atomo diſtinctio.

laribus abstracta noscuntur, incerta & indeterminata notio est. Colorem igitur ut unum non cognoscis, nedum ab albore distinctum agnoscis. Cum vero in Deo justitiam & misericordiam, intellectum & voluntatem intelligis, non aliud atque aliud in suo esse consistens intelligis. Quicquid enim absolutum in Deo est, à seipso est, ideoque illimitatum est, ac proinde omne esse complectitur, neque in ullo determinato esse consistit, itaque nulla determinata perfectio rationum Unitatis in Deo obtinet, ac propterea distinctionis ab alterâ fundamento caret. Deus Pater in suo esse interminato subsistens producit Deum filium, uterque similiter Spiritum sanctum, in quibus distinctio vera cognoscitur, quia Trina Unitas, sive Divinitatis universa, & infinita perfectio, trino modo subsistens intelligitur.

Neque color ab albore neq; justitia à misericordiâ divinâ distinguitur. Vide l. 3. n. Personæ tamen ab invicem distinguuntur.

§. 25. Cæterum hnic loco paulisper immorari visum est. Namque in Philosophiâ omni nullus occurrit, quò clariùs unitas, ideoque distinctio, sive hæc, & illa unitas innotescat, ac velut ob oculos in exemplo manifesto ponatur. Idque non latuit Aristotelem, qui numerum extensi divisione gigni, sive notionem illius primam, atque facillimam ab extensi divisi consideratione prognatam asserit: est autem numerus ex Unitatibus multitudo conflata, & distinctionis proinde conspicua demonstratio. Quoniam verò è supradictis evidenter apparet, extensum neque è punctis inextensis, neque è partibus in alias sine fine minores vel dividuis, vel distinctis esse congestum, neque illius quicquam à Deo sciri, ideoque nec fieri, quod non sit definitâ quâdam magnitudine comprehensum; eo fit ut partium extensi multitudinem in unitates ultimas, & minimas resolvendo, suâ quamque amplitudine, & capacitate præditam reperiamus. Porro intelligendi vim incorpoream, corpore subtiliorem esse non ambigitur, unde particulam verâ minorem fingi posse consequitur, ideoque non omnem cognitionem rei cognitæ parem esse, ut illius veluti mensura putari debeat; quare cum latus orientale cognosci, occidentale verò dicitur non cognosci, non unitas duplex, sed unitas duplicata cognitio, cùm una toti metiendæ sit impar, significatur. Quando vero instant, ergo idem cognoscitur, & non cognoscitur; quia latus utrumque est quiddam simplex, partium varietate nulla discretum; nihil omnino in reipsa, vel mente quod secum pugnet, sed pugnantia tantummodo verba proferunt, quæ Logico nonnullam, Philosopho molestiam nullam afferant. Hic etenim haud gravatè fatebitur nihil esse in corpore tam exile, tam tenue, quin cognitio subtilior, minimisque particulis, ut ita dicam angustior possit intelligi. In rebus autem incorporeis amplitudinem longe majorem agnoscet, ut cogni-

Unitas & distinctio in Atomis, tanquam in exemplo manifesto spectatur.

tio-

tio plerumque non tam ſubtilitate, quam parvitate nec uni toti reſpondeat; maxime vero cum divina unitas, ſive omni-unitas multitudinem omnem unitatis infinite patentis ambitu immenſo complectens, & ſuperans cognoſcenda proponitur. Neque tamen rei unius amplitudinem, & capacitatem, cognitione multiplici metiendam, diſtinctionis ullius intraneæ ſeu formalis, ſeu virtualis nomine appellabit; cum nulla partium confinia, ſeu lineæ diſcriminantes, aut diſterminantes probari queant; nam ſi quæ rebus ipſis ineſſent, eæ certo quaſi loco fixæ eſſent, quas tamen, virtualitatem, & formalitatem quamlibet dividendo, vel plures, aut plurium partes varias compingendo citra vel ultra ſtatuimus. Nam quod formalitatum, aut virtualitatum diſcrimina cogitando vel cernere, vel facere videamur, levius eſt quam ut conjecturæ vel leviſſimæ momentum habeat. Mira quippe rerum portenta fingeret, qui cogitationum ludibria rebus affingeret: & mirum in modum notiones animi ſermone perverteret, qui diſtinctionem, quam rebus ineſſe concederet, realem eſſe negaret. Sin autem in Atomi unius exemplo patente obtutum figeret, in ea diſtenſionem potius, quam diſtinctionem cerneret; expanſione quippe continua quoquoverſus extenſum, nullis autem vel punctulis interſperſum, vel interſectum lineolis contueretur. Quæ quamdiu latent, diſtinctionis ſignum nullum apparet. Quare quid Logicorum contradicentia verba ſignificent, vix tibi quærendum eſſe putabit; quæ niſi Atomo punctorum, aut linearum notas inſperſerint, nunquam illam partium varietate diſtinxerint. Sed ne odioſe ſemper obgannientes audire cogatur, doceat *eſt*, & *non eſt* in idem phyſice, non autem logice ſumptum cadere, & latus utrumque Atomi re quidem unum, ſed duorum inſtar, cogitationibus, & vocibus imperfectis oſtendi. Quamvis autem, quod aſpectu fieri nequit, ut quis oculis rectis, & limis ſimul videat, id intelligendo perfacile factu ſit, ut obtutus in cauſa fixus hæreat, unaque ad effecta, vel alia, quæ vocant connotata videnda, deflexione quadam mentis aberret; in his tamen ubique conquirendis ſine cauſa ſudatur, cum res nulla tam arcta ſit, quin cognitiones plures, quarum ſingulæ toti ſunt impares, patiatur: deinde ſine fructu, neque enim in quibuſdam licet diu quæſita comparent, ac proinde ſine connotatis ſibi modum ſolvendum vident; poſtremo ſine delectu exemplis utuntur ineptiſſimis. Nam Logico qui necdum de Philoſophia quicquam deguſtaverit, cui lac præbere, & veluti manſum in os inſerere oportebat, offam plane crudam, & duram inferciunt. Animalitas, & rationalitas ſunt res una Metaphyſice indiviſibilis, animalitas ex motu cognoſcitur, rationalitas vero non cognoſcitur, ergo res eadem.

Exemplum uſitatum prorſus ineptum.

dem cognoſcitur, & non cognoſcitur. Interea ſtupet ignarus quid ſit illa indiviſibilitas Metaphyſica; nam ſenſum ad corpus aliquatenus pertinere ſentiendo percipit, corpus autem diviſibile novit, animæque indiviſibilitatem nondum didicit; quinimmo eademne ſit quæ ſentiat, & ratiocinetur, è rationis, & ſenſus conflictu dubitat: quando vero aliorum inter ſe concertationibus publicis pro more cogitur intereſſe, audit animam inertem, perque potentias diverſas intellectivam, viſivam, loco-motivam, aliaſque permultas agentem ſtatui à quam plurimis, atque ab illis etiam ipſis qui diſcipulis hoc ipſum exemplum inculcare non deſinunt. In tanta igitur, tamque implicata, & incerta rerum multitudine unitatem illam, ſive indiviſibilitatem aut indiſtinguibilitatem Metaphyſicam, quam cognitiones ſingulæ totam attingant, ægre diſcernit; minus etiam, cur motus quem abſque intellectu fieri poſſe, & ſolere fatentur, intelligendi potentiam cognoſcendam objiciat, animum in partes omnes verſando, comperiat: ut exemplum quod affertur, eo ipſo, quod per exemplum declarandum proponitur, obſcurius ſit.

§. 26. Neque enim intellectu difficile eſt cur de re unâ verba tum diverſa, tum adverſa dicantur, cum in unitate licet multitudinis experte, amplitudo tamen certa contineatur, quæ per cognitionem, aut tactionem haud undique comprehenſa cognoſci, non cognoſci, tangi, non tangi, ſive imperfecte quidem, non autem perfecte cognoſci, & tangi dicitur. Itaque latus Orientale atomi, tangi, cognoſci; Occidentale non tangi, neque cognoſci clara voce concedito. At utrumque eſt quid unum, & idem. Eſto. Ergo idem cognoſcitur, & non cognoſcitur, tangitur, & non tangitur. Nempe idem quoad rem, ſive in ſenſu reali, non autem quoad ſignificationem, ſeu in ſenſu formali. Nam in Atomo ipſa nulli ſunt limites, qui latus Orientale ab Occidentali diſterminent, alioqui plura ſine fine confinia Auſtralia, Borealia, Libyca pangenda forent: mens etenim ambitum non modo in ſemiſſes, & quadrantes, ſed in gradus, minutiaſque alias aliis minores diſſecando progreditur. Cæterum Atomi unius expanſio continuata, ſive indiſtincta capacitas, neque cognitione, neque tactione qualibet, nedum rei incorporeæ amplitudo capacior notitia quacumque comprehenditur: capaciorem appello, quia non ut corpus unum una figura, & motione concluditur, ſed cognitiones ſimul plurimas, volitioneſque complectitur. Quapropter incorporeum alibi *ſuperextenſum*, velut extenſo ſuperius, aut majus appellavimus. Quoniam vero rei finitæ unitas circumſcriptione quadam, & ambitu continetur, palam eſt neque tactionibus, neque cognitionibus illis ſingulis, unitates ſingulas deſignari, ac proinde neque diſtin-

distinctionem in reipsa indicari. Non nemo tamen cognitioni tantum tribuit, ut rem simplicem in formalitates ipsa dividat, atque distinguat, neque factas inveniat, sed faciat, atque indiscriminatis discrimen inserat, imprimatque. Age dic sodes, & serio quidem, si quid serii in re ludicra, & joculari verborum aucupio locum habet, quonam pacto cogitatio illa tua extranea distinctionem intraneam rebus longe remotis insculpit? Præscicive ponit, inquis, non positive discrimen. Ain vero ponit non positive? An potius Facetus, quam Philosophus audire cupis? Immo adeo positive, inquis, non ponit, ut tollendo ponat. Eloquere obsecro, neque rem tam miram, tam bellam celatam velis. Nempe animalitate cognita, rationalitate non cognita, formalitatum altera tollitur, & discrimen apponitur. Heus tu, prius probatam opportuit rei unius, & indivisibilis amplitudinem, cui veluti metiendæ sit impar una cognitio: tu tamen puncta non respuis Mathematica, atque in uno Angelum totum ubicatione collocas, ideoque unitatem absque capacitate confingis. Punctum enim est quo nihil minus, aut angustius cogitari potest. Verum capacitate non probata, sed data, quæro abs te qua ratione identitatem auferas? Intrinsecum, ais, tolli extrinsece, hancque loquendi formam propriissimam appellas. Manu igitur nec immersa, nec admota animalis viscera propriissime evelli dixeris; nam mens tua, veluti manus intentionalis identitatem intimam procul evellit; quodque magis mirandum, tanquam *Causa formalis defectiva*, ut aliquid absque efficiente fieri, causaque formalis, eaque in defectu posita, efficientis vice poni dicatur. Libet hic exclamare, non ô tempora, ô mores! sed ô linguam, ô voces! quæ tamen nec hominem sonant, nedum Philosophum. Ponere non positive, sed tollendo ponere, causare defective, intrinsecum tollere extrinsece, πόιον ἔπος φύγεν ἕρκος ὀδόντων; Quorsum laureolam in mustaceo quæris, & ex voculis puerile trophæum erigis? nam in reipsa fissuram nullam à cognitione factam agnoscis, quippe quam nec ab Angelo rem clare, & immediate spectante videndam asseras. Quæ tametsi per cognitionem aspecta cernatur, conspicilii quidem fallaciam manifestam, in objecto autem divisionem nullam evincit. Sed de re levissima plusquam satis: quam ut observatione, non refutatione dignam attuli. Hinc enim in quantam spem crescant adolescentes apparet, quibus in ejusmodi nugis ætatis flos, & ingenii vigor atteritur. Ejusdem enim farinæ, vel furfuris sunt alia permulta quæ de rebus sæpe fictis, persæpe futilibus, & sæpissime verbis ambiguis haud minore labore describere, quam clamore discutere compelluntur.

Compt. in Log. d. 24. s. 7.

§. 27. Sequitur ut extensum Physicum à Geometrico secernam; quorum indiscreta permixtio rem claram, atque perspicuam, etiamnum Philosophis

Differentia extensi Physici & Geometrici.

ſophis turbidam, penituſque confuſam exhibet. Audi Geometrarum Magiſtrum Euclidem prima Geometriæ principia proloquentem. Signum, ait, ſeu punctum eſt, cujus pars nulla eſt. Linea vero longitudo latitudinis expers, cujus termini ſunt ſigna. Recta eſt quæ ſuos ex æquo terminos interjaceat. Superficies autem quæ longitudinem tantum habet, & latitudinem, hanc lineæ terminant: Tum angulos, figuras, in iiſque circulum definit: deinde quæ ſine pervicacia, aut ſtupore negari nequeunt, concedi poſtulat. Veluti à ſigno ad ſignum rectam ducere, eamque ſi terminata ſit, in rectum quoad opus ſit ultra producere, circulumque centro quolibet, & intervallo deſcribere. Jam quia dudum Philoſophi vim intelligendi ad ſimilitudinem ſenſus videndi finxerunt; videre autem, niſi quippiam quod videntem feriat objiciatur aſpectui, non contingat; eo factum eſt ut objectum, quod cuilibet intellectioni reſpondeat, curioſe conquirerent. Cumque lineam longitudinem eſſe latitudinis expertem audiunt, extenſo quippiam ineſſe quod reipſa ſit longum tantummodo ſuſpicantur, ne definitio lineæ deſtituatnr objecto. Quinetiam vanam, & futilem, & prorſus inutilem ſpeculationem lineæ futuram exiſtimant, ſi ſola mente fingatur, & nuſquam in rerum natura reperiatur. Ecquid enim ex re inani & commentitia veri & ſolidi ſperes exprimere? Quiſquamne ætatem Chimæræ proprietates contemplando contrivit? Accedit etiam deductiones Geometricas & claras, & certas paſſim haberi; nihil autem certum & clarum, ex principio incerto & obſcuro deducitur, neque quod fictum & falſum, id clarum & certum dici poterit. Igitur vel ſpeculatione labuntur Geometræ, vel nos opinione ad inextenſa relabimur. Atque ut ab eo quod indubitatum eſt reſponſionem exordiar: Neminem latet quandoque nos longitudinis ſolius notionem mente formare, veluti cum quam longa ſit via, latitudinis obliti percunctamur; ſimiliter quam ampla ſit tabula vel area, id eſt quam longa & lata ſcire cupidi, nihil de craſſitie vel profunditate ſolliciti. Tum extenſi finem mente ſignantes, inextenſi cujuſdam notionem effingimus, eo quod rem ultra extendi negemus; ultra vero rem extendi ea notione qua extenſionis amplius appareret, negare quis poſſet? Itaque cum craſſum ſeu ſolidum mente finimus, expanſionem haud tollimus, ſed craſſitiem; adeoque latitudinem, non intellecta craſſitie, intelligimus, cui notioni ſuperficiei nomen ſubſtituimus. Latum itidem finiendo, longitudine retenta, latitudo rejicitur; nam qui latitudinis aliquid ſupereſſe fingeret, quo pacto finitam eſſe cognoſceret? Quare qui latitudinis terminum mente definit, percommode notionem hanc lineæ vel longitudinis vocabulo notam faciet. Poſtremo cum longi finem mente ſignamus, lati & craſſi quæ ad longum haud

Quid puncta, lineæ, ſuperficies.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 183, Stück 1, [312] - 304
PUBLIC DOMAIN

haud attinent obliviſcimur, neque ulteriorem extenſionem in longum comminiſcimur, cum ulterius extendi inficiemur; nihil igitur extenſionis hac notione qua extenſionis aliquid ſupereſſe negamus exprimitur. Quam Ariſtoteles puncti, Euclides ſigni voce ſignificat, quaſi Nota ſit, vel Signum quo lineæ terminus mente ſignatur. Quare cum ſignum eſſe ait cujus pars nulla ſit, non aliquid extenſo ineſſe aſſerit, quod reipſa extenſionem nullam habeat; hoc enim nimis obſcurum intellectu, & auditu abſonum, quam ut à viro perſpicacis ingenii poneretur, quaſi principium ſua claritate perſpicuum, & omnium conſenſu & ſponte probandum; ſed notionem quandam indicat, qua nihil extenſi vel re, vel mente partibile cogitatur, dum longi terminus cogitatione formatur. Similiterque lineam, longitudinem appellans latitudinis expertem, nulli rei extenſæ latitudinem abſtulit; ſed quod ſola longitudo intelligenti compareat, qui latum intelligit terminatum, oſtendit. Neque eſt cur cuique intellectioni diſcriminatum ab aliis objectum adjudices, cum idem à pluribus vel propter diſtinctionem, quam vocant, virtualem, ſeu potius diſtenſionem realem, atque amplitudinem quamdam diſtinctionis omnis expertem, vel propter connotata diverſa diverſimodè mente concipi poſſit. Neque eſt Chimærica aut inutilis lineæ notio. Non Chimærica, quia reipſa extenſa ſunt longa, & quamvis nulla ſit longitudo latitudine carens, nihil hic fictum aut falſum aſſeritur, cum nulli corpori extenſionem in latum abjudicemus, ſed tantum notionem quandam, latitudinis expreſſione, quam revera non habet, ſpoliemus. Non inutilis, quia multa de corporibus, quà ut longa tantummodo cognoſcuntur, demonſtrando conficimus, itidemque quà lata, ſemota conſideratione qualibet craſſitudinis. Immo vero nil clarum & liquidum, ſed nihil non confuſum & turbidum appareret, ſi promiſcuè de longo, lato, & ſolido Geometria tractaret. Neque etiam quicquam minus clarum aut certum aſſumitur, cum nemini obſcurum aut dubium eſſe poſſit, quin longa quandoque, latitudinis obliti, mente volvamus. Sed quia Euclides longitudinem latitudinis expertem exprimendo, Phyſicis anſam præbet, ut quod Notionibus convenit, rebus aſſignent; nos aliis verbis ad errorem omnem ſummovendum idoneis, totum hunc locum explanatum, & facilem in ipſo Geometriæ ingreſſu reddimus.

§. 29. His probè perſpectis haud erit difficile argumentis omnibus quæ ex Geometria petuntur reſponſione unica obviam ire. Si quæ enim figura, vel figuræ proprietas intentetur, quam Atomis noſtris extenſis exhibere non liceat, eam Extenſo Geometrico, non Phyſico convenire reſpondeas. Quam quidem reſponſionem haud metuas ne velut temere atque effugiendi gratia objectam exſibilent adverſarij. Nihil enim ab Euclide clariùs oſtenſum, quam id quod à nobis ſuperius demonſtratum eſt, Extenſum

Brevis argumentorum è Geometria ductorum diſſolutio.

ex Atomis quoquo versus extensis esse compositum, ideoque Geometricum à Physico discordare. Atque si vel ipsum Euclidem diligentius inspexeris, Extensum ab eo non tam ad rei veritatem, quam ad contemplandi subtilitatem excogitatum invenies. Nihil enim Euclides nisi manifestum assumit; puncta, lineas, superficies manifestò vera nemo dixerit, nos manifestò falsa probavimus. Recta quavis aliam longiorem extendi postulat; id si non mente, sed manu quoque fieri velit, mundum corporeum sine fine protensum, vel protendi posse censeat; idque à nemine inficiandum immeritò confidat. Nos autem in rebus certam & magnitudinis, & parvitatis mensuram à Deo definitam esse docebimus. Præterquam quod nimis Geometra extra oleas excurrat, qui ad potentiam divinam metiendam aberret. Augustinum etiam eo Libro quem de quantitate animæ inscripsit Geometrarum puncta, lineas, superficies à rebus ablegasse liquet, cum animam incorpoream esse confecerit, propterea quòd subtiliora de corpore, quam natura corporis patiatur excogitet. Atque alibi etiam Mathematicos res non ut natæ sunt, sed ut speculationibus aptæ sunt, spectasse videas, ubi jugo stateræ pondus, trochlearum funiculis, rotarumque denticulis scabritiem adimunt, ut aliis omnibus cogitatione semotis, solius motus efficientiam attentius, & perspicaciùs explorent. Ita etiam in Geometria quanta, qualisque sit area cogitando faciliùs, & feliciùs assequimur, cum profunditate neglecta, in solam expansionis amplitudinem aciem mentis intendimus.


Geometrarum postulata Mentis, non Manus poscunt operam.

§. 29. Quocirca cum Geometræ quippiam à Lectore concedendum postulant, veluti circulum aut sphæram posse fieri, haud amplius flagitare censendi sunt, quam ut operam mentis ad illud cogitatione formandum adhibeat. Non enim est muneris geometrici rerum naturas intimè perscrutari, sed notiones præcisas & exactas effingere, è quibus demonstrationes ad oblectationem animi subtilissimæ, atque ad usum vitæ commodissimæ promanent. Quam utilitatem capies, etiamsi res ad amussim notionis Geometricæ minùs quadrent. Sive enim possit, sive haud possit existere perfectus circulus, perinde figuram describere liceat, quæ sensu, ac proinde usu à perfecto non discrepet. Operæ vero pretium fuerit hoc loco præcipuè, diligentius inquirere num quid in circulo aut sphæra lateat occultæ labis, qua è rerum natura exterminanda esse videantur. Atque utrique quidem pares à signo introrsum ad ambitum radii prodeunt; Cumque rectæ circuitione, alterius extremi signo immoto talis figuræ designato facillime cogitetur, mirum haud erit cur Geometræ circulum fieri, seu animo fingi postulent. Sphæram itidem, quippe quæ semicirculi volutione, immoto diametro, describatur. Sed non quod mens hominis

Circulus & globus Geometrici ex contractu in puncto probantur haud esse zeales.

parit,

parit, id omne naturæ leges adoptant. Arcana subinde vitia rebus primo aspectu probatis alte insident, quæ vix longa & diligenti scrutatione produntur. Age nunc, fingamus circulum ad Geometriæ normam exactum, atque ad signum B terminum radii A B, rectam B C ad perpendiculum radio insistentem, hæc peripheriam tanget tantummodo, non secabit. Esto enim, si fieri potest sectio in D. Quoniam autem trianguli A B D latera A B, A D, utpote radii, sunt æqualia, anguli quoque oppositi æquales erunt: est autem ex constructione augulus A B D rectus, igitur & A D B rectus esset, id quam absurdum sit Geometriæ tirones non ignorant, seu quod binos in triangulo reperiant angulos duobus rectis æquales, sive quod rectas A B, A D parallelas evincant, tametsi in eodem signo concurrant. Recta igitur perpendicularis ad extremum radii tangit non secat circuli ambitum. Vicissim autem si B C ponatur circulum tangere, etiam radio ad perpendiculum insistere concedendum. Nam si A B non fuerit perpendicularis ad B C, esto A C quæ ultra contactum incidat, & peripheriam secet in E. Quoniam A C est major parte A E, erit etiam major A B (nam A E, A B sunt radii æquales) qua tamen aliunde probatur minor, quod minori angulo subtendatur, nam cum angulus A C B ex constructione sit rectus, alter A B C recto minor efficitur. Unde apparet rectam in uno solo puncto circulum tangere, nam si fingeretur tangere in duobus dissitis B, D (contigua Geometrarum nemo posuit, neque Philosophorum quisquam ut supra vidimus ponere potest,) forent ambo radii A B, A D, ad eandem rectam B D perdendiculares, ideoque bini anguli A B D, A D B duobus rectis æquales. Eademque opera planum à sphæra in unico puncto tangi constabit. Nam si B, D, binæ sphæricæ superficiei puncta ponantur, in quibus contractus fingatur existere, per ea fieri potest sectio quæ in extima sphæra circulum maximum, in plano subjecto rectam exprimat, quæ circulo B D, & Tangenti B C respondeant, ut in Elementis sphæricis Theodosii & Geometria nostra cernitur, atque idem absurdum, eodemque omnino modo deducitur.



§. 30. Quamvis etiam absque Geometriæ notitia in promptu sit intelligere extensum in curvum quacunq; curvitate, extenso in rectum extensione nulla congruere; utrumque enim, qua sibi mutua commensione respondent, vel simul curvum, vel simul rectum existeret; itaque vel in puncto, hoc est

in nihilo extensionis, se invicem hęc extensa contingunt, vel nullus inter illa contactus intervenit. Immo vero extensorum contactum in nihilo extensionis, & nullum existere, idem omnino vim verborum intelligenti significat. Nam si est aliquis extensorum attactus, eum non in nihilo, sed in aliquo esse necesse est. Punctum autem cum dicimus, non aliquid inextensum extenso tribuimus, sed longitudinem, qua tali notioni subjicitur, ultra extendi negamus. Et tantum abest ut punctum velut Ens aliquid Positivum Extenso insitum cogitemus, ut ne quidem Entis Negativi nostra sententia rationem obtineat: neque etiam Ochamus qui punctum in Negatione constituit, aliud intellexit, quam quod Notio puncti non in affirmatione alicujus additamenti ad lineam, sed in sola ulterioris longitudinis negatione consisteret. Alienissimum enim fuisse constat ab ea sermonis & sententiæ pravitate quæ dudum nescio qua rima, irrepsit, seu potius ruina irrupit in Scholas, ut negationes, præcisiones, relationes à cognitionibus ad cognita nullo jure transferrent. Cumque jam eò progressi sint ut cognitionem appellent conceptum formalem, rem vero cognitam conceptum objectivum; restat ut picturam aut parietem sapientiam appellent objectivam, si quando à Sapiente picturæ & Architecturæ studio spectentur. Quare cum omissis verborum ludribriis, punctum in reipsa Nullum Ens positivè, ut ita dicam, inextensum significet, contactus in puncto, erit contactus in Nihilo, ac proinde commentitius omnino, & nullus erit. Ergo, inquies, inextensi cognitio nulla erit, cum in nihilum cadat, seu Nihil attingat. Haud rectè colligis. Non enim in rem cognitam cadit cognitio, neque illud attingit quod sępenumero procul abest, atque ab attactu, vel accessu remotum est; sed tantum ad cognitum dirigit cognoscentem, quę quidem directio tangendi Metaphora explicatur, quia cæcus palpando dirigitur. Quare puerile argumentum est à Metaphora desumptum, quod toties & tantopere inculcant Philosophi. Cum animalitas, cum punctum intelligitur, ecquid, ajunt, attingitur in objecto? ecquæ pars objecti intellectioni respondet? quidnam est illud in quod cadit cognitio? Num pars aliqua, quæ pro diversa à reliquo distinctione, Res, aut Realitas vel virtualitas, aut certe formalitas appellatur? Verbum enim Metaphoricum in sensum proprium absurde translatum, hæc notionum, & nominum portenta peperit: Clarus autem & Philosopho dignus est sermo, ut nihil attingi, in nihil cadere cognitionem asseras, sed tantummodo dirigi cognoscentem, ut cuipiam sensum inesse, vel longum haud ultra protendi cognoscas. Quo sermone, veluti piaculari quodam carmine, inanes illæ distinctionum virtualium, ac formalium, quibus discipulos Magistri territant, umbræ fugantur. Jam quia ex ipsa circuli perfecti definitione sequitur, contactum ipsius cum recta, ideoque & Sphæræ cum

Plano


Plano in puncto fieri, punctum autem reverà extensis nullum ineſt, contactus in puncto erit contactus Chimæricus, ac proinde circulum & sphæram non in rerum natura, sed in sola Geometrarum contemplatione subsistere. Itidemque de Cono & Cylindro, quibus contactus in linea & inter se & cum planis accidat judicandum, cum linea, seu mera longitudo cogitatione tantummodo formari queat. Denique figuram quamlibet desinentem in puncta, id est angulares omnes, extra Physicæ proscriptam limites, in Geometriæ finibus exulare. Quando vero Planorum contactus secundum superficiem esse dicitur, non aliquid merè latum utrique commune asseritur, sed alterius in alterum penetratio negatur, ut contactus sit immediata duorum in situ consecutio. Neque opus erit continuum distinguere à contiguo, cum continuum sit tantum aliquid continuatum, hoc est non interruptum: nisi fortè quis ea corpora continua velit dicere, quæ mutuâ extremarum partium implicatione cohæreant. Nam qui Continua appellavit, quorum extrema sint unum, in Notionibus hæsit geometricis. Aristoteles.

§. 31. Cæterum qui circulos & globos geometricos ex contactu in Nihilo, id est contactu, & non contactu, cum ratione pugnare, ac propterea nec à ratione produci posse non viderit; ei plusculum fortè ex obvio motus exemplo lucis affulserit. Finge globum ad notionis Geometricæ normam exactum, Plano per centrum transmisso dissectum, quo circulus in superficie globosa maximus, in Area vero subjecta linea recta nascatur. Tum globum paulatim secundum circulum, & rectam volutari. Vide nunc quod neminem latere potest. Nihil est in peripheriâ circuli, quod rectam volutatione continua aliquando non tangat, non enim in areâ planâ subsultat. Nihil autem præter puncta peripheriæ planum attingit, uti supra ex ipsâ circuli definitione deduximus, ac quilibet sine demonstratione per se videat, quia peripheriæ pars rectam attingens, non curva, sed recta esset: Nihil igitur in circuli peripheriâ præter puncta reperias, Peripheria igitur extensa ex solis consisteret inextensis. Similiter volutatione cylindri vel coni utriusque superficiem ex puris lineis conflatam efficias, Sunt qui globum perfectum admittant, quamvis contactum in puncto respuat, quòd puncta ab extensis eliminent, & contactum in parte magnitudinis indeterminatæ statuunt. Sed hi quid sit Globus perfectione geometricâ absolutus nesciunt, nam si radii sunt æquales, ut esse debent, manifesto ex supra demonstratis appareret, contactum in solo puncto inextenso, & nullâ penitus extensione consistere. Præterquam quod absurdissimum sit illius magnitudinem à scientia divina definiri non posse, quod ab ejusdem scientiæ definitione & Ex motu sphæræ colligitur circuli, globique repugnantia.

designatione nasci potuit. Nam peripheriæ pars ea quantumvis exigua, qua circulus plano congruit, latus est figuræ multilateræ quam à Deo vel factam vel fieri posse constat. Itaque non est illius lateris incerta, sed rata & definita à divina scientiâ magnitudo.

Idem è volutatione Rotæ deducitur, & Nodus implicatissimus clarè dissolvitur.

§. 32. Quinetiam haud minus ex rotæ, quam sphæræ volutatione conficitur, naturæ leges in circulis ideoque & sphæris, à geometriæ legibus discordare. Concesso etenim perfecto circulo peripheriam minimam æquari maximæ, quod utraque rectis æqualibus coextensione respondeat, concedendum. Esto curvatura rotæ extima A B in exactam circuli rotunditatem excisa, interiorem alterum C D communi centro E descriptum fingito, qualis esset curvatura modioli cui axis inseritur: Tum ex centro E rectam educi quæ interiori in C, exteriori incidat in puncto A; perpendiculares vero ad radium quæ circulos tangant in A, C, ac proinde ad invicem parallelas, cum angulos internos rectos efficiant. Iam si circu-




lus A B, super A F in plano solido volutetur, donec punctum A denuo ad planum redeat in F, funiculus par rectæ A F circumpositione comperietur æqualis peripheriæ circuli A B; Porro eodem momento temporis quo punctum A revolutum videris ad planum in F, erit punctum C restitutum in G extremum rectæ C G quam in aere aut plano fluido discriptam intelligimus, Nam quia supponitur tactus in F, erit E F perpendicularis ad F A, ideoque ad parallelam G C, hæc circulum tangit in puncto G, & quia anguli ad A, & F recti, parallelæ sunt A C, F G, itaque A F, C G latera parallelogrammi oppositæ pares erunt, coextensa igitur & commensa peripheria circuli minoris C D rectæ C G, quæ par est ei quam peripheriæ majoris æqualem deprehendimus. Quocunque te vertas nullam evadendi rimam invenies. Ecquid enim allegari potest cur peripheria C D non æque commensa sit rectæ C G, quam peripheria

A B

AB rectæ AF. Nam primò CD peripheria nunquam à CG. aberrat, non infra, non supra, quia ubique centrum E pari intervallo à recta disjungitur, perpendicularis enim est mensura distantiæ, & in omni contactu radius circuli est perpendicularis ad rectam CG, radii porro æquales, æqualis igitur ubique distantia. Deinde fingi nequit idem punctum peripheriæ CD per plura puncta, vel partes rectæ CG radendo transire. Nam ubicunque aliud punctum circuli majoris in AF rectam incidit, non idem punctum minoris hæret in CG, sed aliud diversum illam attingit. Post contactum in A, sequatur, si placet, contactus in B, tum ex B ad centrum radium educito, qui circulum minorem non secabit in C, sed in puncto diverso D. Quoniam vero radius BDE est perpendicularis ad rectam AF quando fit contactus in B, est autem CG parallela rectæ AF, erit idem radius perpendicularis etiam ad CG, ac proinde peripheria CD non jam in C, sed D rectam attingit. Idem etiam non ex ratione tantum geometrica, sed ex ipsa motus ratione conficitur. Nam rotæ volutatio ex duplici quodam modo componitur, vel ex duorum motuum compositione mente conficta facilius exponitur. *Alius* est enim motus gyrationis in orbem, alius lationis aut tractionis in *rectum*, uterque continuus neque ullis morulis, ut supra vidimus, *interruptus*. Continuata porro motione recta centri per rectam EE, si punctum C raderet rectam CG, nec aliud continuò punctum in eam descenderet, gyratio tantisper sisteretur, quod quam absurdum sit satis patet, tum quia nullum occurrit obstaculum, tum quia fractura radii, ut alibi ostensum est, sequeretur. Denique coextensio & commensio peripheriæ minoris cum recta CG negari non potest, ex eo quod contactus secundum puncta inextensa, non autem secundum partes extensas accidat, hoc etenim & peripheriæ majori perinde convenit, quam tamen ita rectæ AF coextensam vidimus ut utriusque inter se nasceretur æqualitas: Dic igitur in quo hujus peripheriæ contactus cum AF, ab alterius cum CG recta discrepet. In utraque nihil est quod non tangat rectam, quia nihil est quod supra vel infra cadat, quum quicquid est in utriusque peripheria à recta subscripta pariter distet. Nihil autem quod radat, aut sæpius eandem rectam attingat, eadem igitur utriusque ad rectam subjectam coextensio, ex qua vel in neutra vel in utraque prodetur æqualitas. Nisi forte aliquid in recta superiore CG sine tactu transiliri quis finxerit: Id si fieri potest, assignetur locus in H saltu transmissus, perque H perpendicularis KHI intelligatur erecta, quæ cum utrique AF, CG ad normam insistat, liquet peripheriâ exteriore rectam AF tangente in I rectam CG ab interiore contingi in signo H. Nihil igitur in recta CG à peripheria

minore



minore non tangitur, nihil igitur est unde utriusque æqualitas ex coextensionis defectu negari queat. Nam rarefactionis hic tantæ nulla prorsus vel causa, vel Nota comparet. Deinde hoc ipsum Contactus in puncto subterfugium latam portam aperit qua circuli perfecti repugnantia clarè pateat, Nuper enim hunc contactum in puncto Chimæricum demonstravimus, tum quia in Nihilo, tum quia nil nisi puncta contineretur in linea. Atque uti hactenus circulum minorem rectæ centuplo majori coextendi ac proinde æquari probavimus, ita contra circulum majorem rectæ centuplo minori & coextendi, & coæquari probabimus, si circulus interior, veluti rotæ mediolus in plano solido volutetur, extima rotæ curvatura in aere pendula. Nam ubi una volutatione modioli punctum C pervenerit in A, erit A in I, totaque rotæ peripheria coextensa monstrabitur rectæ AI, haud aliter quam peripheriam circuli CD coextensam ostendimus rectæ CG. Nodum hunc attulit Aristoteles, sed ad solutionem nihil omnino contulit, quem, si mihi non credis, in Mechanicis quæstione vigesima quarta consulas. Nec mirum, dato enim circulo geometrico, nec solutum hactenus videas, nec solvendum in posterum speres.

§. 33. Quid ergo est circulus verus & Physicus? figura plana multorum æqualium & magnitudinis perparvæ laterum (Geometricum enim ratione non modo Mathematica sed & Metaphysicâ evictus abnuo.) Esto nunc figura æquilatera AB curvatura rotæ extima, & CD peripheria modioli, seu interioris circuli. Si volvenda

luenda sit rota super planum AF, dum AB inclinatur ad planum, ut eidem aliquando congruat in AH, centro seu puncto immoto A, radio vero AB discribitur arcus BH; eodem quoque centro, radio vero AC fit arcus CI, unde circulus interior Physicus seu multilaterus non tangit, sed transilit rectam CI, & latus CD demissum incubat parti IK. Similiter, cum latus BX demittitur in HL, transilitur pars KV; & DZ in VM partem incidit, unde sex latera circuli interioris coextenduntur non toti lineæ, sed sex partibus disjunctis quæ lateribus æquantur, nempe partibus YC, IK, VM, OP, QS, TG. Contra quoque si circulus interior, seu rotæ modiolus in plano solido volvi ponatur, curvatura extima in aere suspensa, non erit ita coarctata, ut lineæ se minori coextensione respondeat. Nam cum CD propendet in planum subjectum, ut ad idem perveniat in $C\beta$, centro C describitur arcus $D\beta$, eodemque centro arcus $A\alpha$, adeo ut latus AB plano subjecto incubet in $\alpha\delta$, quare rectæ pars $A\alpha$ bis à circulo exteriore tangitur, semel à latere AE, iterum à latere AB. Minime igitur mirandum si pacto lineæ se minori respondeat, cum talis applicatio, æqualitatis indicium nullum sit. Facilis igitur est nodi alioquin indissolubilis explicatio, si circulus figuris rectilineis annumeretur, & Geometrica à Physicis claro, & rationi consentaneo discrimine secernantur.

§. 34. Jam quia circulum inter ea quæ rerum natura respuat, proscriptum vidimus, iisdem ascribenda liquet solida omnia quorum sectione circulus emanet. Ea sunt Sphæra, Cylinder, Conus, & Conoides, aliaque complura. Immo solidum omne quod plano sectum, lineam quamcunque curvam exhibeat, cum quælibet curva, haud minus quam circularis rationi repugnet. Quare nihil est præcisè curvum, sed quæ curva dicuntur, si proprie loqui velimus, curvi-recta dicenda. Et comtemplatione jucunda mirari licet, quo pacto *Rectus* Dominus Deus noster, non modo hominem *Rectum*, sed reliqua omnia *Recta* fecerit, *Rectitudinisque* suæ in rebus corporeis vestigium impresserit, in spiritualibus imaginem vivam expresserit. Cumque motus omnis notio propria tendat ad terminum, nihil autem curvum, quà curvum est, ad certum terminum protendatur, palam est vel ex ipsius motus consideratione perspicua, mentem notionibus claris assuetam adduci non posse, ut curvitatis aliquid in corporibus motis agnoscat. Quibus igitur partibus componatur extensum, quod exponendum suscepimus, declaratum est; quo verò nexu inter se cohæreant, quoque modo in majorem videantur molem tumescere, ac detumescere rursus in minorem, qua denique ratione Incorporea licet inextensa corporibus extensis tempore, loco, unione intersse, & inesse dicantur, opportuniùs alibi

Curvitas omnis pura rejicitur ex dictis.

Ps. 91. 16. Eccl. 7. 30.

Atque è motus proprietate refellitur.

bi declaratum est. Angulus autem an Extensio, vel Quantitas censeri debeat, atque eo dissecari modo queat, ut rectilineus mistilineo illo qui Contingentiæ dicitur, minor evadat, quaque ratione alius alii æqualis à Geometris vocari soleat in Geometria sedulò disceptavi, Claviumque & Peletarium à scopo longissimé aberrare probavi.

De infinito.

§. 35. Ex abdito compositionis extensi Mysterio, in Infiniti caliginem, ex opinione communi mysterio quolibet obscuriorem, incurrimus. Eò enim opinando, & incerta Problemata ventilando processere Scholastici, ut cum ad Extensi, & Infiniti potissimum partes scrutandas accesserint, atque alibi sæpe, ne dicam ubique, neque egressum uspiam, aut regressum inveniant; id fateri cogitur tum hic, tum alibi non raro, tametsi rarius quam oporteat, inter Recentiores Dialecticos ingenio nemini secundus, ingenuo vero candore facile primus. Sed minimè mirum, si Dialectici dum falsa falsis complicant, inextricabiles nodos nectant. Quod nullibi clarius quam hoc loco conspicias, quem submotis falsarum notionum & opinationum obstaculis, apertum planumque reperies,

Arriaga Phys. d. 13 n. 49. & d. 17. n. 22 & d. 16. n. 241. & 1. p. disp. 28

Quid sit.

§. 36. Primo quæ Notio Infiniti nomine significetur, implexum penitus, & incertum est, alii, id quod pertransiri non potest, alii, id in quo est aliquid semper ultra accipere. Quæro, quantum temporis transeunti, aut accipienti constituas? Si finitum & determinatum, ut decem annorum; fieri possit ut aliquid nec ambulatione, nec numeratione decennali peragres, quod longe à magnitudine, aut multitudine infinita distet: Si infinitum, quæro rursus quod tempus infinitum appelles? Nonne vides quod declarandum erat, veluti notum, & clarum assumi? Si dixeris non tantum decem vel viginti annis, sed nullo annorum finito numero exhauri posse infinitum; statuenda sunt tibi prius finiti & infiniti confinia, id est, prius erit cognoscenda utriusque clara distinctio, quam altetutrius notio mente formetur. Hæccine tuæ, quam tanti facis, Dialecticæ regulis quadrare putas? Alii infinitum dicunt quo nihil majus cogitari queat. At quem cogitantem fingis, finitane, an infinita sapientia præditum? Sane vis intelligendi finita, citra alterius finiti terminos sisti poterit, nisi tempus infinitum cognitionibus alterius promovendis assignes. Mens autem infinita, quousque cogitationem extendat, ita captum humanum superat; ut ex ea magnitudinis, aut multitudinis infinitæ notio derivari nequeat, nisi quis ignotum mensura ignota cognitum iri speret. Alii Infinitum id dicunt esse, cui nihil addi possit. Do libens, licet alii permulti renuant, Infinito qua tale est, addi nil posse; sed in hoc non primam, & genuinam, & sua luce patentem notionem; sed secundariam à prima prognatam, hoc est ut Scholæ verbis utar, non

Essen-


Essentiam, sed Proprietatem Infiniti constituo. Non enim audito Infiniti nomine, notio hæc audientis animo claritate perspicua statim affulget, sed cogitabundus hæret, quanto vi, qua parte, quo tempore additamentum accrescat? Neque tot ambagibus opus fuerat, cum Infiniti notio in ipso nomine contineatur.

§. 37. Infinitum igitur esto quod fine caret, in quo nihil est Extremum, aut Ultimum; ac proinde cum ibi non sit, à nulla mente, quacunque vi intelligendi prædita, seu progressu, seu saltu possit attingi. Unde fit, Infinito qua parte cognoscitur Infinitum, addi nil posse, nempe ubi nullus apparet terminus cui additamentum adhæreat. Immo ex hâc primâ notione, reliquæ, quas modo retulimus, consequuntur: nam ubi nullus est terminus, nusquam deerit quò ultra tam eundo, quam accipiendo procedas; neque ei quidquam cogitatione potest adjici, quod extremo caret quò cogitando pertingas. Deinde quædam ita esse comparata noscuntur, ut infinitate eis adjecta, naturam adimas. Nam si lineam fingas infinitam; neque recta, nec curva, ac proinde nec linea possit intelligi, eo quod rectitudo vel curvitas ex sola directione, vel deflexione relata ad terminos cognoscatur. Angulum quoque infinitum, tum quia lineis terminatur, tum etiam quia ipsæ lineæ situ infinite acuto vel obtuso positæ, in positionem rectam abirent. Tum figuram omnem, quippe quæ ex ratione figuræ terminata esset, ex Infiniti ratione non esset. Motus etiam infinitè velox momento fieret, ideoque successione carens naturam motus amitteret. Præterea id omne, in quo numerus infinitus existat. In eo etenim vel sint infiniti numeri finiti, ideoque erit idem finitum pariter, & non finitum; vel est aliquis ultimus finitus numerus, cui adjecta unitate fit numerus omni finito major, ac propterea infinitus evincitur, idemque non infinitus aperte monstratur, quod unitate tantummodo à finito discedat; nam quomodocunque definias infinitum, à finito utique intervallo majore dissidet. Finitum etenim cum pertransiri, exhauriri, & augeri possit, idem etiam incremento, modo finitum fuerit, congruit; nedum is mentem, manus, pedesque stupor occupat, ut unitatem adjunctam cogitando, accipiendo, progrediendo non transeant. Nisi quis forte in ordinata, & continuata rerum infinitarum serie Chaos immensum, & cæcum hiatum, nec divinæ menti conspicuum finita inter, & infinita somniet.

Infinitum omne præter Deum explodituꝛ.

§. 38. Atque ut argumentum hoc licet clarissimum, si fieri possit clarius, aut saltem quorundam captui accommodatius evadat. Ponatur recta AB in infinitum extensa, cum qua altera infinita AC tertiam partem anguli recti constituat, ut facilitatis tantum, non necessitatis

causâ triangula naſcantur æquilatera; ubi extrema ſingulorum, qui infiniti ſunt, palmorum ſingulæ rectæ conjuxerint, quæ proinde ſe mutuo palmo ſuperant, erit enim prima ED palmaris, ſecunda bipalmaris, atque ita deinceps incrementum accidet. Ex his igitur aliæ quidem palmos finitos, aliæ continent infinitos, ſeque invicem ordine nec confuſo, nec interrupto ſequuntur. Deo igitur, à quo figuram hanc factam ponimus, quippe



omne quod facit ſcientia dirigente, hoc eſt ſingula diſtinguente, ordinante, & definiente perficit, nihil hîc confuſionis aut obſcuritatis apparet; videt itaque finitam ultimam, & quia ad ſingulos laterum palmos tranſverſam annexuit, unius tantum palmi interjecto ſpatio, aliam utique inveniet, quippe quam ipſe poſuerat, quæ finitam maximam unico palmo ſuperet, ideoque fit finita pariter & infinita. Hanc Deo ſcientiam tollere, ſtolidiſſimæ impietatis eſt. Neque opus eſt ut ttiangulum ad Geometriæ normam exigatur: nihil enim huic demonſtrationi obeſt exigua Phyſicæ & Geometricæ figuræ diverſitas. Quare non pudet nonnullos Infiniti patronos demonſtrationi tam claræ manus dare; ſed ſententiam haud deſerunt, quòd haud leviora Adverſarii in rebus, quæ eſſe poſſunt, rerumque negationibus patiantur incommoda. Neque quenquam reperio, etiam inter eos qui quamcunque opinionem caſu, vel conſilio, vel etiam, ut ſæpe fit, ſolo contradicendi ſtudio arreptam mordicùs tenent, qui Infinitum non penitus profligatum agnoſceret; niſi contrà, denſa opinionum paſſim in ſcholis receptarum acies invaderet, quæ quamdiu ſteterit, tamdiu Infiniti propugnatores vinci nequeunt, Nullum enim telum hoſtile recipiunt, quod pari vi in hoſtes non retorqueant, præter ea quæ ex armamentario proprio depromunt. Quare ſi quæ objici ſoleant argumenta, opinionibus falſis, nulloque fundamento ſubnixis deducta monſtravero; id omne in quo numerus infinitus exiſtat, è rerum conſortio, omnium ſuffragiis relegabitur. Neque neceſſe erit ut in numero infinito, totum parte non eſſe majus oſtendam, eo quod infiniti ſemiſſis, vel alia pars certa infinita ſit, & quodlibet infinitum infinities infinita contineat, quo nihil majus fingi queat; ac proinde in exercitu infinito, qui ex Centimanis Gigantibus conflatus eſſet, haud plures manus quam Milites nnmerandæ; aliaque permulta quæ in eandem ſententiam eidem argumento non roborando, ſed oſtentando tantummodò proponantur ad pompam, conſulto prætereo; nam vel axioma totius & partis ad finita reſtringent, vel toties infinities infinitum aliud alio magis, aut minus infinities infinitum repetent, ut periculum ſit

Arriaga in Phyſ d. de Inf.

ne

ne hac verborum caligine, veluti periclitantes apud Homerum Heroes circumfusi nebulo subterfugiant. Quæ vero supra attulimus tam clara sunt atque perspicua, ut nec quenquam lateant, nec cuiquam in illis latibulum pateat.

§. 39. His tamen omissis, non erit aliud omittendum quo universim quicquid opificio divino fabricatur, finitum ostenditur. Nam in quacunque rerum serie infinita, & speciatim in ea quam transversæ supra discripti trianguli rectæ constituunt, vel finitum ab infinita parte non solum finita, sed perexigua plerumque superabitur, quo nihil absurdius fingi potest; vel Deus quas res, aut lineas ordinatè disposuit, quem illæ inter sese ordinem habeant non intelligit; ideoque non videns scienſque, sed cæca vi, & temerè tumultuarium opus absolvit; si infinitorum non sit ordo cognitione dispositus, sed inordinata congeries, & incognita, hoc ipsum fieri id non posse demonstrat; nam quod sciri non potest, fieri non potest, cum scientia artifice fieri debeat. Intende obsecro animum, & Infiniti naturam attentius mente reputa: neque enim ad finitorum finem pervenies. ne proximo passu in infinitum impingas; nec hiulcum illud vacuum, tenebrosum, immensum transvadabis, quo finitorum ab infinito regio disjungitur; nec quocunque te verses, qua via vel divinæ scientiæ pervium fiat. invenies. Perge porro & Deum de infinito faciendo consultantem fingito, Certe quantum operis faciendum incumbat, circumspicere sedulo oporrebit, ne quid minus, parte qualibet neglecta, prodeat. Tantum igitur & non amplius faciendum objicitur, vel exactè loquendo, cognoscitur: Extremum igitur quoddam, quo nihil ultra protenditur cognitione definit. Finitum igitur est quia fine non caret, quippe quem cognitio divina discernat, atque determinet. Sed talem finem cum infinito pugnare nonnulli ex infiniti defensoribus negant; quia finem infinito contrarium definiunt, quò finito tempore, viribusque finitis perveniri queat; eo vero metam quam mens infinita statuerit, nec diuturnitate nec facultate finitis attingi, quare finem hujuscemodi cum Infinito consistere posse autumant: Abesse non potest quin summa ignorantia, vel supina certè oscitantia Definitor iste laboraverit. Expergiscere tantisper, & scientiam, si quam nactus es, excita, vel soporem quo captus es, excute. Hoc age, finiti & infiniti discrimen inquiritur, nondum es altetutrius adeptus notitiam. In ipsa tamen definitione, seu prima notione, hoc est in ipso investigationis exordio, finiti naturam quasi notam assumis, quam nec longa post inquisitione uspiam invenire potueras. Meministi ne quanta vertigine vacillaret animus dum circa finiti, & infiniti limites oberrares, ut finitorum fines attingeres; Non igitur finiti nomen ignotum in definitionem infiniti inse-

rendum; sed finitum quod finem habet, infinitum quod non habet asserendum; finem autem quid ultimum, quacunque intelligentia signetur, intellige. Ita infinitum ut nomen, & notio postulat, clarissime & facillimè definitum habes; neque quicquam difficultatis evadis, infinito terminos tribuendo; inter quos si infinita fuerint interjecta, eadem finitorum, infinitorumque confusio, quam prius videmus, apparebit. Nulla vero divinæ naturæ
l. 3. in re una simplicissima infinitatem consequuntur incommoda, quæ quo modo intelligenda sit, atque probanda, alibi copiosè traditum videas.

Rejiciuntur quæ Infinito suffragari videntur.

§. 40. Restat eas nubes dispellere, quæ repugnantiæ Infiniti sua luce clarissimæ, obscuritatem summam, & tenebras offundant. Ac primo loco occurrit tenebricosum illud Entium genus, quod Negationes appellant objectivas; quorum quia tanta est, quanta rerum quæ non sunt, esse tamen possunt, multitudo; hæc autem ex opinione communi, nullo fine claudatur, sit ut etiamnum, non modo ante mundum conditum, earum infinitus existat numerus, ac proinde haud minus in negativis, quam positivis, Infiniti numeri laqueis impliceris. Non enim ex mole, sed multitudine argumenta ducuntur. At negatio numeri, inquis, non est numerus, sed contra non-numerus, fateor. At negatio Elephantis una cognitione distinguitur, negatio Cameli altera, itidemque deinceps; quæ vero Numerum numerantem seu cognitiones singulas sigillatim terminant, ea sane Numerum numeratum constituunt. Meminisse debueras ea præcipuè ratione Negationes inventas, ne cognitionibus quibusdam objecta deessent: habent igitur esse quod vocant objectivum, id autem perinde Numerantem distinet, ac si in summo Entis positivi gradu consisterent. At esse Negationum, est Non esse rerum, quorum autem esse, est Non esse, ea Nullum esse possunt habere, Rectè mea quidem sententia, sed qui Negationes tuentur, Esse negativum, ajunt, Positivorum non esse ita censendum, ut ipsis suum quoddam Esse Negativum constet, quod non sit solum cognitionibus terminandis, sed rebus majoribus præstandis idoneum. His etenim permulti Dei, quos appellant actus liberos complere non dubitant; unde minus alium quendam eò deveniisse mireris, ut una simplicissima divinitate distinctionis omnis experte, & tribus negationibus arcanum Trinitatis Mysterium evolvere niteretur. Sunt etiam qui in spatiis imaginariis pavimenta tibi sternant Negativa, in quibus somniando per otium ambules, neque finem attinges; ubi etenim ubicationes quæ possint esse, non sunt, ibi Negationem ubicationis substratam invenies; ubicationes autem quæ non sunt, licet esse possint, sunt plures, quæ ulterius semper sine termino protendantur, harum igitur spatium negationes interea occupant infinitum. Extensionem itaque non modo multitudinem infinitam habes, in qua proinde tibi descriptum

dabunt

pabunt triangulum quod supra posuimus, & transversas numerando; atque à finitis infinita distinguendo, & fatigatum, & fatuum factum ridebunt. Hæc tibi multum, mihi nullum negotium facessunt, qui absurdissimam hanc Negativorum Entium notionem, nullo jure in rerum natura retinendam esse docuerim.

§. 41. Sed Negativis repulsis subsidio veniunt Positiva. Horum enim tam longum, inæquale divinæ menti agmen occurrit, ut nec postremum prospiciat, nec supremum. Quid ita? quia si postremum esset aliquod, eo in lucem producto divina fæcunditas foret exhausta, quæ tamen cum infinita sit exhauriri nequit. Si supremum, supra quod aliud haud emineret, quia illud quantumcunque perfectionis gradum obtineat, cum finitum sit, à perfectione Dei infinita intervallo quodam infinito disjungitur; cur igitur alia atque alia nequeat propius accedere? alioquin exinanitus appareat divinæ bonitatis Oceanus, si boni nil amplius in res extraneas possit effundere. Præterea tametsi potentiæ infinitæ absque rerum quas respiciat, multitudine, aut magnitudine interminata, notio formari queat; æternitatis tamen Angelorum, & hominum nequit, nisi cogitationes, & durationes futuræ fine careant; nam si finem habent, finientur utique; quibus finitis, non finietur infinita & immobilis Dei æternitas, erit igitur aliquando Deus nullo Angelorum, & hominum comitatu stipatus; denique Angeli & Animæ mortales erunt. Quod si ut infinitum evites, easdem cogitationes iteratò & sæpius in scenam producas, dic quoties? Si finitiès tantum, exhaurientur, si infinities, jam infinitas durationes adducis, easque novas, nam singulas à se mutuò natura distinctas asseris, ne dies hesterna, ejusdem durationis reditu, revocetur. His autem omnibus antequam in lucem edantur, esse quoddam umbraticum, quod Essentiale, possibilitatis, non repugnantiæ, Objectivum denique appellatur, attribuis; quodque proinde haud minus operosum, implexum, atque inextricabile numeranti, vel intuenti, quam quæ Existentia donata sunt, negotium exhibet. Quid multa? Volve, revolve, undecunque corrade distinctionum logicarum suppellectilem omnem, atque farraginem, etiam satagendo plus quam satis sit, peregisse te nihil invenies; quocunque te conferas, tandem aliquando in numeri infiniti voraginem incides. Tot etenim sigillatim distinguit, ac proinde numerat in Esse possibili, & Objectivo Deus, quot Numerum actu infinitum, si existentiam haberent, constituerent; idque evidenter evincitur quacunque tandem definitione Infiniti naturam explices. Vocas hoc infiniti genus, quod ex rebus quæ non simul omnes existant aut existere posse intelligantur, *Secundum quid*, & *Syncategorematicum*, atque

Negationum, & objectorum possibilium patroni haud sibi consentiunt cum infinitum negant.

atque adversarios audito hoc portentoso vocabulo, veluti monstroso Gorgonis vultu cousspecto, stupore correptos somnias; frustra es. Illa voce neque fiunt immobiles, neque loco moventur. Rursus invadunt. Ea divinæ menti simul objicitur multitudo, sive simul possit, aut non possit existere, quę nullum numeranti finem ostentet, eumque perinde finitorum ab infinitis distinctione confundat, atque implicet, ac si reipsa res illas omnes, & singulas simul existentes aspiceret. Non videt omnes, inquis, sed singulas, quia vox omnis, multitudinem animo circumscriptam, ideoque finitam indicat. Quid tum? Nonne eodem modo videt omnes in esse objectivo, quo si existentiam haberent visurus esset? Hanc visionem omnium ex repugnantia Numeri infiniti condemnas, eadem itaque in alteram pronuntianda sententia. Deinde singulas videt, nullam non videt; concedis: Omnes igitur videat necesse est: Negas. Efficiam ut binis enunciationibus sibi invicem contradicentibus, utramque falsam affirmes. *Aliquam non videri* falsam dices, quia nullam non videri concesseras, omnem videri quoque falsam dixeras. Omnem videri, aliquam non videri, nonne adversis frontibus colliduntur? Respice diagramma tuum Logicũ, & contradicentes hasce per quadrati diagoniam in mutuam perniciem minaciter incursantes aspicies. Age vero. Promat Deus quantum maximum potentiæ suæ conatum, ut eodem opere feciſſe quicquid facere possit intelligas. Finitum dicere non audes, quia quolibet finito majus efficere potuit; ergo infinitum tibi, in esse non tantum potentiali, sed actuali, quod tantopere recusas, obtruditur. sed cum facere quod possit intelligitur, etiam modus, inquies, quo facere possit includitur. Modus autem ille facienti præscribatur, ut non omnia simul, sed finitarum multitudinum aliam alia consequatur. Quid ita? Nempe ne congeries infinita prodeat, hoc est, ut tibi argumentis repulso fuga pateat, rationibus exarmato verba suppeditent. Non quæro quid postea faciat, aut possit faceret, sed ut simul feciſſe fingatur, quod simul & semel facere possit. Hunc numerum quolibet finito cum majorem esse concedas, infinitum esse conficitur, nullus enim numerus infinito minor, quolibet finito major est. Sed verborum tricas logicis implicandas, explicandasque linquamus, & rem ipsam sermone quàm fieri possit minimùm implexo tradamus. Potentiam Dei infinitam rebus infinitis creandis parem existimas, atque ita existimas, ut nisi quæ fieri possint effecta infinita ponantur, efficientia infinita poni non possit. Deinde cur simul infinita non exeant, debilitatem potentiæ accusare non soles, quam tamen excusare non poteris si rem attentius introspicias. Cur Centimanus Gyges pondera centena proposita centenis brachiis haud simul attollat, quid causaberis, nisi vires impares? propterea quod è penu cordis, aut cerebri tot brachiis animandis spirituum annona promi nequeat, vel quod

quod paris infirmitatis est, quòd spirituum meatus alicubi sint obstructi. Itaque cur res menti divinæ propositæ, eâdem simul operâ, earum nullâ præteritâ, non existant, quid possit obstare nisi facultatis infirmitas, quæ tot & tantis æquari non possit? Cur aliam aliâ priorem efficiat, nisi ut artifices solent, qui prius instrumenta fabricant, quibus ad alia opera facienda indigent? Neque hoc loco, quod alibi toties inculcas, impotentiam divinam intrinseca rerum ipsarum repugnantia purgabis. Nam ut illud omittam quod alibi tractatum, infra tangetur, repugnantiam illam, quam prædicas, commentitiam esse penitus atque Chimæricam, plures Angeli, vel etiam corpora plura non pugnant: nam Angeli quotcunque locum haud occupant, & corpora vel, ut ego sentio, sunt spatia, vel, te ipso consentiente, paria corporibus spatia non deerunt. Naturâ non pugnant; sed forte numero. Sed numerus nil naturæ præter cognitionem res ordinatas ordine distinguentem adjungit. Hanc Deo non adimis, qui Angelos dignitate, corpora situ, alia aliis superiora distinctè singula intuentem cogitas. Deinde cum Numerus ille naturæ nil addat præter Dei cognitionem extrinsecam, repugnantia Numeri non foret illa, quam fingis intrinsecam, neque rebus, ut rebâris, sed Deo, quod nolebas, adjudicare teneberis. Præterquam quod sine fructu labores, ut quæ cognoscit Deus, ea nullo præterito simul effici posse ex numeri infiniti repugnantia dissuadeas, cum antequam fiant in statu, quem vocas, objectivo, haud minora, quod ad numerum quidem attinet, ut nuper vidimus, apportent incommoda. Satis, opinor, potuit, haud minùs Infiniti impugnatorem, quam propugnatorem iis undique periculis circumseptum, ut neutri superfit victoriæ spes, sed nec fugæ copia sperari queat. Id autem non adeo rei obscuritate, quam opinionum pravitate factum, mox patebit.

Quibus erroribus in opinionem Infiniti discessum

§. 42. Commemorabo summatim singulas, nam suis quasque locis anteà refutatas invenias, ut quibus erroribus abducti, in eas tenebras sese conjecerint, ut potentiam infinitam absque infinito rerum numero non agnoscerent: quam aliunde clarissime, si claritatem in scientiis secuti fuissent, nullo negotio detexissent. Primùm Deo ex eo quod à seipso sit, omne bonum, idque interminatum inesse, cum terminus omnis ab extraneo pangatur, supra probavimus. idque à Divo Thomâ cum antiquis sapientibus probatum fuisse, neminem in veterum lectione versatum latet. Ecquid igitur alios transversos egit, ne hîc in Dei potentiam infinitam inciderent? Dum venandis Chimæris, & Rationis, ut ajunt. Entibus dissecandis intenti, cur aliud possit, aliud haud possit à Deo fieri sollerter indagant, & potentię divinę majore pietate, quam peritiâ consulunt: res ipsas per calumniam incusant, quibus Esse quoddam essentiale, nulla Dei actione productum (quippe quæ ad aliud tantum Esse Existentiæ conducat:) sed proprietatibus quandoque pugnantibus,

seu prædicatis, ut vocant, contradictoriis inquinatum tribuunt, quorum attactu profano actionem divinam maculari nolint. Cæterum quod pietas imperita in impietatem desinat, vel hîc, ut & alibi semper invenies. Nam si Leo Essentiam à seipso habeat, nempe quia nullius actione conditam, eademque licet à seipsa sit, certo quodam perfectionis ambitu finiatur; undenam manifesto, vel probabili argumento convinces Essentiam divinam ex eo quod à seipsa sit, limitibus nullis terminari? Deinde nomine proprio Deum spolias: Idcirco etenim vocatur QUI EST, quia cum cæteris Esse emendicatum ab ipso, proprium autem, præter non esse, nil congruat; ipse sibi suum & proprium Esse vendicat: quare nullum est ESSE quod in ipso & ab ipso non sit, itaque illud tuum Esse Essentiale, si quod est, non à seipso, sed à Deo est, immo nihil aliud, quam Deus est. Possibiliratem enim, quam vocant, effectûs à potentiâ causæ, quamdiu non existit, nullo modo distinguimus. Nullum enim est *Esse*, nullum omnino, quocunque verborum fuco pingatur, prætet *Esse*, quod dicitur Existentiæ, uti alibi suo loco docuimus. Quare tantum abest ut infinitæ res objiciantur scientiæ vel potentiæ divinæ, ut nihil antequam existat, vel Esse, quod dicitur, objectivum, quantumvis tenue, quantumvis exile possideat: Neque quicquam, præter ea quæ existunt, divinæ menti numerandum objicitur. Non enim illius intellectio, uti visio nostra, rebus objectis indiget. Unde omnis hæc de esse objectivo hallucinatio profluxit, quam etiam à scientiâ ad potentiam propagarunt, cui terminos quosdam, ad quos collinearet agendo, objectos esse voluerunt. Nec omne esse, quod oportuit, è fœcundo illius, quod *Esse* omne contineat, sinu promanans; sed *Esse* quoddam primigenium, quod vocant Essentiæ, rebus ipsis adjudicant, quod altero quodam *Esse* Existentiæ potentia divina compleat, arque perficiat. Scilicet hoc tam pium commentum pietas suasit, ne quis divinæ fœcunditati imputet, quod Chimæras, & Tragelaphos non parturiat; quorum repugnantiam, potentiam divinam contemplando, non inanes rerum umbras somniando reperies. Deus enim sciendo potest; scire autem non potest, quo pacto *Esse* & non *Esse* in ejusdem Chimæræ structura compingat; idque si sciret, non scientia, sed insania, ideoque non potentia, sed impotentia censeretur; itaque cur fieri quædam nequeant, rationem quam vocant à priori, ipsi causæ insitam, absque inanibus objectorum umbris invenies, quas quidem licet ipsi nobis phantasiæ ludibrio visionem imitantis. atque intellectionem puram inquinantis, objectas cernere videamur; neque eas ipsi revera cernimus, nedum Deo cernendas objectare possumus, quamvis verbis ad nostrarum intellectionum normam effictis, quæque propterea objectorum quædam spectra significent imperitis, scientiam divinam, non

Possibilitas & impossibilitas rerum non ipsarum Essentiis, sed Dei potentiâ continetur.

non modo noſtram cogamur exponere. Hæc ſi vidiſſent Scholaſtici, ab infiniti numeri, quo tantopere torquentur, laqueo ſe facillimè exuiſſent; cum ea quæ nondum exiſtunt, ne tantillum quidem *Eſſe* quo cognitio terminetur, ideoque nec numerus confletur, obtineant; Deique potentiam altiùs extuliſſent, & longe ſubtilius explicaſſent, ſi infinitam, ſuum à ſeipſo *Eſſe* illimitatum accipiendo, non ea quæ nullum habent, reſpiciendo dixiſſent. Neque verendum erat, ne quicquam potentiæ viribus derogarent, ſi in ejuſdem naturâ Chimæræ repugnantiam collocarent. Perfectior enim eſt quæ perfectorum partuum fœta, monſtrorum effœta fœcunditas; Deumque proinde Chimæras non poſſe producere, potentiæ non defectu, ſed perfectione ſenſiſſent.

Non eſt infinitâ Dei potentia rerum multitudine metienda.

§. 43. Ex alio quoque fonte, agendi vim infinitam hauſiſſent, agendorum multitudine infinitâ neglectâ, niſi eum ſibi antea obſtruxiſſent. Nam ſi veterum ſecuti veſtigia, immenſum illud quaſi intervallum, quo Ens à non Ente diſtrahitur, attento animo reputaſſent, vim eam quæ à Non Eſſe, quippiam ad Eſſe pertrahat, infinitam haud dubiè judicaſſent, niſi opinionem aliam præjudicatam revocare in dubium metuiſſent. Nam cum educendi vim rebus infimis tribuiſſent, eâque rem quæ nihil erat, ut eſſet effici, docuiſſent; quam proinde à creandi potentiâ tantillo diſcrimine ſeparârent, quantulum eſt ſubſidium quod à materiâ præſtari dicunt, licet explicare nequeant, ſed qualecumque ſit, tenuiſſimum eſſe concedunt; haud eos latuit nimium rebus creatis finitiſque promiſcuè arrogari, ſi tam prope à virtute creandi, quam infinitam faterentur, abeſſent. Viſum eſt itaque creandi elevare potentiam, ne forte nimis educendi Virtutem efferrent. Cæterum cùm antiquorum Patrum authoritatem reveriti potentiam infinitam creatione colligi palam negare non audeant, neque ab educendi virtute, quâ par eſt infinitum à finito removeri diſtantiâ, ſejungere queant, locum hunc inexplanatum penitus, & ſummis obſcuritatibus involutum eſſe patiuntur. Me vero nil prohibet infinitatem ſuam creatori integram atque illæſam reddere, qui Deo ſoli rem ullam efficiendi facultatem adjudicem; cæteris autem, nec tamen omnibus, ſed optimis, rem non ut ſit, ſed tantùm ut alio modo ſit, hoc eſt non faciendi, ſed mutandi vires addicam; neque ipſa mutatione ullum Eſſe, ab eo quod ante fuerat diſtinctum, emergere evidenter oſtendam, id quod recolenti quæ alias abunde diximus haud obſcurè patebit.

§. 44. Sed & alia quædam obſtrepunt, ne attentè audiendo percipiant quo pacto cum rebus multitudine & magnitudine finitis potentia infinita conſiſtat. Quamvis enim omnes Deum, ſcientiâ voluntatem dirigente,

agere fateri cogantur, neque potentiam divinam plurimi cum intellectu & voluntate, ratione omni congruere, diffiteantur; ita tamen diuturno scholarum strepitu obsurdescunt, quibus elementa, aliaque permulta cognitione expertia, operandi vi prædita, tantis clamoribus, nemine reclamante, asseverantur; ut cum operationem divinam cognitione proponimus metiendam, interturbantibus usu longo inolitis, adeoque insolenter se inferentibus potentiæ cæcæ notionibus, per aures ad animum via non pateat. Id enim ni esset, quid rationi magis consonum audiri posset, quam in omni re operationi subjectâ, primum, ultimum, supremum, infimum, totum denique & naturâ, & numero definitum esse oportere, cum ab ipsa cognitione singula definiente Existentiam pariter, Essentiamque recipiant: Neque finitum quod non sit, definiri scientiâ, hoc est distinctè, & dilucidè sciri queat. Quare cum rudem reputemus artificem, qui conetur id facere, quod quo pacto fieri possit ignorat; qualem tibi Conditoris omnium speciem fingis, cui opus infinitum, quodque proinde cognitione describere, & designare nequeat, faciendum exponis? Tantum abest ut tantâ rerum congerie potentiam accumules, ut haud parum de illius dignitate detrahas. Tametsi enim nil nisi finitum fieri velis, materiam tamen infinitam, finitorum infinitorumque permixtione confusam obtrudis opifici: quam usque, & usque, atque ultra scrutando quid porrò faciendum reliqui sit prævidere non possit, ideoque hæsitante scientiâ, vacillare potentiam necesse est, quippe quæ eadem sit, vel certè ab eâdem dirigi debeat. Sed nempe tibi potentiæ lumine captæ notio, res creandas ex immenso Creatoris gremio, veluti è tenebricoso barathro erupturas exhibet: pluresque proinde deinceps, ac prioribus potiores, sine fine, modove, quò scientia pertingat immemor, produturas expectas. Quid ni, inquis? cum potentiam infinitam, nisi mensura fine careat, metiri non liceat.

Certa rerum magnitudo & multitudo ex scientiâ creatrice deducitur.

§. 45. Ecce rursus fucum, quem Phantasia Philosophis sæpenumero facit. Infinitatem Numinis, non tam perfectionis magnitudine, quam extensionis cujusdam amplitudine metiuntur. Sed undenam oriunda fallacia? Dum incorporea corporeis, utrorumque confusis proprietatibus, temere permiscent, utraque modis quibusdam incognitis, quos Ubicationes appellitant, prout usus fuerit, vel in punctum contrahunt, vel per spatia distendunt; mensque jam devia Phantasiæ ductu eo progressa, ut naturam Angeli inextensam per spatia extensa diffunderet; ultra etiam præcipiti cursu ruit, immensitatemque divinam prius per loca cuncta diffusam, deinde per spatia quædam imaginaria, extra mundi, locique terminos effundit. Jamque Geometriâ quâdam Metaphysicâ alias atque alias decem-

decempedas, quas phantasia suggerit, applicando, dum metam haud prospicit, Deum vere immensum, quippe qui mensuram omnem superet clara voce pronuntiat; atque ut tam subtilis inventi fructus latius pateat, Deum prole quoque imaginaria gravidum fingunt, quam nisi numero & indole sine fine crescentem cogites, infinita fœcunditas mensura carebit, atque optima ultimaque in lucem edita, sterilis deinceps remanebit. Cæterum dum phantasiæ blandiris, mentem ludibrio, Divinitatem opprobrio habes. Altius extollendus est animus ut digna Deo, recta de incorporeis sentias. Quæ quidem non expansione, sed operatione corporibus adesse, & inesse noscuntur; hæc autem quia in voluntate consistit, & voluntas scientiæ ductum sequitur, præsentiam potentiamque mensurus, quo scientia pertingat inquiras oporteat; quam quia infinitis implexam in amentiam degenerare monstravimus, infinita quæ fingitur rerum turba, infinitæ præsentiæ, atque potentiæ ruina potius, quam mensura censebitur. Quare cum scientiæ, præsentiæ potentiæque nitatur infinitas, scientiam sedulo contemplare; hanc ubi protensione quadam ad infinita, non auctam sed oppressam videris, non extensionis infinitæ, sed illimitatæ perfectionis imagine conspiciendam intelliges: Erit autem cognitionis illimitatæ perfectio, quam, cum à se sit, nihil limitet, quæque aliud à non esse, ad esse, illimitato traducere sciat interstitio. Deum igitur infinitum vel unius rei creatione, vel etiam nullius, sed ipsius solius à seipso existentis consideratione cognoscas. Quibus duabus rationibus, & non aliis, perfectam & absolutam divinæ naturæ infinitatem ostendi, cum de Deo ageretur, expositum est. Non igitur est necessaria numeri infiniti mensura, immo licet esse posset, non esset idonea. Mensura nimirum ei quod mentiendum est æquari poterit, nihil autem creatum infinite perfectum fingi poterit, quippe quod *esse* quodam aliunde emendicato finitur, potentiam igitur infinite perfectam, æqualitate creata dimetiri non licet. Quare cum fœcunditas infinita progeniem sibi parem, suique mensuram exhibet, suam ipsius naturam increatam, atque ea re undique interminatam attribuit, non aliam ex nihilo procreat; quæ quia à nihilo est, cum eo quod à se est, neque exæquari, neque ulla ratione comparari queat; atque idcirco proinde lineam puncto, superficiem linea, atque rem increatam creata metiri conaris. Quod si rem & numero ultimam, & dignitate maximam procreatam intelligas, fœcunditatem infinitam non modo ad exhaustam, sed si creandi ex nihilo modum excipias, multitudine rerum vix tenuiter expressam intelliges, haud magis quam si punctis exemptis lineam imminutam, vel compositis repræsentatam esse finxeris. Ultimone rerum partu numen effœ-

Potentia per scientiam noscitur.

Aseitas, & creandi vis infinitam evincit.

Ultimum, maximū, & minimū in rebus asseritur, quia nihil non à scientia creatrice definitur.

effœtum & ſterile factum cogitas, cum Deum Patrem, prolem infinitæ fœcunditati parem, non olim tantum genuiſſe, ſed etiamnum gignere, ſemperque geniturum debeas cogitare. At quod ad res creatas attinet, exhauſta ponitur infinita potentia. Neutiquam. Non enim ab earum vel numero, vel nobilitate, potentiæ divinæ derivatur, aut demonſtratur infinitas. Num ea re infinitum exhauſtum noſſe poteris, ex qua infinitatis notitiam haurire non poteras? Verum haud amplius inde hauriri poteſt, exhauſta eſt igitur. Quâ infinita cognoſcitur nego, qua finita concedo; Ergo potentia divina aliquatenus finita cognoſcitur. Non utique cum ut in ſe eſt abſolute cognoſcitur; ſin autem ut à nobis notitia quadam imperfecta ad finita refertur, recuſare non debes; qui eandem potentiam veluti finitam intelligis, cum ad rem aliquam è materia educendam, aliorum immemor, cogitando reſtringis.

§. 46. Sed ne tempus, diſtinctiunculas logicis concinnando, teramus: Pergendum ad aliud, quod magni à pluribus momenti putatur. Niſi enim plura ſine fine, modoque à Deo ereari poſſe dicantur; cur alia præter ea quæ fecit, ac facturus eſt, faciendi potentiam tribuamus? nam ſi uſpiam, cur non in hoc rerum & numero & genere meta pangenda? id tamen quia à Wicleffo aſſertum, à Concilio Conſtantienſi damnatus eſt. Cæterum qui errorem Wicleffi diligentius inſpexerit, non ea re damnatum inveniet, quod quæ fieri poſſent, finita ſtatueret; ſed quod Deum non libere, ſed neceſſario agentem poneret, atque idcirco nec plura, nec pauciora agere poſſe cenſeret. Neminem autem authoritate ulla, cujus cenſura metuenda ſit, vel condemnatum, vel reprehenſum fuiſſe comperies, propterea quod potentiam divinam ad res infinitas non extenderet: quas cum finitas eſſe abunde monſtratum fuerit, liquet eas omnes producendi decretum Deo neutiquam repugnare; neque quod aliud decreverit, nobis aliter, quam ex ipſius verbo ſcripto, vel tradito poſſe conſtare, ſaltem quod ad materiam attinet, qua corporum conflata varietas. Nam qui Aſtronomiæ adyta perpaucis conſpicua penitius introſpexerit, ei explorata Phœnomena tam vaſtam mundi molem objicient, ut niſi Deum aliter dicentem audiat, amplius aliquid corporeæ molis, quæ fieri poſſit ſuſpicari vix queat. Animas autem, corporumque atque animarum adeo mutationes plures exiſtere potuiſſe, eo argumento ſuaderi poterit, quod in hominum arbitrio poſitum ſit, ut plures, & à pluribus nuptiæ fiant, ampliuſque voluntas tum in ſe, tum in alia navet operis. Verum enimvero tum res, tum rerum mutationes omnes Deus in numerato habet, & in ordine quolibet primam & ultimam, maximam, & minimam mente deſignat; non quod res antequam exiſtant, aliquod eſſe habeant, quo intellectum terminent numerantem; ſed quia ſi exiſterent termi-

minarent, vel potius terminandi, vocabulo à noſtrorum ſenſuum cognitione deſumpto, propriæ locutionis inopia, qualemcumque explicationem haberent.

§. 47. Quamobrem in corporum motionibus, Angelorumque cogitationibus extremam à Deo definitam ſtatuo, ultra quam nulla futura ſit, vel eſſe poſſit; ac proinde æternitatem creatam, ſi rerum non ſtatu, ſed fluxu contineretur, finiendam aliquando pronuncio. Quamvis enim quæ non ſunt, nihil habent quo numerum ullum, nedum infinitum conſtituant; ſcientiam tamen, quæ licet objecta non habeat numeranda, objectivi numeri fictione cognoſcitur, haud minus indigeſtam, turbidam, implicatam, ac Deo indecoram agnoſcimus, niſi futurorum fluxionem oppoſitus agger inhibeat, quam ſi interminatam rerum exiſtentium multitudinem, finitarum infinitarumque permixtione confuſam ordinate luſtrandam, ac percenſendam apponeres. Et certe poſt orbis interitum, ſtatus quidam immobilis, quem nulla motionum, aut cogitationum viciſſitudo perturbet, rebus ipſis apprime congruit. Primo ſiquidem motus notione propria, & communi ſententia pertendit ad terminum quietis immobilem, quare D. Thomas ſic loquitur: *Motus eſt actus imperfecti, inde tolli debet, quando tollitur imperfectio.* Cui conſentit Ambroſius, nam locum illum Apoſtoli interpretando: *Omnis creatura ingemiſcit & parturit*, his verbis utitur: *Sol & Luna cum labore ſtatuta tibi ſpatia implent*, quem laborem D. Tomas viciſſitudinem motus intelligit, cui motus veluti imperfecti terminum deſignanti ſuffragetur oporteat, qui illius notionem Ariſtotelicam: *Actus entis in potentia prout in potentia* manifeſtiſſima imperfectionis imagine mente formaverit. In eamque ſententiam turmatim diſceditur, ut redivivus poſt obitum mundus quiete fruatur, immotis aſtris, aut aſtrorum orbibus, quorum motibus infera, media, cuncta cieri paſſim affirmant. Hocque orbis immoti univerſale altumque ſilentium alta voce proclamantem audiunt Angelum illum, qui ſtans ſuper mare & terram, manumque ad cœlum elevans teſtatur omnium Creatorem æternum. *Quia tempus non erit amplius.* Quod ſi corpora mobilia quieti reddantur, incorporea certe cogitationum novarum fluctibus agitari nec quare debeant, nec unde conſpicimus. Reſtitutis corporibus quieſcent animæ, quibus aliud haud deerat ut felicitatis ultimæ hæreditatem ex aſſe cernerent: Angelos inferiores à ſuperioribus illuminari amplius D. Thomas diſertis verbis pernegat: cur à Deo mercedis integræ & perfectæ ſolutio prorogetur ulterius, ut interminabilis vitæ totam ſimul & perfectam poſſeſſionem adeant, fingi nil poteſt. In mundo corporeo, tunc immobili, ubinam cogitationum novarum ſegetem pullulantem invenias? Niſi forte quis delectationes ſenſuum quibus animæ redun-

Nulla motuum aut mutationum æterna ſucceſſio, ſed omnia in fixo ſtatu firmanda.

Suppl. 4. 73. a. 2. ad 3.

2. Theſſ. 3.

Apoc. c. 10. v. 6.

Senſio ſine motu.

redundabunt, ſine corporum motu continuo perpetuari non poſſe ſuſpicetur. Quam tamen ſuſpicionem haud afferent qualitates eæ, quas intentionales appellant; quibus licet motus expertibus, officia ſenſuum obiri plerique autumant; neque ſi, ut mihi perſuaſum eſt, anima nunc ſopita, & veterno quodam è gravi corporis temperamento correpta, novis continuo motibus pungi, atque ad rerum perceptionem ſtimulari debeat; idem tunc evenire putandum eſt, cum altiſſimarum rerum intelligentia ſui compos effecta, corpus aptiſſimum quod illius voluptati morigeretur acquiret; quod proinde amplexu voluntatis arctiſſimo atque ſuaviſſimo immobiliter appreſſum, haud paulo tunc majora ſenſuum oblectamenta, quam motu nunc & debili, & inſtabili applicatum, imprimet. Unde etiam ſine motu, animarum infelicium cruciatum intelligas ſempiternum, quæ vel alienæ voluntatis imperio, vel ſi cogi nequeunt, aut neceſſario, aut ſponte ſed perverſæ mentis rabie & igni alieno, & propriis corporibus vitioſa compoſitione deterrimis, ideoque ad cruciandum aptiſſimis adhærebunt. Cumque res ſpirituales, corporum, ut ita dicam, attactu affici ex animæ noſtræ indole colligamus, eorumque inſuper amore plus quam ratio, id eſt animæ natura poſtulet ardere cernamus; nihil vetat quin Angeli tametſi corporum ſubſidio non indigeant, eorum indole ſeu ratione depravata peccando, è ſublimi naturæ faſtigio deturbati, ignitis immotiſque corporibus ſeu compulſione, ſeu neceſſitate, ſeu furioſa libidine alligentur. Stat igitur immota & immutabilis, tum felicitatis, tum infelicitatis æternitas. Quæ quidem ſtabilitas uſque adeo naturæ congruit ſpirituali, ut Ariſtoteles ſeparatas intelligentias, quas rotandis cœlorum orbibus adhibebat, nunquam non incommutabiles eſſe ſtatueret; unde celeberrimus Ariſtotelis commentator Averroes nova ab eis accidentia recipi negabat, neque intellectionem ab earundem ſubſtantia diſtinguebat, & Sermone quarto de Innocentibus, quem Auguſtini Sermonibus inſertum legimus, de hominibus dictum audias, *receptis corporibus immutabiles erunt in anima, & incorruptibiles in corpore.* Contemplatio præterea, quam ſolam felicitatis æternæ adumbratam imaginem, fas eſt vitam mortalem degentibus intueri, non volubili variarum cogitationum rota convertitur, ſed affectione quadam animi haud ſatis explicabili, fixa tamen & immobili continetur. Nec qui ſumme dolet vagatur animo, ſed angore defixus ſtupet. Contemplare beatos immota quadam exſtaſi abreptos in Deum, ejuſque æternitati ſtabili alte infixos, eique hoc ſtatu quam motu ſimiliores effectos, cui ſimiles aliquando mortales Joannis Apoſtoli teſtimonio futuros eſſe credimus; tum miſeros obfirmato atque invariato rabioſæ mentis furore ſtupidos intuere, mobiliumque atque mutabilium ſtrepitu naturæ corporeæ, pariter & incorporeæ quiete coerci-

Contemplatio Æternitatis.

1. Joh. 2. 3.

to,

to, ſempiternum orbis univerſi ſilentium venerare. Hanc æternitatis imaginem ſi animo attento, & ſupra plebejarum mentium notiones, ſeu ut veriùs dicam Phantaſiæ fictiones elato, lector aſpicias, haud paulo magis decoram atque ad veteris tum Metaphyſicæ, tum Theologiæ exemplar clariùs expreſſam, quam quæ obſcuris, & evanidis fluxionis æternæ coloribus adumbratur, volens lubenſque fateberis: animoque in tam ſtabili beatæ immortalitatis perennitate defixo, ærumnoſas vitæ mortalis viciſſitudines, varietateſque ſolaberis. Iamque opinor, locum hunc, qui de Infinito eſt, quantumvis hactenus impeditum, & aſperum, ſublatis falſarum notionum, & opinationum obſtaculis apertum, planumque, quod ſupra prædiximus, reperiſti.

§. 48. Atque hâc viâ plana, ſalebras quibus alij fatigantur evadimus. Quoties enim, & quantum in argumento, quod vocant Calculatorium, ſudatur? Quam vim & difficultatem habeat, exemplis haud multis licebit addiſcere. Materiam primam plurium ſine fine formarum, tum numero tum ſpecie, tum etiam genere differentium, capacem ſtatuunt. Formarum etiam poſſibilium longum agmen oſtentant, quarum aliam alia duplo, vel centuplo ſi velis perfectior ſit, metam enim vel multitudini, vel magnitudini nullam collocant; quia cujuſcunque proportionis ordine provectus fueris, à potentiæ divinæ infinitate diſtabis. Fingito nunc materiam unius tantum formæ capacem, vel hujus quæ vulgo fingitur perfectionem, quæ unius formæ capacitati reſpondeat, ſeorſim mente ſeponito, eamque perfectionis gradum unum, aut granum vocato. Eſt enim aliquid certum, & definitum; nam qui ſe partium proportionalium tenebris involvunt, particulæ tamen cuilibet ſejunctæ menſuram certam tribuunt; Itaque materiæ cuidam ſingulari, & à communi diverſæ, quæ formæ tantum uni par fuerit, determinata perfectio negari non poteſt; cui æquale quippiam in materiâ communi, quatenus ad formam unam cogitando reſtringitur, exiſtimari debet. Quocirca materia quæ formam ferat unicam, perfectionis granum unum obtinet, quod ſi alteri quæ ſecundam capiat, granum alterum debeatur, tertium quoque trium capaci dabitur, ideoque infinita materiæ vulgari concedenda ſunt, quam nullo formarum numero ſatiandam putant. Gradibus autem infinitis ad altiorem, quam pro re quæ prope Nihil appellari ſolet, dignitatem evehi haud immerito arbitrantur. Quid igitur concilij capiunt? Nimirum proportione tantùm geometricâ perfectionem accumulant. Unius formæ capaci granum unum tribuunt, duarum capaci ſemiſſem addunt, trium vero capax quadrantem ultra recipit; quâ dimunitione dum infinitatem fugiunt, in alterum ex adverſo delabuntur incommodum. Sic enim fiet ut quæ formis innumeris par fuerit, aliam uni tantum aſtrictam perfectione dupla non ſuperet. Quibus etiam & hoc qualecunque ſit præcludamus effugium.

Argumento Calculatorio per ea quæ de Infinito, & objectis diximus reſpondetur.

Nonne

Nonne vis dupondio ſuſtinendo par, dupla eſt illius quo pondo unicum ſuſtinetur? Itaque materia quæ formam duplo perfectiorem ſuſtentet, ſuſtentandi vim duplam ſive perfectionem duplam obtinet; triplam itidem ſi triplo perfectiorem accipiat; quare cum materiam non modo plurium uniuſmodi formarum, ſed aliarum aliis perfectiorum capacitatem tribuant, atque interminata ſerie formas plumbeam duplo, triplo, quadruplo ſuperantes ordinent, earum ſingulis integra grana reſpondent. Mihi verò nihil iſta negotii faceſſunt, non modo quia formarum varietatem imminuo, ſed quia licet plurimæ forent, earum tamen incremento tum genere, tum numero metam præfinio; tum etiam quia potentiam illam & capacitatem ſeu perfectionem extenſi, quod mihi pro materia eſt, in eo ſolo conſtituo quod à formis, quiete, motu, figura, variari queat, varietatemque omnem numero definito complector; Extenſum autem eſſe eo modo commutabile, ſive flexibile, in eo nihil magnum, nedum infinitum includitur.

§. 49. Haud abſimili quoque ſe implicant argumento, qui quamlibet partem temporis momentis inferciunt infinitis. Quæ ſingula, actum meritorium quantum augeant, ad calculos eâdem arte revocant. Sed difficilior eſt computatio cum ad Deum veluti per gradus aſcenditur. Offendere civem aliquid habet malitiæ, magiſtratum amplius, Regem multo plus, tum gradatim per Angelos, quorum alium alio nobiliorem ſine fine poſſibilem arbitrantur; Deum igitur, qui ſupra ordinem etiam interminatum eminet offendiſſe, malitiæ infinitæ putandum eſt. Nihil autem poſſibilibus finem ſtatuendo proficitur; namque ſaltu uno ab Angelorum ſummo ad Deum haud minus acquiritur, quam ſi per infinita gradatim acceſſus fieret; ſimiliter viſionem Dei claram gradibus iiſdem ad infinitatem extollas; neque ſi materiæ capacitatem negent, qua formas innumeras aliam alia determinato quodam gtadu ſublimiorem recipiat, ſimile quippiam hoc loco quo ictum evadant licebit obtendere; rerum etenim quæ fieri poſſunt aliam aliâ millecuplo ſi lubet perfectiorem dabunt, priuſquam ad Deum etiam ſine fine progediendo pervenias. Fruſtra verò quidam argumenti filum abrumpere, certum quendam offenſæ, vel viſioni Dei gradum tribuendo, conantur, nam levi manu ad gradationem redire coguntur. Cognitio quippe clara coloris, perfectionis gradum unum obtinet, neque alterum cognitioni quoque claræ cujuſpiam millecuplo nobilioris negare licet, ſicque minutatim congeret infinita. Verùm hoc totum vaniſſimo commento nititur, quo ab objectis terminantibus actus ſpecificari dicuntur.

1. 2. n. 49. Quibus equidem non terminos ſed cauſas aſcripſi, atque ab his proinde ſpeciem, & indolem, & dignitatem aſſumi perſpicuum eſt. Quare qui cognitionem

gnitionem Dei cognitione coloris infinitè perfectiorem velit evincere, nihil agit dum objectorum terminantium alterum altero infinitè perfectius ostendit; quia ad figmenta pertinet terminatio, sed efficientiam infinitè majorem in visione Dei, quam coloris efficienda, demonstret exercitam oportebit. Similiter cum Dei mandato resistimus, non Deum infinitum, sed infinitè cognosci probandum est, ut â cognitione malitia infinita promanet, At enim nisi malitia infinita sit, satisfactione Christi opus non fuisset, quolibet enim finito aliud inter finita superius reperitur; itaque tantâ gratiâ unus homo, aut Angelus aut certè pluresē potuissent ornari, ut offensa merito vinceretur. Ecce tibi tricas, quas vana vanis implicata contexunt. Nego finito quolibet aliud majus ullâ scientia comprehendi, ideoque potentiâ ullâ produci. Quare nil vetat finitum unius generis ab altero ejusdem, nedum inferioris exæquari non posse. Cum autem in ordine diverso supremum inferioris non attingat, Dionysio testante, infimum superioris; nosque quò viliores, eò magis ad offensam, minùs ad meritum valeamus; ex hoc argumento nil efficitur, unde qui finitum aliud alio sine fine majus inficietur, quemcunque meriti inferioris cumulum, offensæ gravi parem fateri cogatur: cogetur autem qui finita sine fine multiplicat, neque enim dictum illud Dionysii sustinere poterit. Nam si ordine quovis inferiore sine metâ progressus fiat, in eo Deus aliquid videt quo superioris non modo infimum, sed multa quoque sublimiora vincantur. Esto enim generis superioris infimum determinatæ quam velis dignitatis: Data perfectionis grana centies centena millia; certe etiam inferioris infimum definitæ perfectionis aliquod obtinebit, quod licet grani unius millies millesimam partem haud superet, ea tamen per aliquam progressionem ad grana integra centies centena millia perveniet, atque inde ultra quo libuerit provehetur; usque adeo ut generis superioris nulli determinata tot grana dederis, quin inferiorum alicui totidem haud difficulter assignes. Neque infimum & supremum cujusq; ordinis negando proficies: sumptis enim in utroque quibuslibet, cum utrique perfectio determinata conveniat, minorem multiplicando, majoris cumulum superabis. Reque penitiùs introspectâ superiorum & inferiorum generum confusionem ex hâc possibilium infinitate nasci videbis. Mitto quam ineptè de quæstione celebri, an Deus faciat Optimùm, disputetur; cum neque Deus in ullâ rerum serie optimam, sed aliam aliâ meliorem inveniat. Sed hæc non sunt ejusmodi quæ ad metam festinanti moram injiciant.

Actus ab objecto terminante non specificatur.

Infinitō rerum ordines confunduntur.

§. 50. Est autem illud extremum, ut qui fidem Catholicam sectari statuat, eum nihil à ratione alienum suscipere; qui contra faciat, cum eâdem apertè pugnare demonstrem. Idque ad propositiones binas revoco. Qui

Consensio fidei cum Ratione concluditur.

multò illustriora veritatis indicia sequitur, is è ratione & prudenter; qui verò secùs, insipienter agit. Hoc nemiqem latet. Quæ contra fidem Catholicam afferri poterunt argumenta, longe minora sunt quàm quæ pro eadem tuendâ suppetunt. Hoc autem ex dictis facile patebit. Nihil enim vel in iis quæ difficillima, & obscurissima videntur Catholicæ doctrinæ Mysteria, compertum est, quod è principiis nostris à ratione discrepare comperias. Principio verò & antiquissima sumpsimus, & notissima, conclusiones ex iisdem via recta deduximus, ab ea nusquam defleximns, ut fidei tutandæ latibula quæreremus. Nihil ὕστερον πρώτερον ordine inverso posteriora prioribus anteponendo, aut omnia inter se prima, media, ultima commiscendo protulimus, ut confusionis obscuritate per fraudem tegeremus errores. Nullum creatum nostrum in sequenti nos occultum esse potest. Nam sicubi à tramite recto digredimur, præcedentia vestigia haud obliquè dispositа manifesto prodent diverticulum. Nullus ex eodem in idem regressus, cum hoc per illud, quod hoc uno nititur, vitiosè probatur; nam circuitiones, ambages, anfractus, flexusque fallaces ubique vitavimus. Quicquid de Homine, aut Deo, vel Deo-Homine, quicquid de Numinis existentia, Unitate, Trinitate, scientia, voluntate, æternitate, Bonitate, potentia, infinitate, providentiâ, de Christi corpore naturali, sacramentali, de ejusdem dignitate, personalitate, de aliorum peccatis & gratiâ, pœnis & præmio, ad consentientem cum fide scientiæ normam exigendam assumpsimus; id omne è corporei incorporeique naturis, proprietatibusque perspectis, probatis, minimeque permixtis, sed manifesto discrimine separatis extorsimus; neque detorquere scientiam ullibi, quasi regulam Lesbiam necesse fuit, ut veræ fidei structuræ quadraret. Si quid à me tanquam facile prætermissum sit, quod cuipiam explicatu difficile videatur, is primò videat an illud ad fidem pertineat? deinde num ex iis quæ dicta sunt consecutione facili duci nequeat? tum obscuritate ne cum Trinitate, decretis liberis, Eucharistiâ sit comparandum? hæc etenim cum explicata sint, nihil est cur illud inexplicabile suspicetur. Postremò omnes omnium dubitationes à nemine prævideri, & præcaveri posse meminerit. Si quid autem ex iis quæ declarata sunt tibi minùs clarum appareat, temerè facias si continuò obscurum esse pronuncies. Forte salutatim, non seriatim legendo processeras. Fortè non modò carptim, sed carpendi potiùs quàm sciendi studio legeras: quid ni præcedentium quippiam minimè negligendum exciderit, aut in festinantis, aut alia cogitantis animum nunquam inciderit? ex his etenim vel geometrica multis obscura fiunt. Quid ni de rebus incertis, & inanibus clamores edendo, & audiendo perpetuos, ad solidæ, & sinceræ veritatis sonum obsurdueris? Conjecturas enim Topicas venti-

Obtrectatoribus occurritur.

ventilando, haud parum veri dijudicandi ſagacitas hebetatur. Aliis ſtupor, aliis torpor, aliis livor, plurimis ſua per fas & nefas tuendi pervicacia mentem obtundit. Multi nil clarum exiſtimant, niſi quod ad Phantaſiæ quaſi ſpeculum ſub imagine quadam conſpiciendum obtenditur. Animarum ergo, Angelorum, & Dei, cognitionum & volitionum picturas, & lineamenta deſcripta flagitant. Sunt qui argumenta potius digitis numerare, quàm animis informare gaudeant. Niſi audierint, Dico primò, Dico ſecundò, Probatur, Objicitur, primò, ſecundò, tertiò, nihil intelligant. Authores itaque antiquitate & ſubtilitate primarios, qui methodum illam negligunt puerilem, primoribus digitis vix attingunt. Cumque in perſuaſione minimum, in diſputatione maximum ſcientiæ fructum collocent, notiones claras atque inter ſe aptas, atque connexas flocci faciunt; ſicubi vero Syllogiſmum invenerint obſcuris, & ambiguis verbis intortum, ibi totam ſciendi facultatem impendunt, nempe ut ex eo laqueum nectant, quo incautum irretiant Dialecticum. In hoc etenim prope ſolo, quod niſi commune foret, mirandum eſſet, ætatem conterunt, & bis pueri, ſeu potius nunquam non pueri conſeneſcunt. Nonnulli ſe veritati non dedunt, niſi recentiorum Authorum aciem objectam videant. Quoſdam in tuam ſententiam facilius adducas, ſi tecum ſentire Unum Coninck, aut Trullenck doceas, quàm ſi rationes decem, totidemque Bernardos, & Bonaventuras proferas. His quidem omnibus ut ſatisfaciam neque ſperare licet, nec curare liber. Ingenuis autem, ingenioſis, & ſedulis eatenus ſaltem noſtra legendo ſatisfactum iri confido, ut ſcientiam aut cum fide conciliatam eſſe concedant, aut hanc viam inſiſtendo induſtria vel mea, vel ſua conciliari poſſe non dubitent. Contortis neminem ſyllogiſmis illaqueare potius, quam erudire contendimus; per plana, per directa, per aperta ducimus, in locum nullum latebroſum inducimus, ubi inſidias veritati poſitas ſuſpicetur. Nihil de fidei dogmatis, de ſcientiarum axiomatis nihil deradimus, ut arte quadam & induſtria juncturas aptemus; ſed ut ipſa per ſe invicem integra, & illibata cohæreant ſine fuco & fallacia declaramus.

Fatuitatis eſt fidei repugnare.

§. 41. Quare cum nihil adverſus Myſteria omnium obſcuriſſima afferri queat, quod exactæ ſcientiæ lance perpenſum, levioris momenti non appareat; argumenta vero nec levia nec pauca ſuppetant, quæ probabilitatem fidei permagnam aſtruant; eaque nobis maxima tum ſperanda, tum metuenda proponat; manifeſtæ ſtultitiæ & temeritatis eſſet, indicia majora minoribus in re tanta, & periculo tanto poſtponere. Ac pars quidem poſterior, quæ credibilitatis, uti vocant, motiva-

motiva complectitur, à multis doctissimè pertractata est. Atque illud effectum, ut fidem notis tam illustribus insignitam videas, in quibus solis si figas obtutum, probabilitatis peramplæ, sive Evidentiæ Moralis lucem non desideres. At si in partem alteram cogitando deflectas, quæque adversus fidem Philosophia vulgaris argumenta suppeditet, quæ plura locis pluribus indicata sunt, in mentem revocando consideres, vereor ne lucem priorem à posteriore non leviter obscuratam existimes: immo ne quispiam ex Epicuri grege, quem voluptas à Pietate reddiderit alienum, rationibus quæ fidei adversentur, Evidentiam plusquam Moralem adjudicet. Namque, ut alia fileam, si Pronunciatum hoc, *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem enter se*, non rebus tantum, sed & rerum Modis, uti solet, accomodetur; deque distinctione, more communi è verbis contradicentibus judicetur; eademque, sensu vulgo recepto, velut axiomata claritate Metaphysica, id est summa, aut certè longe plus quam Morali, conspicua venditentur; hæc autem Deo Trino & libero non nisi miserè truncata & distorta perspexerit applicari: eccui obscurum est in quantum discrimen, hoc hominum genus, id est, generis humani partem maximam, Philosophia communis adducat, ne infidelitatem fidei non modo ut licentiæ magis indulgentem, verumetiam ut potiore subnixam ratione præferant. Quinetiam neque Philosophos ipsos à periculo tutos auderem asserere, si Philosophiæ suæ, judicio mentis tantum ascriberent, quantum vocis præconio passim tribuunt. In eam enim partem qua plus rationis elucet, rationis duce flectimus. In flexu viarum bipartio consistis, hinc *fidem* evidentiæ Moralis facem præferentem aspicis; illinc axiomata luce Metaphysica radiantia jactat *Infidelitas*. Hanc tu lucem, si talem putares, qualem prædicas, rationibus suasu desereres? Negas eis tantam, prout fidei repugnant, claritatem attribui. Cur igitur illa cum fide non concilias? factum ne per distinctiones formales, & virtuales putas? hoc si dicas nec aliis nec tibi persuadeas: scis ipse, & sentis intime, auribus ista tantum, non animis implendis inventa. Neque opus est tibi ampliùs hoc ulcus scalpere, quo vel leviſſimè tacto calcitras. Equidem magis agenti quam loquenti credo; quicquid dixeris, dum infidelitati tamen fidem ex animi tui sententia anteponis, reipsa declaras in Philosophia te tua prope nihil claritatis aspicere, cum clarissima quæ putantur abjicias. Hoc etenim, ni censeas, fidem infidelitate longe probabiliorem, haud judices: nisi vero sic judices imprudenter facias, qui assensu tam firmo, tam immobili fidem approbes. Me vero nil cogit de claritate scientiæ derogare, ut Evidentiam fidei Moralem arrogam. Nihilo quippe magis axiomata illa communia decreti, vel Personalitatis à natura divina, quam motionis à mobili discrimen arguunt. Sed insulsa, veteribusque ignota modorum à subjectis

Quam Philosophia vulgaris obscurat.

jectis distinctio, obscuritatem omnem peperit. Neque minus alia quam hæc quæ difficillima cunctis visa sunt, ad rationis normam exegimus. Claritatem itaque Moralem, quam Credibilitatis argumenta largita sunt, lucis omnis oppositæ extinctione integram, inviolatamque servamus. Fidem igitur, infidelitate deserta, sequendam esse constat, quippe quæ majoribus veritatis indiciis illustretur.

De firmitate fidei.

§. 52. At firmiùs rebus à fide propositis adhæremus, quam aliis quibus Evidentiam Moralem haud minorem inesse cernimus. Id quod à ratione cuipiam alienum videri queat. Et mihi quidem ne fieri quidem posse videtur, si adhæsionis firmitas, quod multi sentiunt, in ipsius intellectus assensione ponatur. Fingunt enim intellectum ex apprehensionibus primis, ve luti partis utriusque testimoniis auditis, ad exemplum judicis ferre sententiam, & nutu quodam alteram alteri præferre; adeo ut judicium ab apprehensione prima non amplius videndo sed annuendo discrepet: quare cum nutus ille claritatis augmentum non contineat, ei voluntatis imperio firmitatis plurimum, & soliditatis accedere posse non dubitant. Cæterum isti rerum notiones, quo nihil in Philosophia turpius, hoc loco, ut alibi, fædè permiscent, animæque volentis cæcitatem intelligenti, seu videnti tribuunt. Quid nam est intelligere rem sic esse, nisi videre sic esse? vides autem sic esse si hoc tibi magis quam illud apparet; si paulo magis, vocatur assensio parum firma; si multò, firmior; si prope nihil in opposita parte cernitur, firmissima appellatur. Nihil igitur opus cæco nutu judicium à primis apprehensionibus internoscere. Idem autem ut clarius intelligas, apprehensiones alias aliis adjungito, quibus primò res leviter aspecta, deinceps penitùs inspiciatur, ut quæ prius latebat tandem pateat; & nutum omnem, sive aliam quamcunque formalitatem, aut proprietatem excludito; ista lux sola voluntatem diriget, quidque eam deceat sequi, monstrabit; voluntas autem apprehensionem non sequitur, sed judicium; hoc igitur in perspicientia sola absque nutus ullius additamento consistit. Deinde nutus ille, vel nihil, vel è duobus propositis ad alterum præ altero determinationem significat; hoc autem electionem, ac proinde voluntatis functionem indicat. Certè si argumentorum inæqualitate perfecta adhuc hæreas, nescio quid præter *Hoc præ illo volo* deesse putem. Quid quod potentia passiva, qualem intellectum nostrum esse probavimus, alieno pondere, non proprio nutu trahitur. Immo pugnantia loquitur qui cognitioni suæ firmitatis amplius quam claritatis addiderit, plus etenim se scire quam sciat, videre quam videat profitetur. Unde fit assensum fidei, quod ad intellectionem quidem attinet, haud alia pollere firmitudine, quam quæ argumentorum claritati respondeat: namque rei intelligendo sic assentiri, nihil aliud est, quam tali

Animæ ut intelligenti haud amplius firmitatis, quam claritatis convenit.

Nutus à judicio removetur.

eam-

eam evidentia intueri. Si quid igitur firmitatis à voluntate petendum fuerit, eam intellectioni tantum affusam cogites, non infusam. Cæterum ea ne opus sit nondum apparet. Neque enim à ratione abhorret, ut ea quis haud unquam in dubium vocet, quæ evidentia tantum Morali noverit: Fieri quippe potest ut nunquam adversæ partis indicia æquè clara compareant. Quinimmo ut ne suspicetur quidem se argumentis potioribus à sententia suscepta ullo unquam tempore avellendum; cui autem sic persuasum est, is non hæret, non dubitat, non vacillat, sed vestigia firma ponit, atque iter incipit, incæptumque constanti gressu prosequitur; neque viæ incertus ancipiti cura distrahitur, neque si alios aliorsum deflectere videat, eos sibi duces ascisset, cum longè plura sint quæ illos, quam ipsum erroris arguant; quæ quamdiu mente contrectat, tamdiu ne quærendum quidem ab iis qua eundem sit arbitrabitur, sed quam ingressus est semitam, eam ad extremum animo securo tenebit. Quapropter ea sola firmitate, qua intellectum credibilitatis argumenta stabiliunt, possit quis rectæ fidei tramite constanter incedere; nihil enim occurret, quod viatorem attentum queat seducere.

In quo fidei firmitas.

§. 53. Quorsum igitur, inquies, ultra persuasionem hanc firmam, alia quædam à voluntate est arcessenda stabilitas? Nempe ut ab errandi periculo longiùs absit. Multis enim tum occupationibus, tum cupiditatibus implicata, & avocata mens hominis, ægre, quod satis sit, in eorum quæ fidem suadeant consideratione defigitur. Quare dum alia attentiùs cogitantur, & suaviùs blandiuntur, haud rarò evenire potest, ut quæ minus probabilia sunt, magis probentur. Persuasionem autem conceptam retinendi decreto, adversus errorum insidias munitur animus, atque firmatur. Cui persuasioni quis eum firmiter adhærere negaverit, quem volo hanc servare, nolo dimittere dicentem audierit. Namque hoc solo vinculo pertinaces astricti, è sententia etiam levibus argumentis innixa, ægerrimè divelluntur. Atque eo quidem insipienter faciunt, quod argumenta majora minoribus, propensione voluntatis iniqua præponderari sinant, dum leviora animo attentiore perpendunt; non autem quod è duabus sententiis pari claritate firmatis, alteram altera chariorem habeant, & voluntate arctiùs complectantur. Rationi quippe congruit, veritatem illam quæ pluris interfit cautius servare, animumque in re probe comperta, & valde necessaria, adversus inconstantiæ pericula, haud vulgari studio præfulcire; adeò ut levitatis suæ conscius, errandi metu nec argumenta contraria audire velit. Rebus autem à Deo propositis non modo Necessitas, sed & Pietas, atque erga loquentem Reverentia suadet multo firmius, quam cæteris haud minore evidentia perspectis, adhæresce re. Cum audio

Deus

Deus hoc dixit, idque ab eo dictum argumentis talibus probatum intelligo, qualia in rebus quæ ad vitæ communis usum apprimè conducunt, virorum prudentium dubitationes excludunt; video à me dictum hoc, sine temeritate in dubium revocari non posse. Itaque dixisse credo. Mox animum, voce Divinitatis agnitâ, sic tanquam tonitru audito perculsum veneratio subit, atque alta de Numine, de se vero humilis existimatio; quare cum se tanquam Nihil sit, cum Deo qui à se Est, comparatum sentiat, facilè voluntas haud obdurata, sed pietate mollita flectitur, ut intellectum rudem, Magisterio divino subjectum, & mancipatum velit. Atque ita velit ut ne majorem quidem postulet evidentiam, gaudet enim à tali Magistro didicisse vel sic, ejusque doctrinam, prout ipsi visum est eam tradere, licet obscuram, fide tamen dignam, amplectitur, atque ut sacrosanctam insuper religiosa mente suscipit, & singulari curâ custodit. Atque hoc modo *verbum auditus Dei, non ut verbum hominum, sed* (*sicut vere est*) *verbum Dei accipimus*, eique hac piâ & humili reverentiâ singulariter inhæremus; eâdemque præcipuè excellentiam illam fidei supernaturalem, cultumque Deo religiosum per fidem exhibitum, comprehendimus; atque indidem haud obscurè intelligimus, cum multi rationibus nullis adducantur ad Fidem, quibus non modo ambitio, avaritia, libido, anticipata persuasio mentem occæcat, ne probabilitatem majorem à minore dijudicent; verumetiam ubi verum à falso distinxerint, ne tamen credant prout oportet, & intellectum Deo vinctum & captivum voluntatis obsequio tradant, sui Deique ignoratio, atque inde prognatus tumor inanis, stultitiæque pleniſſimus fastus impedit. Quare & Nosse teipsum Philosophiæ quoque Christianæ Principium primum est; ex eâ quippe derivatur Humilitas, quâ fundamentum primum fidei stabilitur. Et ratione summâ dictum est, *Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ*. Nam prudentiâ quidem & curâ maximâ opus est, ut à falsis prophetis caveas, & verbum Dei sincerum ab adulterato secernas; inventum verò & probatum, & diligenter expensum, simplicitate quâdam minimè curiosa servandum. Ut *parvuli efficiamur* oportet, qui Patris monitis veluti oraculis securi nituntur. Securitatem hanc, & simplicitatem cui sui despicientiâ, piâque adversus Deum reverentiâ conjunctam, non intelligunt qui ratione fidem metiuntur, & firmitatem omnem quæ rationi consentanea sit, claritatis finibus circumscribunt; fidemque divinam ab humanâ, dicentis aut dictorum discrimine, non autem diversa credentis affectione, distinguunt. Quare se neque affectionem illam piam sensisse, neque scripturæ sensa percepisse declarant. Ecquis enim cui pietatis ullius erga veritatem su-

1. Thessal. c. 2. v. 13.

Et supernaturalitas.

Sociniani.

premam sensus inest, non propensiore studio illius dicta, quam alterius etiam æquè clarè loquentis tenere velit; eademque depravatâ sententiâ profanari non ægrius patiatur, iisque proinde non tenacius adhæresçat? Non ut plus videat, quàm argumenta demonstrent, postulo, sed ut credendi necessitate, & multò magis dicentis majestate commotus, quæ audierit servare diligentius secum statuat, quàm alia haud minus clara, deposco. Jam verò quæ scriptura copiosè suggerit, ad errorem Pelagii debellandum, ea præter auditum, aliquid supernaturale quod interius mentem afficiat planè requirunt, sed frustra, si fides credibilitatis indicia firmitate non vincat. Sic etenim haud minus facilè Deo, quàm alteri loquenti creditur. Nihil in eâ Abnegationis, aut Annihilationis, sublime nil, aut eximium, quo vel prima imaginis illius admirabilis atque divinæ, quæ per gratiam inchoatur, per gloriam absolvitur, lineamenta descripta videantur. Quid magni, si non minorem Deo quàm homini fidem habeo? Quid tanti, probare magis quæ probabiliora videntur? Quid mirum, si Prophetas, & Apostolos profanis Historicis non postpono? Quomodo sic *in captivitatem intellectus in obsequium Christi redigitur*? Fidem igitur firmitatis amplius quam claritatis habere, eamque firmitatem in voluntate non intellectu positam esse constat.

2. Cor. 10. 5.

Quanta sit fidei firmitas. ἀσφαλῶς. 2. Act. 36.

§. 54. Sed quanta sit, doceri cupis. Audi fidei Magistrum Petrum: *Certissimè* vel ut Græci legunt securè *ergo sciat omnis domus Israël, quia & Dominum eum & Christum fecit Deus hunc Iesum quem vos crucifixistis.* Certitudinem igitur quæ mentem sine curâ, veritatem quasi modum acquisitam & possessam, ultra quærendi, tranquillet, quæ fluctuare & vacillare non sinat, necessariam esse docet. Hæc etenim si desit, animus quoque iter tam arduum peragendi deficiet. Exaggeratiùs autem Paulus loquitur: *Sed licet nos*, ait, *aut Angelus de cœlo euangelizet vobis, præterquam quod euangelizavimus vobis, anathema sit.* Num tale decretum flagitat voluntatis, quale foret si quis diceret; Nolo doctrinæ assentiri contrariæ, tametsi illustriora veritatis signa conspiciam? Nequaquam. Pugnantia quippe loquitur qui sic loquitur. Plus enim videre, est intellectus assensio; & licet non esset, obscuriora tamen sectari, cæcitatis esset non rationis. Statuet ergo Paulum sequi, quoad meliorem ducem invenerit? Nihilo magis. Suspicionem enim quandam erroris, animumque potius suspensum quam sedatum indicat. At ducem optimum sequi tenetur; si quem igitur Paulo meliorem invenerit, eum sequetur. Fateor. Sed neminem, qui contraria doceat, meliorem futurum, id est clariora signa daturum, persuasum habere debet. Alioquin erit mente sollicitâ, non securâ. Sin omni falsæ opi-

Gal. 1. 2.

nionis

nionis metu vacet, haud ineptè per Hyperbolem familiarem, *Etiamsi Angelus contradixerit non credam*, sententiam fixam, stabilemque declarat. Confirmat igitur fides animam, ne in arduâ ad cœlum viâ, velut itineris incertus, & ancipiti curâ distractus, hæreat. Sed firmitate ne scientiam fides superat? si firmitatem ad intellectum referas, superatur; hæc etenim à claritate non differt, clariora verò sunt Geometriæ, quàm fidei argumenta. Immobilitate quoque vincitur. Plures enim Geometras Christianos, & leviore negotio fidem, quàm Geometriam dedoceas. Quid igitur hæc Apostoli verba nos docent? *destruentes consilia* sive ratiocinationes λογισμοὺς γνῶσις. *& omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam*, id est cognitionem, *Dei*. Nempe manifestiora fidei, quam eorum ulli quæ scientiæ vocantur, quatenus eidem adversantur, argumenta suppetere. Nihil esse in captiosis Logicorum argutiis, nihil in altissimis Philosophorum dogmatis & axiomatis à fide dissentiens, quod hujus signa non superent claritate. Quam Apostoli sententiam probandam hoc opere universo suscepimus. Sed enim fidem voluntate strictiùs, quàm demonstrationem ullam Geometricam retinemus. Hâc enim quam illâ carere malumus, neque enim quæ clarior, eadem & charior esse debet. Alteram altius intellectu patiente recipimus, alteram arctius voluntate agente complectimur, ut illa nobis firmius inhæreat, huic nos firmius inhæreamus. Quod itaque ad certitudinem adhæsionis attinet, quo pacto se mutuò fides & scientia vera superent, vides. Est autem & alia quædam certitudo quæ infallibilitatis dicitur, quæ rerum potius connexionem quam mentis affectionem significat. Dictio vero Dei cum eo quod dictum est, longè magis connexum apparet, quam eorum quidlibet, quæ ad aliud probandum scientiæ producunt, fides igitur hoc nomine scientiâ quâlibet certior est. Neque enim vocari fides solet, nisi cum aliquid reipsa à Deo dictum creditur: Quare si fide credis, falli non potes: cæterum in eo falli contingit, ut quam non habes, habere te putes: nihil enim intus animo sentis, quo veram à falsâ certissimè internoscas. Quod si animum à Deo, modo quodam affici, cum vera creduntur, existimas, quo modo, vel sine culpâ errantem, afficere nequeat; ea tamen affectio cum credentem lateat, aut certè indicio indubitato non pateat, persuasionem firmissimam procreare non potest. Sed huc omnia recidunt, ut si hæc intellectus assensio, Deo loquente, vel operante nitatur, eam veriſſimam esse non dubites: quare tibi tantum de veritate constabit, quantum de locutione & operatione constiterit. Quamvis autem operatio nulla esset, aut ab errore aliena non esset, tamen vel Deum dixisse satis esset. Hoc igitur unde & quo

pacto sibi quisquis credendo persuadeat, fidei talem retexendo monstrabimus.

Persuasio credentis quos actus contineat, quo fundamento nitatur regressu Analytico declaratur.

§. 55. Agedum igitur, Ecquæ te ratio movet ut Christum in Eucharistiâ non fictè, sed verè præsentem credas? Quia Deus hoc dicit, quem nec fallere, nec falli posse scio. Ubinam? In verbo scripto, vel tradito, vel utroque. Unde tibi constat non esse Deo per ignorantiam, aut fraudem affictum; vel quod scitu perdifficile est, nec sono, nec sensu depravatum? *Ego verò Euangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoveret authoritas.* Rectissimè. Patefactum est enim pridem multorum industriâ, quàm incerta sint omnia, nisi verbum, verbique sententiam proponat Ecclesia. Verùm alii Ecclesiam tuam, nec veram, nec si vera sit, propterea veridicam esse concedunt. Cur, vera ne sit, ambigam, cum notis illustrissimis insignitam clarè conspiciam? Vera porro non esset, si vanè se veridicam prædicaret, neque finiendis litibus foret idonea. Alium autem judicem, qui controversa definiat non reperio. Quos etenim ab Hæreticis datos audio, eos argumentis clarissimis rejectos video: glisscente verò discordiâ, profanum potius tumultum, quam Religiosum Dei cultum agnosco. Itaque vel Ecclesia vera, eademque veridica concedenda, vel Religio omnis, quæ decora sit, & Deo digna, sit è medio tollenda. Sed unde scis Religionem ullam institutam à Deo, vel impietate, & socordiâ non restinctam? Quid ni Deus hominibus vel Domini sui jure, vel eorum merito permittat illudi? Non enim falleret, sed tantummodo falli nos sineret, & minùs quidem quàm si habitum erroris infunderet; id quod ab eo haud alienum esse nonnulli sentiunt; immo neque actum ab eo infundi posse negarent, nisi vitalitatem obstare judicarent, illud autem obstaculum jam pridem amovimus: minùs etiam quàm si amphibologias, sive sermonem ancipitem, vel Antilogias, quas reservationes mentales nuncupant, adhiberet; quas tamen etiam frequenter esse licitas multorum sensus, & usus docet. Quid quod errorem inter Physica mala numerant, quorum Deum esse causam non dedeceat, præsertim ubi, ut hoc loco, contingit, ex Malo Physico Bonum Morale nascitur; falsa licet, tamen honesta docemur, ideoque ad honestè vivendum incitamur. Ecquid igitur vetat quin Ecclesiam falsam, veræ Personam ementiri, & loquendo fallacem, vel etiam mendacem esse sinat? forte illius vocem nec assumit, nec regit, aut per eam ambiguè, vel, ut in reservatione mentali fit, contrariè loquitur. Quid ais? Quid Ecclesiæ te voci, tam attentum, tam affixum retinet? Ego vero sicut Euangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoveret authoritas; ita nec Ecclesiæ ipsi Catholicæ, licet haud obscuris veritatis

Aug. l. contra Ep. fund.

veritatis indiciis illustratæ, fidem tam addictam, tam mancipatam haberem, nisi me prudens, & pia de divina veritate persuasio confirmaret. Movent quidem prædictiones, atque prodigia; movet doctrinæ antiquitas, puritas, unitas, efficacitas, multorum etiam sanctitas excellens, & explorata commovet. In his quidpiam apparet quod Deum Authorem deceat, quodque artem & industriam humanam superet, & singularem ejus de hac Ecclesia præ cæteris curam ostendat. Cæterum nisi eum non modo ab erroris periculo, sed & à fraudis ullius specie alienum putarem, nisi veracitatem illius cum bonitate commixtam esse censerem, ut neque falli per ignorantiam ipse posset, neque genus humanum per incuriam falli vellet, nihil in Ecclesiæ signis, licet in seipsis spectata probabilitatem haud vulgarem præ se ferant, tam clarum, tam necessarium, tam indubitatum cernerem, in quo animo sedato, & securo conquiescerem. Sed tenet & firmat divina veracitas, quæ non modo falsum testari nequeat, sed neque errorem iis veritatis insignibus ornatum spectare velit, ut passim homines vel in maximis rebus errare, vel impie & insipienter agere debeant. Neque enim pius aut sapiens religionem, quam tam illustria pietatis & veritatis argumenta commendent, aspernabitur. Quod si in perturbatione tanta, spectatoris personam otiosam sustinere non deceat, quanto magis indecorum est Actoris partes suscipere. Atqui sanctitas, prophetiæ, prodigia, quibus Ecclesiæ authoritas conciliatur, Deum machinatorem clamitant & actorem. Ecquis autem animum inducat credere, Deum summe veracem, veritati laqueos nectere, vel ita se gerere, ac si per insidias & fraudes oppressam velit? Neque enim insidiatoris animum, sed vel personam assumere, veritatem summam dedecet. Neque solum à testimonio falso, sed à fraudulentæ machinationis specie abhorrere convenit. Neque id agere vel sinere jure dominii æquum fuerit, quod veracitatis decus obscuret. Quæque huic claræ, piæque de veritate divina sententiæ, disputatorum argutiæ adversari videntur, eas etiam antequam ad Logicorum trutinam examinatæ sint, sine temeritate rejecerim; tum quia alias haud minus plausibiles, probabilitatis inanes vel à me, vel ab aliis compertas meminerim; tum quia talium tricarum artifices, dum veracitati divinæ, iisdem neglectis, inhærent, reipsa docent, eas sibi videri fallaces, licet falsis implicati principiis, retexendi fallaciam arte careant. Hæc autem mihi cum evidentia morali explorata sint, nempe & rei necessitas suadet ut studiose, & Dei majestas postulat, ut ea reverenter, humiliter, & religiosè conservem.

§. 56. Porro fidei relegendo vestigia, eam veracitati divinæ nullibi non insistere, in eandem ubique oculos intentos habere cernis, etiam ubi Eccle-

De objecto vel ratione formali.

siæ signa perlustrat. Quo mihi facilius objecti formalis, seu potius rationis formalis negotium expedire licet; nam ratio quæ persuadet, est primæ veritatis notio, quam à falso tam aversam intelligo, ut talis saltem ac tantæ fallaciæ aut nequeat, aut nolit esse vel particeps, vel jure suspectus, nedum ipse falli vel alios fallere. Qui vero quærenti, quare Deum hoc per Scripturam, vel Ecclesiam interpretem dixisse credis? respondet, QUIA VOLO, is fidem, quatenus ad animam intelligentem pertinet, omni objecto formali, vel ut proprie loquamur, ratione omni assentiendi spoliat. Quasi vero intellectum voluntas cogere possit, ut sine luce videat, & obscurum, qua obscurum est intueatur, & aliquid sine ratione suadente sibi persuadeat; certe, *Deus hoc dicit*, in seipso spectatum, nihil habet quod suadeat potius quam dissuadeat, quod assensum magis eliciat, quam dissensum; non ut axiomata sua luce se prodit, alienam postulat qua pateſcat; rationem quæ dixisse confirmet, quærimus: hæc autem docet, & dirigit intellectum, ut quod ante latebat, inveniat; quæ vero lux mentem ignaram docet, incertam dirigit, caligantem illuminat, ea ratio formalis, sive argumentum persuadens dicitur; veracitatis igitur divinæ per notas singulares obstrictæ non autem locutionis adhibitæ consideratio, rationem formalem, qua fides intellectum respicit, credendi continet. Quod si locutionem Dei ut Ecclesiæ vestitam insignibus, suadere rem dictam asseras; suasionem locutioni nequaquam, sed signis attribuis; veluti si quis Æthiopem aurea veste indutum, ut vestitum splendere dicat; indumento splendorem tribuit, non personæ. In summa, quod in seipso opacum, & occultum est, eo aliud perspicuum & manifestum fieri nequit; quodque notum est, & ignotum patefacit, id solum intellectus velut objectum formale respicit. Ergo ratione, inquies, humana, non autem authoritate divina fides nititur; deinde ratio, illa si evidens sit, fidem non generat, sed scientiam; si non sit evidens, fidem incertam, & infirmam parit; neutro vero modo virtutibus eam ascribit Theologicis, quæ Deum singulariter spectare dicuntur. Tu vero qua arte ab his scopulis proram avertis? Nempe credibilitatis indicia, assensionem illam intellectus haud terminant, qua Deus quippiam dixisse creditur; sed judicium quoddam prævium & præparans, quo voluntas movetur, ut assensionem ab intellectu cœcam extorqueat. His etenim à te passibus promovetur animus ad credendum. E signis evidentia morali cerno, Deum id dicere quod Ecclesia ab eo dictum asserit; illius autem dictum tali modo propositum, prudenter, & honeste suscipitur; immo temeritate maxima, & impietate rejicitur; igitur cum bonum appareat, voluntas imperet intellectui, ut per actum quendam, qui nihil præter dictum Dei, & per se quidem prorsus occultum, videat, asseveratione, eaque firmissima dixisse pronunciet; id est ut per eum actum, cui

Bacon. in Analysi. d. 4. c. 5. n. 65.

quod

quod suadeat nihil apparet, aliquid certissime persuasum habeat; sive ut id quodam actu conspicias, quod eidem nec luce propria, nec aliena conspicuum redditur. Intus enim intelligendo dicere rem sic esse, nihil est aliud quam intelligere, nosse, videre sic esse. Quando vero dicunt, QUID EST FIDES? *Credere quod non vides*, non adeo insaniunt, ut assensionem ullam intellectus ratione omni, & luce spoliatam existiment; sed videri dum negant, clare & perspicue sciri negant. An quia visio quædam res tenui luce discernit, idcirco aliam quæ nulla res videat statuemus? An quia voluntatis imperio argumenta conquirimus, inventis curam & cogitationem intendimus? propterea ejusdem jussu Chimæra prodeat, id est rationis sine ratione suadente persuasio. Nam fidem istiusmodi voluntas extorquet, sed tu fidem ad voluntatem ab intellectu detorques. Talis enim affectio non est cognitio, directio, intellectio, sed cœca propensio. Deinde quæ nulla veri luce perfunditur, non modo non à sola veritate divina, quod tantopere quærebas, sed neque ab ulla veritate ducitur. Ego tibi mentem humanam, ab authoritate seu veracitate divina, quæ fidei non sinit notas fallere, persuasam exhibui, in eaque tanquam ratione formali seu persuadente fundatam; neque tamen ita clare proposita, quin negligentem, pertinacem, aut impium latere queat; aliis autem licet evidentia tantum morali pateat, neque intellectum proinde certitudine plus quam morali confirmet; eam tamen voluntate haud unius impulsione virtutis, arctissime complectuntur. Non quo voluntas firmitatem intellectioni intra claritatem infundat, id quod ab intellectione penitus abhorrere docuimus: neque ullo argumento necessarium doceri potest, cum fides illa secura, & certissima, quam scriptura commendat, laudem & meritum non excludat, ideoque in se voluntatis affectionem includat, per quam intellectus assensio singulari studio servari potest: hanc adhæsionem Philosophus capiat, neque est unde Theologus majorem evincat. Postremo fides Deum & proxime, atque ut objectum, si ita loqui vis, formale spectat, & minus etiam quam spes ad aliena deflectat, ideoque eam potiore jure virtutibus ascribas Theologicis. Sed res hæc pervulgata est, & explicatu perfacilis.

§. 57. Aliud est haud paulo difficilius, quod circuli ut vocant, sive argumentationis reciprocæ suspicionem ingerit. Credo Scripturam non fallere, quia Ecclesia nihil falsi continere docet: Credo Ecclesiam non fallere, quia Scriptura columnam, & firmamentum veritatis appellat. Vidisti nuper regressum, vide nunc rectum, & ordinatum progressum fidei, hic circuitionis fraudulentæ suspicionem purgabit. Spectavit Israël sanctimoniam Moysis, atque prodigia, multaque velut à Deo accepta tradentem audivit: tum secum aliquis, hunccine Deus eximiis ornamentis instrueret, &

Circuli vitiosi suspicio omnis tollitur.

& populo innumerabili authoritate divina turpiter abutentem pateretur illudere? Tot deceptionum velut ansas sua manu porrigeret? Suadet igitur divina veracitas, ut omnia quæ Moyses à Deo dicta testetur, ea tanquam verba Dei, non hominis summa cura, & reverentia audire, credere, retinere velim. Sic igitur persuasum habeo, neque aliter mihi patiar persuaderi; nihil enim prævideo quod talem mihi testem suspectum reddat. Hanc autem animi affectionem, qua se Moysi veluti Magistro, Dei dicta fideliter exponenti, subjicit, fidei propriæ, perfectæ, & Theologicæ actum negare quis audeat? Neque enim pietas deest, neque stabilitas, neque minor in hoc quam alio, quem fidem appelles, abnegationis humilitas; in eo igitur nec supernaturalitas desiderari potest. Postremo quod suadet, quod docet, quod intellectum illuminat, atque etiam terminat, si & hoc quoque flagitas, est divina veracitas. Tali fide imbutus, Moysen denuo auditurus accedat, atque inter alia quæ à Deo dictata traduntur, etiam opera quæ viderant admiranda, veritatis esse pignora dicentem audiat. Hoc igitur pariter credet, ac cætera. Quonam vero modo? Nempe propositionem universalem materiæ applicat singulari. Credidit omnia quæ Moyses dicturus erat, credit ergo quod nunc dicentem audit; qua vero ratione universale judicium, eadem utique particulare nititur, non igitur se binæ mutuo rationes probant, illam hæc, hanc illa, sed propositiones duæ universalis & particularis una eademque ratione probantur. Hoc certo loco præter argumentum in signis veracitate divina firmatis positum, quod intellectum reluctantem trahat, caligantem illustret, nullum invenies. Nisi Moyses signa, quæ veracitatem divinam velut obligatam, & oppigneratam ostendant, populo contuenda proponat, tametsi millies clamet: Hæc dicit Dominus, signa quæ videtis vera sunt, nemo id veluti dictum à Deo suscipiet. Proba Deum dixisse reclamabunt, & religione, qua par est, recipiemus oracula. Quo autem argumento se divinæ veritatis interpretem universalem ostenderit, eodem singula credenda persuaserit. Sic Moysi loquenti veteres crediderunt, sic nos Ecclesiæ docenti credimus.

§. 58. Principio fide quadam universali, penitus perfusum habemus quod Ecclesia à Deo dictum fuisse declarat, id ab eo reipsa dictum fuisse: neque hæc est minus propria, & perfecta fides, quàm qua Moysen veteres acceptarunt. Neque enim magis illius, quam Ecclesiæ testimonium veracitate divina cernimus obsignatam, cum haud minore summæ veritatis dedecore Ecclesia, quam Moyses falleret. Porro Ecclesia se doctrinæ à Deo jamdudum traditæ Custodem fidelem, & Interpretem profitetur, neque aliam regulam, qua sine errandi periculo distortam à recta

recta dijudicem, omnia undique perluſtrando reperio. Doctrinam hanc Dei veram, tum alibi, tum parte longe maxima in libris quibuſdam, quos ſcripturam Canonicam appellamus contineri pronunciat; illius igitur ſolius authoritate permotus, his libris uti Dei verbo fidem certam habeo, cùm aliud præterea nihil, quod indubitatò perſuadeat, reperire queam; authoritatem autem Eccleſiæ, veracitas, quæ ſignis illucet, Divina conciliat; hæc igitur una ratio intellectum adducit, ut id omne credat eſſe verbum Dei, quod eſſe Dei verbum Eccleſia declarat; eadem igitur ſuadet, ut hoc ſigillatim, quo Eccleſia Columma veritatis dicitur, à Deo dictum, ideoque veriſſimum eſſe credat: nullum igitur ex eodem in idem tortuoſum regreſſum, ſed rectum ab univerſali ad ſingulare progreſſum vides. Quapropter Eccleſiam verba Dei proponendo non eſſe fallacem, quia ſcriptura Columnam veritatis appellat, non eſt mihi nova ratio credendi; ſed ejuſdem tantummodo ad hoc, inter cætera quæ Eccleſia teſtatur à Deo dicta, credendum applicatio. Eſt tamen ratio nova ad convincendum Hæreticum, cui præter Eccleſiæ ſigna, etiam ſcripturæ verba aliunde ipſi probata in mentem revoco. Mihi quoque licet non fidei certæ, opinionis tamem probabilis argumentum novum ſuggerit; nam materia, ſtylus, multorum in hac re, licet in aliis permultis diſſidentium, conſpiratio, conjecturæ veriſimilis momentum habent. Cæterum licet inter Eccleſiam, & Moyſen nihil interſit, quod ad progreſſum mentis attineat, quo ad certam, ſolidam, & perfectam de verbo Dei, & veritate rei, fidem è veracitate divina proponentis authoritatem confirmante, pervenias; atque ut ſingula quæque propoſita, eodem argumento, ſive objecto formali credas, quo proponentem acceptas; circulique, ſive argumentationis in ſeipſam redeuntis, errorem evites; atque ut dubitationes inſuper de verbo Dei ad regulam vivam, velut olim ad Moyſen, & ſucceſſores relatæ ſunt, diſceptandas referas; in aliis tamen diſcrimen haud obſcurum apparet. Moyſes nova multa à Deo nunquam antea dicta protulit: Eccleſia tantùm antiquitùs dicta recolit. Moyſi Deus vel ſonum auribus, vel ſpeciem oculis, vel illuſtrationem animo ſingularem impreſſit, quibus eum ſibi loqui perſentiſceret: hæc aut ſimilia Eccleſia non ſentit, dum verbum Dei verum, veramque ſententiam verbi declaret, ſed Deo aſſiſtente potius, quam alloquente non fallitur. Ea tamen in Eccleſia nonnulli ſentiunt, ſed eorum quæ privatim audiunt, non ſunt à Deo conſtituti præcones publici, quibus nos certa fide credere teneamur; licet ipſi, cùm ſigna indubitata ſunt, credere debeant. In Eccleſia *multa conquiſitio fit*; quid ſcriptum, quid traditum è ſcriptura, Patribus,

Convenientia & differentia inter Eccleſiam & Moyſen proponentem.

ex usu perpetuo haud sine labore, & multorum opera collata, conquiritur: Moyses audiendi cura, sine scrutandi studio verum assequitur, atque ita assequitur ut in nullo erret: Ecclesia tantummodo sententiam, atque ut ita dicam, substantiam dogmatis certam reddit. Moyses audita credidit, priusquam credenda proponeret; in Ecclesia, qui controversa nunquam decisa primò definiunt, definitane prius definitores ipsi credant, quam cæteris promulgata perspexerint, quidam dubitant. Uni Moysi credendum fuisse constabat; uni nunc soli credendum esse, nondum omnibus persuasum est. Postremò vox Moysis, aliter quam Ecclesiæ, Divina dicitur. Est enim vox, locutionis in mente abditæ elocutio, sive ejusdem signum ore prolatum: affectio verò, sive illustratio sit, sive monitio, quam Deus animo Moysis imprimit, est divina locutio; sonus igitur ore prolatus, qui divinam locutionem expromit, vox divina propriissime appellatur; qua proprietate Definitio Ecclesiæ, quæ à Deo sic intus loquente non oritur, divina vox dici nequit. Alio verò sensa, quo veracitatis divinæ signum vox Dei non improprie dici potest, per Ecclesiam loqui censetur. Et quod ad rem attinet, etiam hoc modo certitudine loquitur non minore, cum veracitatem haud minùs oppigneratam & obstrictam exhibeat. Neque etiam omnia quæ à Moyse sunt literis consignata, ea Deo quasi dictante scripta fuisse constat. Satis ea Deus certa reddiderit, si quæ Moyses probè meminerat, ea ne infidè narraret advigilaverit. Cujus Opera Θεοπνεῦστα, sive à Deo inspirata vocare liceat, quamvis non omnia, sed pleraque, vel præcipua afflatu divino agitante, conscripserit.

Fides breviter, & summatim describitur, in partes dividitur, proprietatesque monstrantur.

§. 59. Atque ut affectionem illam animi intelligentis, atque volentis, quam fidem Catholicam, seu Univrsalem, tum supernaturalem, obscuram, & stabilem, meritique participem appellamus, qualis sit probè perspicias; eam hac brevi verborum forma concipias, atque ex supradictis intelligas. *Quia Cœtus quidam hominum notis ejusmodi insignitus, quas divinam veracitatem haud deceat fallaces esse permittere; Vnius, aut plurium voce, testatur Deum sermone scripto, vel tradito quidpiam dixisse, id ego propterea persuasum habeo, seu verum esse judico, neque hoc in dubium ullo unquam tempore vocare volo.* Hoc autem ut verum esse sibi persuadeat, in eaque semper sententia manere velit, pia voluntatis propensio facit; quam sublimis de divina veracitate, humilis, & abjecta de ingenii proprii tarditate, studiosa de rei veritate consideratio, peperit. Neque considerationem talem, & propensionem haberet, nisi Deus singulari favore doceret ignarum, moneret incautum, stimularet inertem, & blanda nonnunquam suavitatis illecebra reluctantem attraheret voluntatem, fidem hanc in partes re, vel ratione distinctas

distinctas si libeat resolvere; qua parte adhæsione quadam firmissima stabilitur, ea decreto voluntatis, & rei necessitate, & loquentis potissimum dignitate permotæ comprehenditur: namque intellectus assensio, qua rem dicit, seu videt sic esse, firmitatis haud amplius, quam claritatis obtinet, cùm plusquam appareat videre nequeat: supernaturalis autem est, tum commonitionibus, tum commotionibus à Deo speciatim impressis, tum affectione pia libere concepta, qua tam audiendi, quam retinendi voluntas includitur, eademque affectio meritum, & laudem habet; ipsa vero mentis assensio, quæ rei credendæ visio quædam est, licet obscura; id est, scientia, quæ perfecta sit, minùs aperta; cum electionis sit expers, merito caret; neque facile modum aliquem videndi, qualem in Prophetarum, aut Mysticorum, aut Beatorum contemplatione licuerit assignare, reperias, quem supernaturalem appelles; neque etiam eo opus est, ut hoc nomine fidem exornes, quam & à causa, & ab altera quoque parte, quæ voluntatis est, supernaturalem dixeris; nam color à causa sanus, & homo mortalis à partis unius mortalitate dicitur. Expedi mihi formalitatem aliquam ei de qua agitur, intellectioni vel à causis quæ ad fidem præparant, vel ab altera, quam sibi vendicat parte voluntas, infusam; illam ego vel mediocriter explicatam assumam, vel etiam inexplicabilem, dummodo necessariam eviceris, non rejiciam. Supernaturalitatem ab objecto materiali, aut formali petitam nullo modo recipiam: nam & Hæreticus, & Ethnicus Deum esse Trinum, & Unum, & à veracitate quoque divina, ad opinionem quandam probabilem, motus existimat. Igitur qua parte fides stabilitate, obscuritate, supernaturalitate, & merito potiatur expositum. Pars autem nulla seu re, seu ratione divulsa fingi debet, quæ huic, *Credo quia Deus dixit*, propositioni respondeat; id est, quæ rem solam dictam, & dictionem ignotam, sive argumenti nullius lumine illustratam aspiciat. Portentis enim annumeranda est occulti visio, ignoti cognitio, rationis absque ratione persuasio. Neque si actibus quibusdam præviis rationes occurrant, hunc illæ imbuunt & illustrant; hic igitur ipse signa, quæ Deum dixisse significant, intuetur; quæ quia Notis Ecclesiæ, quibus significandi vim maximam affert Divina veracitas, continentur, utraque ab eodem actu spectantur, atque ex utrisque objectum unum formale conflatur; cujus pars tum dignitate, tum persuasione potior in veritate prima sita est; ad hoc igitur fides objectum, non ut Isagogicum, sive Introductorium, & præparans, verum etiam ut suasorium, atque ut vulgo loquuntur, terminans revocatur. Quæ vero signa credendum esse persuadent, quoniam ea Ecclesiæ Catholicæ adhærescunt, idcirco fidem vocamus Catholicam. Num autem habitum, qui Ecclesiæ signa publica consectatur, etiam alia

privata quibus se Deus loqui significare quibusdam soleat, ad agendum excitat, leve est, meque quam cæteros minùs attingit, quippe qui vulgares habitus pridem exploserim. Hæretici verò, qui fidem scripturæ, sermoni è cujusque vel Ecclesiæ, vel Personæ sententiæ interpretando laxatis habenis admovent, ii non Catholicam, & Universalem, sive communem, & unam, sed infinita varietate multiplicem introducunt. Qui contraria sentiunt, & Ecclesiam Catholicam verbi Dei Interpretem profitentur, illi soli Catholici nuncupantur.

Documenta varia de Verbo Dei ab Ecclesia propositio.

§. 60. Inter quos tamen quæstio est, num interpretando tantum, an & ratiocinando quoque, è Verbo Dei fidei doctrinam eruat; id est, num aliud ex alio colligendo, an idem solummodo aliis verbis efferendo, prout ex usu fuerit, credenda proponat? Cæterum quæstio dubia, nonnulla nobis indubitata suppeditat. Primum est Interpretis munus his finibus circumscribi, ut dicti, vel scripti sententiam vario sermone declaret. Alterum est, si quid à Deo dictum sit, non omnia quæ consecutione etiam necessaria inde ducantur, dicta fuisse: neque enim qui umbræ terrestris extremitatem in Lunæ deficientis orbe dixerit circularem esse, ille terram esse sphæricam dixisse censetur, licet hoc ex illo colligi possit; sed qui prius vidit, fortasse posterius ignoravit. Quamvis autem Deus omnia connexa perspiciat, non tamen omnia propterea dicit; cum sermone humano, nostræ mentis angustiis accommodato, loquitur. Tertium, qui vera negaverit, vel in dubium vocaverit, quæ licet ipsa dicta non fuerint, attamen cum iis quæ à Deo dicta constiterit, manifesta ratione cohæreant; is contra rationem temeritate maxima, suoque & alieno periculo gravi fecerit; ideoque pœna gravi ab Ecclesia mulctari poterit, atque etiam Anathemate à corpore sano, velut membrum noxium amputari. Quartum, tam magnifice de Ecclesia scriptura loquitur, ut nihil vel huic detractum, vel illi adjectum putari debeat, si in Verbo non modo explanando, sed & per conclusiones necessarias promovendo, ab errore immunis habeatur Ecclesia. Quintum, nihil tamen vel scriptura, vel ratio aperte docet, quod aliam ei præter interpretationis ascribat certitudinem. Spiritus enim Veritatis promissus Ecclesiæ, interpretationis veræ finibus coerceri potest: Tot etiam, & tanta sunt quà scripta, quà tradita, ut iis contenti, modo recte explanata sint, esse possimus. Et summa quidem capita credendorum, ab Ecclesia priscis temporibus declarata, interpretandi cancillis includi liquet. Nam Personæ sive ad Trinitatis, sive ad Incarnationis Mysterium applicatæ, vim omnem scriptura diversis verbis exprimit; Consubstantialitatis itidem, & duplicis voluntatis pariter, & volitionis in Christo, cum Humanitatem nec mancam, seu voluntate privatam exhibeat, neque adeo stupefactam, ut vo-

ut voluntatem volendo non exerceat. Transſubſtantiationis quoque vocabulum poſtea iuventum, ad interpretationem puram, qui vim verborum intelligat, ſpectare ſciat. Nam quod ſanguinem eſſe quis ait, illud eſſe vinum, ſive alium quippiam quod ſanguinis non eſt, unà negat; fuit autem vinum, factum igitur ſanguinem è vino pronunciat. Quid gratiæ doctrina, quam ſcripturæ non tam paraphraſis, quam periphraſis? Denique Patres in Conciliis, ſic ſcriptum legimus, ſic traditum accepimus; non autem, hoc è Verbo ſcripto, vel tradito Philoſophando colligimus, loqui ſolent. Sextum, argumentationem omnem à fide proſcribere, ſtultitiæ foret manifeſtæ: Ipſa etenim credendi perſuaſio, argumentatione concluditur. Unde quæſo tibi perſuaſum eſt Chriſtum in Euchariſtia præſentem eſſe? Quia Deus dixit; Deum autem dixiſſe noſcires, niſi Eccleſia doceret; neque hujus doctrinæ crederes, niſi ſigna veridicam eſſe probarent; illa porro dubitationem haud tollerent, niſi quid veracitatem divinam deceat argumentis ab infinitate, quæ in Aſeitatem poſtremo recumberent, didiciſſes. Hanc igitur perſuaſionem de Chriſti præſentia, qui agitatione quadam animi ad argumenta quærenda undique diſcurrentis, perque ordinatè demum diſpoſita regredientis, aut progredientis, fieri inficietur; is demonſtrationem quoque Geometricam actus unius ſimplicis contemplatione quadam immobili, comprehendi dixerit. Ex Euclide Theorematis exemplum ſumito; ab eo nempe ad Principia, eodem plane ordine, quo à Verbo Dei ad veracitatem divinam regrederis; atque ab hac ad illud; ſimiliter, atque à Principiis ad Theorema progrederis; neque minus proinde eſt fidei perſuaſio, quam Theorematis Demonſtratio è rationum acervo congeſta. Alia quidem eſt adhæſio voluntatis in fide, alia eſt intelligendi claritas in ſcientia; in utraq; progreſſio mentis eadem, utrobique rationum agmen, quarum aliæ ab aliis aptæ ſint, intuetur. Neque nos tantum credendo, ſed & Eccleſia ſcripturam interpretando ſyllogiſmis utitur. Idolum eſt Nihil, ſive rei fictæ, quæ Nihil eſt, ſignum. Imago non item; Idolis igitur vetitis, non prohibentur Imagines. Nec mirum: nam pleriſque Logicorum ſyllogiſmis, res nulla diverſa, ſed eadem tantum aliis verbis expreſſa cognoſcitur. Septimum, ſi Eccleſia, quæ verbo Dei comprehenſa non ſunt, ſed connexa tantummodo, licet ſpiritu veritatis non tam verum dictante, quam falſum prohibente, definiat; nihilominus etiam deducta, non modo dicta, fide certiſſimâ, & divina credenda ſunt; cùm certitudine pari, licet modo quodam inferiore à veracitate divina apta pendeant. Quare ſibi parum conſentiunt, qui in iſtis Eccleſiam ab errore, Spiritu Veritatis regente, liberant; eaque licet indubitata, tamen neſcio quo modo minus certa, quam

ut eâdem, quâ Prophetarum oracula fide credantur, affirmant. Quid enim intereſt, hoccine an illo modo veritatem obſignet divina veracitas, dummodo ſuſpicionem amoveat falſitatis.

§. 61. Octavum, inepte cavillantur Hæretici, qui his ſtrophis Eccleſiæ decretis illudunt. Incertum eſt, inquiunt, ſit necne Pontifex per ſimoniam electus? Patreſne ex omni loco, & jure convenerint? Suffragia ne rebus examinatis conſideratè tulerint? num per metum, aut dolum extorta, mala fide numerata, per fraudem poſtea adulterata? an quæ definire non poterant, definienda ſuſceperint? in ſummâ num omniâ quæ multa ſunt, neque ſcitu prompta ſunt, quibus Concilium legitimum ſtabilitur, appareant? Neque enim ſi Deus, Concilio legitimo credendum dixerit, hoc eſſe legitimum declaravit. Poſtremò alia ab aliis emendata, dum memorat Auguſtinus, firmitatem omnium labefactat. Cæterum graviora ſunt, quæ ſcripturæ non modò ſenſa, ſed verba in dubium vocent. Quot indocti, quot impij, quot Iudæi Biblia contrectarunt? Quanta verſionum, interpretationumque varietas? Neſciunt Hæretici quo fundamento, fidei certitudo nitatur. In hoc moles omnis incumbit, quòd Deus veritatis amantiſſimus, humano generi nolit imponi per dolum, cujus ipſe vel particeps, vel haud levi argumento ſuſpectus eſſe queat, atque in eas anguſtias optimos quoſque redigi, ut in re tanta, tantoque divinæ veracitatis opprobrio, vel errare credendo, vel dubitando peccare debeant. Quare non committet, neque permittet, ut aliquid falsò tanquam ſcriptura Canonica, vel decretum Eccleſiæ legitimum piorum, & prudentium, maximè Paſtorum illius gregis, quem inſignia veritatis exornent, conſenſione communi, nemine cujus authoritas magni facienda ſit, reclamante, probetur, ne falſum ipſe probare, atque ab optimo quoque probandum exponere, videatur. Ubi igitur aliquid eo modo receptum fuiſſe conſtiterit, id quod ſcire cupienti perfacile conſtare poterit, de reliquis ſuſpicio nulla ſupererit, nam vel nihil defuiſſe, vel reſarcitum eſſe conſtabit. Atque ea quidem dogmata, in quibus maximè errare cenſemur ab Hæreticis, quæque defectioni excuſandæ prætendunt frequentiſſimè, non modò à Conciliis declarata, ſed ab Eccleſiâ præterea adoptata fuiſſe liquet; ut minime neceſſe ſit ad confutandos Hæreticos, quam decreta vim ante receptionem obtineant diſputare; neque minutatim excutere præſcripta canonum, quibus creari Pontificem, celebrari Concilium moris ſit. Hæc etenim pro rerum, & temporum varietate mutari poſſunt; illud autem fixum, & incommutabile, ut Deus Eccleſiam cum primæ veritatis ignominiâ falli non ſinat: ſiquid igitur falſi per incuriam, vel malitiam illius nomine obtrudatur, id priuſquam paſſim, & publicitus acceptetur, ne veri amantes lateat, providebit. Nec quod à paucis Catholicis

l. 2. de bapt. c. 3.

licis per ignorantiam; vel à multis per obstinationem Hæreticis rejectum fuerit, illud idcirco receptum negare licet; multa quippe vel scientiæ claritate conspicua, imperitis, & pertinacibus obscura sunt. Deinde seu scripturam solam asciveris, sive illis concilia prima subjunxeris; in utriusque vel plura, vel majora, à pluribus quidem certè quam in conciliis posterioribus repudiata perspexeris. Neq; Augustinus uspiam recepta Conciliorum dogmata erroris accusat. Provincilia corrigi posse fatetur, recepta fuisse non fatetur. Quin etiam secum fatendo pugnaret, quippe qui scripturas Ecclesiæ recipientis authoritate probet. Plenaria vero censuræ dum subjicit, non tam correctionem falsi, quam explanationem obscuri, vel apertionem occulti significat, *Ipsaque*, ait, *Plenariæ sæpe prima à posterioribus emendari, cum aliquo experimento aperitur, quod clausum erat, & cognoscitur quod latebat.* Immo licet de erroris emendatione locutum finxeris, nobis hoc loco molestus esse nequiveris. Nam cum sæpe factum asserat, de Conciliis receptis intelligi nullo modo potest; cùm duo tantum ex illis, vel tria ad summum Augustino nota fuerint, neque hæc ac invicem correcta fuisse docet; quòd si vel primum à duobus sequentibus damnatum erroris existimaret, quod bis contigerit, id sæpe contigisse non diceret. Illud autem non sæpe tantum, sed semper accidit, ut Patrum sensa rectissima, pravissimè distorta venditent Impostores. Nemo non Hæreticus hanc Augustini sententiam fædissimè depravatam, tam pleno ore, quàm fronte nulla proclamat. Nonum est, & extremum eorum qui mihi nunc de Ecclesiæ voce dicere visum est. Nempe quod ab ea etiam ut à Deo dictum proponitur, id fide divina, & persuasione certa credere non tenemur, nisi rem perspicuis verbis enunciet, Illius enim sententia, est dubiorum ultima definitio; nondum igitur sententiam tulisse censetur, nisi verba tam clara sint, ut nemo nisi ignorantia, vel pertinacia cæcus, clariora desideret, itidemque de alio quovis signo, velut usu, sensuq; communi fidelium, quo aliquid tanquam authoritate divina fundatum approbet, judicandum. Hinc fidem ad pauciores articulos, quam scholastici multi soleant, revocare liceat; atque Ecclesiæ tum pacandæ, tum propagandæ controversias inutiles extinguendo, consulere. Porro nihil ab ea clarè propositũ esse comperies, quod verbo Dei vel scripto, vel traditione minimè obscura recepto, firmari nequeat; atq; eo insuper modo ut vel interpretatione pura nitatur; vel collectione non necessaria tantùm, sed & brevissima, & facillima conficiatur. Talis autem collectio, nisi de voce sit quæstio, ab interpretis officio aliena non est. Illud enim dictum videri potest, quod ex dictis proximè, & facillimè colligi potest. Cæterum quod ad rem attinet, nemini qui sana mente sit, incredibile videri debet, si Ecclesiam vel in istis ab errore tutam, summa præstiterit Bonitati conjuncta veritas.

l. 2. ad Babt. 2. 3.

§. 26. Sed turbat omnia quibus fidem veracitate divina à fraudis specie,

Sententia perversa, fideique, & veracitati divinæ inimica refellitur, de infusione Habitus, aut actus falsi.

cie, non modò à mendacij vitio aliena, fundatum ostendimus, quorundam importuna sententia, qui Deo haud indecorum existimant, qualitatem animo inclinantem ad falsum, atque ipsum etiam erroris actum infundere. Nam licet hunc à Deo solo fieri posse negant, non ea tamen ratione ducuntur, quòd eam dedeceat, sed quod ab Agente extraneo effici solo nequeat. Expectas, opinor, argumenta non dubia, sed certa; non vulgaria; & Dialectica; sed exquisita, & prorsus Apodictica, quibus tam periculosa, tam prodigiosa sententia confirmetur. Neque enim est, ut credi possit homines nec indoctos, nec impios, qui tanta veritatis divinæ præconia in literis sacris legerint, qui Deum summè veracem, cui mente secura, non sollicita, non timidè, sed fidenter inhærendum esse cognoverint, ipsa fidei, spei que fundamenta concutere nisi demonstratione coactos voluisse. Specta nunc Gigantes, montium in cælum moles aggerentes, atque Ossæ Pelion imponentes. Basis omnium pro more est, sollenne *Non implicat*: deinde error est Malum physicum, non Morale: mox jus Dominij; tum fortè per habitum, vel actum loqui non vult, sicut Æquivocationum, & Reservationum artifices docent, ideoque non falsi testis erit: potest etiam oculo species infundere, quibus res quæ non sunt, velut existentes appareant; & reipsa corpus humanum ad malum, & falsum inclinans construit: post remò habitum non tantùm ab errore, sed etiam à peccato relictum ipse conservat. Verùm hos pulveris collecti tumulos dissipare, nullius negotij fuerit. Ecquid in his firmi, & solidi? Ecquid non levissimum, atque vanissimum? Nihil sanè argumento primo concluditur; illud enim in reliquis ipsum includitur, è quibus num pugnantia dicantur, colligendum est. Secundi vis omnis in voce ponitur. Errorem appellas malum Physicum, quid deinde? an idcirco Deum Authorem decet? sin autem dedeceat, num vox illa, probri labem eluet? Cur malum Morale non efficit? an quia Morale dicitur? an potius quia Bonitati Malum opponitur? Dic igitur cur à falso veritatis minùs abhorreat? At falsitatem, inquies, tanquam pœnam infligit. At non quia aliquam, idcirco pœnam quam-libet potest infligere? Nam quæ justo conveniat & potenti, Bono, Veroque fortasse non congruit. Si justitiam solam spectes, atque potentiam nihil ab his alienum faceret, licet intellectum pariter, & voluntatem impij depravaret. Majora quippe Creator facere potest, neque de injuria peccator queri posset. Sed attributa sunt omnia perlustranda, ut quippiam rectè, atque ordine Deo tribuas. Quasi verò nil nisi testimonium falsum cum veritate pugnaret. Hoc autem cur pugnat, nisi quia tollit veritatem? sed magis errore ipso, quam errando occasione veritas extirpatur. Poterit judex testi falso non credere, at persuasione falsa correptus, verè judicare non poterit.

Diluuntur objecta.

§. 63. Vide

§. 63. Vide nunc opinionis inconsultæ temeritas, in quas te syrtes abripiat? Ecquid in Ecclesiæ signis apparet, quod tibi fidem certam faciat? Nonne minus indecorum est notas fallaces esse sinere, quam notionem falsam inurere? Potest, inquies, sinere sed non vult. At si velle potest, unde tibi nolle constare potest? Non enim potest nisi deceat, sin autem decet, quid velle prohibet? An quia nolle decrevit? sed unde tibi signa, quibus decretum innotuit, cum veritate conjuncta esse patuit? sin ad alia te conferas, etiam de his aliisque quotcunque eadem dubitatio est. Ubique eodem jure Deum à malo morali, & testimonio falso purgabis. Moyses etiam, aut alius Propheta, quid habet quod hæsitationem excludat? Quid? Mentem à Deo tangi, pelli sentio. Esto sentias: at non modo in errorem habitu inclinante propellere, sed & ipsam animo falsitatem inserere Deus potest. Quis non hæreret, qui tale sibi repagulum objectum cerneret? Illud autem Ecclesia si videret, aliter ac solet de revelationibus, quæ haud parum sæpe contingunt, judicaret. Jubet inquiri num Dei moventis signa compareant, de illis si liquet, nil amplius explorat. Quare quod Deum dedeceat in errorem impellere, non modo errorem imprimere, persuasum habet. Deinde si veritas intellectui falsum inscribere, & Bonitas in malum voluntatem inflectere cogitetur, nonne utrobique causa cum effecto pugnans perinde cognoscitur? Immo vel inclinationem ad Malum, aut Falsum à Bonitate, & veritate purâ fieri, manifestò repugnat; hæc enim est regula Boni, verique. Quid Bonum, quid verum nisi quod Bono veroque primo, & Archetypo consentit? Nihil autem sibi dissentaneum vel facit, vel alium ut faciat impellit; falsum igitur, & malum vero Bonoque consentaneum esset, ideoque nec falsum, nec malum esset: si te Deus ad pugnandum hortaretur, tu pugnam illicitam esse putares? sin tibi gladium, & clypeum suâ manu porrigeret, longe plus quam hortamentis accenderet, plurimum verò si mentem ipsam à Deo instructam & armatam scires. Nonne vehementiùs instigat ad libidinem, qui philtris occupat Phantasiam, quam qui lenocinio verborum aures mulcet? Antiquum est monitum *Deum sequitor*. Quid? quem vocantem sequeris, moventem, & trahentem sequi reformidas? Qui verbis nequit allicere, is factis in errorem impellere potest? Non modo fidei fundamenta subvertis, verum etiam intelligentiam, & sensum communem evertis. Quando *intonuit lævum, & de cœlo lapsa per umbras, stella facem ducens multâ cum luce cucurrit*, quando eam vidit Anchises, *Idæâ claram se condere silvâ, signantemque vias*, mox Deos affatur. *Iamjam nulla mora est, sequor & qua ducitis adsum*. Nimirum inter veteres qui sapientiâ præstabant, licet multa Diis absurda tribuerent, nunquam eò devenerunt insaniæ, ut signorum fallacium Authores fingerent. Quod si in viam

Opinionis istius incommoda.

Æneidos l. 2.

absque errandi metu se dabant, quam sulphur in nube divinitus, uti putabant, accensum præmonstraret; quantò se magis tutos existimarent, si Deus intus urgentem, qualitate animis inustâ, sentirent. Præterea qui vel populari stultitiâ, vel licentiâ poëtica, nulla non figmenta ridicula commenti sunt, Diis tamen flagitia sæpius quam fraudes affingunt. Nihil enim visum est illis minus Divinum, quam quod cum fraude conjunctum esset. Animi quippe vilis, degeneris, & abjecti semper est habitum, dolos nectere. A quo vitio nulli magis quam magnanimi, & ingenioſi quos natura sublimiores, & Deo quasi propiores fecit, abhorrent. His etenim fraus minime necessaria, illis autem indigna videtur. Neque quisquam qui indole servili non fuerit, sibi jure Dominii mancipia fallendi licentiam arrogavit. Hæc etenim servo potius quam hero solet ascribi; quamvis neutri æquitate ullâ, aut jure conveniat. Doce id Deum nullius attributi nomine dedecere quod ei jure Dominii tributum velis.

Obiter de Amphibologiis.

§. 64. Id vero quod de errore pronuncias, ex Amphibologiis humanis, haud indecorum esse nunquam evinces. In his etenim, in quibus nonnulli turpissima docent, & agunt; quicquid honestum, & rectum est, id omne ad defensionem necessariam revocatur. Deque iisdem quod de Mendacio Origenes cum Platone statuit, dicendum est. *Deo quidem indecens, & inutile, mendacium, hominibus verò quandoque utile, & necessarium, ut eo tanquam medicamento utantur*, vel Abbas Joseph apud Cassianum *Mendacio utendum tanquam Ellebŏro, quod sumitur eminente aliquo exitiali morbo.* Qui quidem licet errent, si forte mendacium proprie sumptum aliquando licitum esse sentiant, quod reipsa nunquam necessarium est; in eo tamen rectè judicant, quod quæ ad deceptionem spectare videntur, lege solius necessitatis excusent, ideoque à Deo magis quam homine aliena declarant. Quod si Christus qui Deus est. *Ego non ascendam ad diem festum hunc*, ascensurus tamen dixerit; non ideo ne Deus animo habitum fallentem ingerat, aut fallaces Ecclesiæ notas aspergat timendum est; erat enim Christus & Homo, atque ut alia facere, etiam ei pericula, hominum more, vitare, nosque remedium exemplo docere placuit. Nihil autem à Deo versutè, & subdolè Prophetis dictum invenies; nam quod obscurum, aut ambiguum videri potest, illud vel celatum voluit, vel explanandum Ecclesiæ decretis, aut rerum eventis tradidit. Nec quæ scriptura à quibusdam facta, vel dicta narrat, eadem nobis facienda vel dicenda præscribit. Sed de arte istâ veteratoriâ copiosè alias differendum; quamque à prudentiâ non modo Christianâ, verum etiam Civili remota sit exponendum; quam probrosa, quam pernicioſa, quam plena tum malitiæ, tum stultitiæ sit, declarandum; quid fallaces inter, & mendaces intersit, mendaci virus intimum perscrutando, docendum; atque hominum inter homines socie-

Orig. tom. 6. strom. Plato. l. 3. de Rep. Cass. coll. 17. c. 8.

Joan. 7.

ſocietati, fideique Catholicæ dignitati, omni ope, atq; ſtudio conſulendum. Quod ad calamitatem arcendam aliquando conceditur, illud aliqui ad utilitatem humanam procurandam, & quod turpius eſt, ad gloriam divinam propagandam, haud minùs frequenter, quam impudenter adhibent. E re communi, vel gloriâ Dei foret hunc civem alibi vitam degere; fraudibus ergo, fictiſque promiſſis, & minis, ut in exilium ipſe proficiſcatur inducam? Quid enim? Error eſt tantummodo Malum phyſicum. Perinde alius dixerit Bonum eſt uxorem, & filias domi manere, illis igitur crura ſuffringam. Claudicare quidem malum eſt, ſed tamen phyſicum, & genere quoque minus, corporis enim non animi malum eſt. An tibi juris amplius in animum, quam corpus eſt? Hoc diſtorquere non licet, illum licebit? Magiſne os ictu confractum, quam ratio dolo perverſa dedecet? niſi forte decorum, viſu potiùs quam intellectu metiendum putes. Si quis tibi mentis aut domûs arcana per metum, aut fraudem injuſte rimetur, ilum fas eſt ſilentio ſemper, & nonnunquam occultâ arte fruſtrari, velut alium qui ferro viſcera ſcrutari velit, tum fugâ declinare, tum etiam aperto Marte repellere: Quempiam verò tam fraude, quam ferro aggredi nefas eſt. Deo verò, hominumque Rectoribus, quos ſcriptura Deos appellat, doloſa machinari, vel loqui, minimum licet; tum quia defenſionis ille nequaquam, iſti quam cæteri minus egent; tum quia vix ullâ re magis quam dolis Amor, Reverentia, Fides, atque adeo ſimplex, & ſincera Credulitas, quibus ſubditorum animi ſic tanquam frenis reguntur, extinguitur; ac proinde non modo authoritatis ſplendor, & dignitas obſcuratur; verum etiam gubernandi veluti clavus, & cardo confringitur: ſed de his alias, nunc quæ confutanda ſuperſunt refellamus.

Deus ne conſervat quidem Habitum fallacem-

§. 65. Habitum, ais, ab actu falſo, maloq; relictum, conſervat Deus, & ſolus quidem, quia actus producens evanuit, eum igitur ſolus producere poteſt. Conſecutionem immeritò quidam negant, eò quod res producta conſervationem à cauſa univerſali exigat, ad quam pertinet rerum exigentiæ non deeſſe; propter quam etiam, ex illorum ſententiâ, ad actum malum operam conferre poteſt, & debet. Nihil eſt tam avium, atque ab omni probabilitate ſemotum, quo incautos principia falſa non ducant. Primum eſt jus quoddam, & exigentiam in rebus ſtatui. Sed non quod illæ videntur petere, verùm quid Deo conveniat dare, ſpectandum oſtendimus Neq; Habitus conſervationem, neq; voluntas cooperationem exigit. Quid faciendum ſit, Ratio prima & increata præſcribit: Nullum in rebus, ſed in hujus præſcripto jus omne ſitum eſt. Si quod haberent, in ipſo eſſe quod habent poſſiderent; hoc autem non ut acceptum poſſident, ſed ſemper accipiunt. Itaque exigentia, quæ nulla eſt, efficientiam univerſalem à particulari diſtinguere nullo modo poteſt. Neq; ſi quid indecorum actione proxima & immediata Deus attingit, actionis illius

fœditas rerum exigentiâ ullâ purgatur, aut cauſæ univerſalis obtentu tegitur. Hoc autem nomine appellatur pariter, & excuſatur; quia primum Mobile quo univerſa cientur, vel Angelum illius Motorem movet, motiones autem inferiores proximè non attingit, quare quod in his Angelorum aut Hominum pravitate turbatur, id illi vitio verti non poteſt. Unde aliud quod objectum eſt facile confutatur. Quod corpus humanum ad malum, & falſum inclinet, primis parentibus, qui illud veneno prohibito corruperunt, imputes. Nihil enim Deus agere decrevit, ſed neque futurum prævidit ante decretum, quod tam pravam corporis ſtructuram efficeret. Quod ſi terra poſt Adami peccatum maledicta, tribulos, & ſpinas germinet; atque inde quis mundi vel ſyſtema, vel motum inverſum colligat; illud ad remedium, & pœnam referat, neque inclinationem pravam elementis, & cœlis, ſed ſemini impuro tribuat. Namque alimentum ſalubre in ſuccum vitioſum, ventriculo corrupto vertitur. Quare qui nunc è puro ſemine naſceretur, peccati fomitem non haberet. Plantarum enim ſemina, alias alia particulas ex eâdem glebâ attrahunt, fructuſque virtute, figurâ, colore variant. Nullum itaque Deus vel motum imprimit, vel Motori primo imperat, cui perverſam corporis inclinationem aſcribas; neque incorporeis pravi quicquam infundit, vel cum eis efficit, ſed *ſinit res agere motus ſuos*, ut Auguſtinus loquitur; quibus etiam cum ſupernaturales exiſtunt, actionem haud applicat, ſed tantum adjumenta ſuppeditat. Principium vero alterum, quod falſo ſtatuitur, eſt falſa Modorum Notio, quos velut Entia ſubjectis affixa cogitant; unde factum eſt ut iiſdem, tum producendis, tum conſervandis operam divinam flagitent: ſin autem quid inter rem, reique affectionem interſit didiciſſent, nunquam habitum, nedum actum malum, aut falſum, Deo vel ſoli, vel ſimul cum animâ producendum, aut conſervandum dediſſent; neque Modum ullum, niſi generis omnino exeellentis, ab eo immediatè fieri, vel neceſſarium, vel decorum cenſuiſſent, neque de ullius interitu, priuſquam contrarius invaderet, timuiſſent. Modos anima, quos vi ſuâ facit, aut recipit, ipſa cuſtodit. Nam ſi quam à peccato nunc puram, conſervatam à Deo finxeris, paulo vero poſt ab eâdem actum malum vi ſuâ citra cooperationem, uti fit, divinam elicitum, nihil opus eſt actionis conſervantis augere virtutem; neque magis ſi qualitatem ad malum inclinantem fingas infuſam, quam vi naturali perinde retineri, ac recipi poſſe liquet; quocirca neque actum, neque habitum malum Deo conſervanti tribuere facile diſces, dummodò Logicorum ineptias dedoceri queas. Deus animæ ſubſtantiam conſervat, Modus à ſubſtantiâ non diſtinguitur, ergo vel Modum conſervari, vel idem conſervari pariter, & non conſervari dicendum. Verum quod ad rem ſpectat

ſatis

Neque ei imputanda eſt corporis ad falſum & malum inclinatio.

Errandi auſam dedit confidentia Modorum tanquam Entium.

satis apparet modum à Deo minime conservari, cum actio sit eadem quæ modum antecesserat; verbis autem verba repellimus, idem enim, sed non eadem significatione sumptum conservari, & non conservari, dicimus. Axioma quippe verbis innatum, verborum significatione metimur. Pueriliter certe faciunt, qui distinctionem, quam argumenta è notionibus deducta perspicuis aspernantur, sermonis obscuri & ancipitis interpretatione fallace approbant. Quis ignorat verbis contradicentibus modo rerum, modo significationum discrimen subjici? Utrum fuerit, aliunde quærendum. Alia vero omnia, modum à subjecto ne cogitando quidem abstrahi posse, demonstrant.

Atque effecti ut termini à causa tacti.

§. 66. Nisi forte quia actio effectum, sicut cognitio objectum putatur attingere, & meta quædam utramque terminare videtur; propterea limitem, ac veluti lineam discriminantem in effecto, vel objecto, imaginatione vana signaveris, quæ partem tactam ab intacta distinguat; ex quo phantasiæ ludibrio nata est de præcisionibus quæstio percelebris, argumentis huc illuc nugatoriis agitata, color, aut animalitas attingitur, albedo, aut rationalitas à cognitione non attingitur; similiter hoc loco, animæ substantia ab actione conservante attingitur, modus non attingitur; vel hoc cognitionem, & actionem terminat, illud non terminat, ergo distinctio concedenda: & Physicam quidem, actionis tactu Physico & reali; minorem autem, quæ aut virtualis, aut ex natura rei dicitur, cognitionis tactu quodam leviore, sive intentionali colligunt. Et vero distinctionem Physicam ab adversariis, etiam actionis tactu Physico extorserunt, qua & modorum tanquam Entium notionem pravissimam invexerunt; unde habitum, actumque peccati à Deo, velut Ens producendum esse concludunt, aliaque permulta, quibus, ut sæpe vidimus, Philosophiam prope totam, & Theologiam obscurant. Ex observatione porro, & errore vulgari fluxit hoc inane commentum. Actio quippe vulgo nota, in motione corporum sita est. Dum Aries aut globus ferreus murum quatit, partem attingit, partem non attingit, aliterque tactam, atque intactam impellit. Visionem quoque, errore communi, radiis ex oculo emissis fieri, iisque rem visam attingi creditum est. In eoque errore fuerunt non modo antiqui Platonici, sed posteriores etiam Arabes, à quibus Scholastici Philosophiam hauserunt. Hi vero radii, quia porrecti, sive intenti in rem objectam putabantur, idcirco intensiones passim ab Interpretibus Arabum dicebantur; unde etiam locutio pervagata manavit, qua primo oculorum, deinde mentis aciem dicimur ad res percipiendas intendere, & perceptionis genus omne ad tactum quemdam intentionalem objecti reducitur. Cujus figmenti vanitas, origine detecta, satis apparet. Quod si nos objectum cognoscendo, ideoque volendo

non tangimus, neque Deus effectum producendo contingit; quippe qui sic cognoscendo, & volendo producat, ut nihil in effectionis negotio, præter effectum ipsum, Deique cognitionem, & volitionem occurrat. Actiones quippe distinctas, velut ignotas, ineptas, & inutiles è Philosophia jamdudum exterminavimus. Neque Deus è potentia sua modum, velut è bombarda globum, ejaculatur; qui effecti, tanquam metæ, partem tactam ab intacta secernat, ut animam conservando, actum aut habitum non conservando, quasi limite signato, modum à subjecto discriminet. Nihil igitur inter ista ex tactione, aut terminatione intentionali, vel Physica distinctionis eviceris; immo per quam imperite majorem huic, quam illi concesseras; quandoquidem & Physica ad cognitionem, & volitionem, & proinde ad tactionem intentionalem perinde spectet. Ad summam, cum actionem Dei hoc loco non flagitent, nisi quia modi à subjecto distincti ratione vana finguntur, nihil est, quare Deum actus, habitusve mali, vel falsi conservatorem inducant.

Argumentum de specie fallace oculis impressa refellitur.

§. 67. Sed extorquendum est telum quod restat unicum quo veracitatem divinam impetant. Potest, inquiunt, Deus rei, quæ non est, oculo speciem imprimere, qua non minus quam habitu in errorem impellit. Unde nosti? Non quia majora potest, nam quod minus est, forte dedecet: Potentiam vero divinam perinde turpitudine carere, ac magnitudine pollere censendum est. Ac ex mea sententia in Eucharistiæ Sacramento, divinitas una cum humanitate tales in visum radios immittit, quales à pane, qui jam non est, sed caro factus est, manare solent. Fateor, atque insuper cum D. Thoma profiteor, quando Hostiæ consecratæ species prodigiosa, & aliena cernitur, id non tam visi, quam visus immutatione contingere; quod licet ope Dei singulari fieri concedam, nos tamen à Deo in opinionem falsam flecti pernego. Nam qui talia videt, si sapit, haud amplius quam Christi præsentiam, panis absentiam significatam intelligit. Quando vero, uti solet, sub specie panis carnem objicit, præmonitos ab errore tutatur. Dixit enim carnem, non panem esse; idque ut omnibus innotesceret, Apostolos toto orbe dispersit. Si quem hoc lateat, is suam, aut aliorum negligentiam; non autem gubernatoris universalis providentiam accuset; sed mirum est hoc ab illis urgeri, qui Eucharistiam è Philosophia vulgari explicant. Nam species intentionales ab accidentibus modo naturali procedunt, licet ea supernaturali subsistant: deinde species accidentia incidant, non substantiam; quam ego ex accidentibus istiusmodi ne consecutione quidem probabili, aut tolerabili; alius autem necessaria, & proxima nemo colligat. At Raphaël speciem juvenis Tobiæ spectandam offert, neque Deum id jubere, quam facere minus dedecet. At si Tobiæ caput quintum studiose perlegeris, signa haud obscura comperies, quibus Angelum à Deo missum suspicari, aut certe cohibere assensum potuisset; atque exemplo isto de appari-

3. p. q. 76. a. 8.

indicant

apparitionibus aliis judicare licet, in quibus non defuisse quæ prudentem, & cautum ab errore defenderent, etiam ubi de illis tacetur, existimes. Neque enim primæ, & summæ veritati præstigias, nisi argumento coactus manifesto, tribuerim. Certe cum discipulorum oculi tenebantur ne in via Christum agnoscerent, id non à fallace specie quam illorum oculis Christus infuderit; sed à nebula, vel caligine quam Dæmon offuderit, profectum asserit Augustinus. Inconspicuum se Christus sæpe reddidit, forma eminentia conspicuum nunquam exhibuit. Neque in transfiguratione, neque post resurrectionem uspiam, adeo lineamenta omnia, quibus agnosci posset, oblitera-sse probaveris, ut imperturbatum falleret, & attentum. Nullibi Deum vel per se, vel per Angelos vel honori suo, vel utilitati nostræ per fraudes velificatum invenies. Hinc Angeli, ne quem figura assumpta decipiant, ubi alia signa desunt, præsentiam horrore incusso testantur. Quanquam si tibi sponte darem, quod nunquam exemplis, aut argumentis exprimes, Deum, aut Angelum Dei jussu, speciem oculo fallacem imprimere, neque ullo signo videntem ab errore deflectere; non inde tamen coges ut habitum fallacem à Deo solo fieri posse concedam. Ego enim proprietatem omnem, præter actus ipsos cognitionum, & volitionum, à rebus excludo incorporeis. Habitum falsum, in actibus falsis nondum contrario deletis, statuo: Nam cognitio & volitio perceptibilis, quam vulgus actum appellat, proprietate tantum corporea differt ab habitu; adeo ut in Angelis, & animabus à corpore separatis notitia omnis quæ in habitu est, eadem & in usu absque rei, vel modi ullius adjectione semper existat. Quoniam verò à minore ad majus perperam affirmate concluditur, non quia Deus specie fallace ansam errori porrigit, idcirco errorem ipsum infigit.

Luc. 24.

I. 3. de consensu Evan. c. 25

In Angelo, & anima separata nil differt actus ab habitu.

§. 68. Cæterum ut jure meo cedam, & habitum, quem obtrudis, licet adulterinum accipiam: Minus est speciem fallacem oculo, quam habitum animo, vel talem insculpere. Hic etenim judicii falsi proxima causa est, atque etiam peculiaris, & propria, alium enim usum nullum habet; illa non item, nam & voluptati, & sanitati est sensus permotio; quare non qui speciem, sed qui habitum infundit, falsitatem spectasse, & destinasse convincitur. Deinde quis nisi fatuus de rebus promiscue, solo, & subito testimonio visus judicat? Constat enim numero, loco, situ, magnitudine, figura, distantia per sæpe, & in aliquibus semper fallere. Tum licet affectionem sensus percipiat, quid tamen, & quale sit quod affectionem pariat, judicare non potest, ad ratiocinandum tantummodo excitare, ratiocinando vero conclusio tantum conditionalis infertur. Nam Tobias Raphaëlem hominis præ se speciem ferentem intuens, licet nihil singulare vidisset, quod dubitationem afferret;

ferret; rationem tamen generalem anticipatam animo retinebat, quod multa poſſint virtute divina, vel angelica, aliter apparere quam ſint; ac proinde nihil amplius quam, apparet homo, ergo eſt, niſi quid extraordinarii ſubſit, conſecutione legitima concludebat: Hanc autem judicii ſuſpenſionem, conditionalem, virtualiter ſaltem, & implicite, ut loqui ſoles, negare non potes: nam interrogatus quiſpiam in re ſimili, an res aliter quam ſint apparere queant, ſtatim annueret. Sed ex meis principiis res clarior evadit; tum quia notitia acquiſita, quatenus ad mentem ſpectat, eadem ſemper actu manet, quoad contraria ſuccedat, quam hic nullus exſpectet; hoc itaque ſemper retinet: *Poſſunt res aliter apparere quam ſint*: tum quia judicium nutu cæco, & præcipiti, quo partem alteram, altera penitus rejecta, mens eligit, contineri non poſſe docui: ſed judicare eſt videre vel ſcire: duo porro videt, aut novit: Primum eſt, id hominem plerumque putandum quod hominis formam oſtendat; alterum eſt, ſecus aliquando contingere: Duo igitur judicia ſunt, quæ paribus rationum librata momentis, dubitatio vocantur; ſi multo graviora ſunt quæ hominem potius quam angelum eſſe ſuadeant, voce quidem abſolute dicimus; Eſt homo; mente tamen latet conditionalis appendix. Niſi quid extra ordinem communem accidit; idque non virtute tantum, ſed actu, quia notitiam iſtam nunquam amiſerat, quam tamen ſupervacaneum eſſet in propoſitione qualibet verbis efferre, quia iſtiuſmodi cunctis annexa cognoſcitur. Quocirca ſpecies, ſive organi ſentientis percuſſio, minus, quam habitus ad errandum inclinat, non modo quia habitus eſt errandi cauſa proxima, atque ad hunc ſolum finem ordinata; verumetiam quia ſpecies tantum movet, ut plura hominis, quam angeli ſigna extare pronuncies, in quo nihil falſi concluditur, atque ut ipſius tanquam hominis opera uti velis, quam cum abunde præſtet, neque judicando, neque experiendo deciperis. Quinimmo ſi cui ſe Diabolus equi forma ſiſteret, non tam ſpeciem primo objectando, quam equitantem poſtea deferendo, ſive quod forma aſſumpta promiſerat negligendo, falleret. Species tamen hujuſmodi falſa, vel fallax dici ſolet, vel quia multos per imprudentiam fallit, vel quia ex animo fallendi procedit. Deus autem à fallacia tam longe remotus eſt, ut neque inconſiderantia illa præceps ab ejus decreto, ſed ab Adami peccato flexerit.

De judicandi Actu.

§. 69. Sed qui ſtatum naturæ puræ, non minus ad falſum, & malum pronæ finxerunt, quam quod in hac corruptæ conditione ſentimus, judicium in nutu, & falſitatem in ejuſdem difformitate collocant; cumque à ſpecie fallace vel neceſſario ſequi, vel non ſine temeritate ſuſpendi autumant; hancque à Deo ſpeciem, & opera ſingulari, & ſine ullo erroris antidoto, immitti poſſe non dubitant; eidemque actum tam falſum, quam malum, nobiſcum una pro-

Multi multa fidei exitioſa docent, quæ tamen nec aliis, nec ſibi perſuadent.

producendum, utrumque vero habitum conservandum & soli, & è lege communi tradunt; jusque Dominii, reliquarum perfectionum obliti, & cæcum, laxumque *Non implicat*; communis etiam hominnm sensus immemores, ad innocuum æternâ carnificinâ mactandum; ad nihil non portentosi sinendum, & agendum extendunt, Erroris item fæditati, mali Physici fucum illinunt, neque amphibologias defensionis necessariæ, & raræ cancellis includunt, sed in omnes partes usus vitæ, effrenatâ licentiâ grassari jubent; hæc inquam, hisque similia qui docent, quo pacto veritati, Bonitatique divinæ, & signis Ecclesiæ consulant, ipsi viderint; immo ut omnia undique circumspiciant, remedium nullum invenient, sed Ecclesiæ notas haud dubiè suspectas redderent, fideique fundamenta concuterent, si pares ad persuadendum, ac vociferandum vires haberent. Cæterùm Doctores isti, eorumque Discipuli Ecclesiæ decretis firmiter adhærentes, quòd nullâ vocis, aut mentis contentione vel aliis, vel sibi dictorum fidem faciant, reipsa, & facto demonstrant. Tu si à Deo, quem talia sinere & agere non dedeceat, Petri navigium gubernari censeres, in eo per tot difficillimorum, & tuâ præsertim Philosophiâ, dogmatum Syrtes, & scopulos per tot dubitationum fluctus animo tranquillo, minimèque sollicito navigares? Quoties tibi opinionum tuarum sedimenta bullirent, & velut acres humores stomachum vellicando nauseam, & caput appetendo vertiginem procrearent? Fortè Deus vel jure Dominii, vel peccati originalis merito, vel utroque, nos ab Ecclesiâ falli sinit, hoc etenim non implicat, ac proinde non dedecet; implicaret enim si dedeceret; cur autem id fieri negem?, quod haud indecorum factu concedo? sanè inter mala Physica minus horribile est vitæ brevis error, quàm mortis æternæ dolor; in hoc autem vel Innocentibus infligendo, Tortoris etiam partes, non modo Judicis agere potest. Quid mihi solatii est quòd fallere non posse dicatur, cùm speciem fallacem oculis possit imprimere, quam falso mentis nutu probare debeam? Quid juvat testem falsi non esse, cujus veracitatem, neque errorem inferere, nedum ad falsum inclinare dedecorat? Quid firmi, quid explorati dant verba, vel signa clarissima? nam reservatione mentis occultâ, verborum vis omnis eluditur. *Tabulas Dei digito scriptas* lego, scriptoris arcana sensa non lego. Cogunt exclamare miracula, *Digitus Dei est hic*; at eundem in specie, habitu, actuque fallace faciendis, extentum conspicor. Nescio quid intus animum ad credendum movet, idque mihi divinitus injectum arbitror: quid inde? nonne & specie in errorem impellere, actuque compellere, non modo inclinatione vel habitu mo-

Exod. 31. 18. Exod. 8. 19.

vere poteſt? biſque me perinde falli, & errare continget, ac ſi falſum ipſe teſtari, vel fallere diceretur. Neque valet Exceptio, poteſt quidem ex abſolutâ potentiâ, ſed velle neutiquam ſuſpicandum; nam ut aliquoties dictum eſt, ne facere quidem poteſt, quod ab eo fieri non deceat, ſin autem deceat, quid ni faciat? undenam haud factum intelligam, quod decorum factu cognoſcam, niſi verbis, aut ſignis factum neget? quæ dubitationem hoc loco tollere nequeunt, ubi de ſignis ipſis dubitatur, de his enim num reverâ indicent quod indicare videntur, ut ambigam, argumenta copioſa ſuppeditas. Nonne ſecurim ad certitudinis omnis radicem poſitam vides? Nonne omnia quibus aut fides, aut ſcientia firmetur, nutare conſpicis, cum veritatis indicia maxima, cum falſitate conjuncta ſtatuis? Si nec ſpecie, nec habitu, neque actu fallace nos fallat Deus, neque aliud quàm fallere cum veritate divinâ pugnet: multò minùs homines, quorum falſa ſint cogitata clariſſima, condidiſſe repugnat, quippe quæ non ipſe imprimeret, ſed aliunde impreſſa ſpectaret. Jam verò qui eum naturâ, neceſſitate, ignorantiâ invincibili, vel abſque indifferentia, è cauſarum indiſſolubili nexu peccantibus, ſulphuris æterni flammas ſubjicientem, ſpectaculo horrendo proponunt: ideoque peccatum, & peccati ſupplicium, ut ut voce fateri renuant, reipſa inevitabile prorſus oſtendunt; quid cauſari poterunt, quin errore qui vitari nequeat, frequenter, aut ſemper teneamur? Cæterum qui hæc poſtrema, vel priora tuentur, id animis perſuaſum habere, quod aliis tum voce, tum ſcripto perſuadere nituntur, credi vix poteſt. Nam indifferentia ſublata, neceſſitas eventorum fatalis inducitur; ſpeſque vel in præſidentiam, vel deſperationem, vel in oſcitantem incuriam planè degenerat, fractâque per fraudes divinæ veracitatis anchorâ, fidem fluctuare neceſſe eſt. Sed dum ſpe nec certâ, nec nullâ in ſalutem incumbunt, fide verò conſtante divinis Eccleſiæ ſignis inhærent, haud paulò certiùs agendo, quàm loquendo arcana mentis ſenſa declarant. Ita qui idem ſimul eſſe, & non eſſe dicebant, eos aliter ſenſiſſe demonſtrat Ariſtoteles, qnia nec puteum in viâ declinaret, qui ſe cadendo non cadere judicaret. Neque parum ſæpe contingit, ut quid ſentiamus, aut velimus, non modo quid ſentire aut velle oporteat ignoremus. Idque eorum, qui ſcrupuloſi dicuntur, uſu cognoſcitur; quibus affines videntur Dialectici; utriſque enim accidit, ut nimium diſputando, & ventilando, phantaſmata velut excitato fumo mentem obſcurent, ut ne decreta quidem propria, aut ſenſa dijudicent. Auguſtinum haud puduit ignorantiam elo-

Confeſ. L. 11. c. 25. quendi ſenſa, vel diſcernendi fateri. *An fortè*, inquit, *neſcio, quemadmodum*

modum dicam quod ſcio? Hei mihi qui neſcio ſaltem quid neſciam. Nemo non aliquando Syllogiſmum animo rectè contexit, multi tamen de eo ſemper differunt perverſiſſime. Certè ſi argumenta cogitatione formando perinde, ac de Argumentatione ſcriptis tractando Philoſophi diſſentirent; animus ipſe, ſive ratiocinandi facultas foret in diverſis hominibus longè, lateque diſſimilis. Alius concluſione repeti aſſumpta contendit, alius negat: Eoſnè propterea ratione non minùs ab invicem, quam oratione differre cenſendum eſt? Sanè cum utrumque ad argumenti vim capiendam æquè perſpicias expeditum, nihil eſt cur alterum præ altero recolendis aſſumptis impediri conjicias. Ita cum ſe Catholici omnes, Veracitati divinæ ab Eccleſiâ propoſitæ pia, ſubmiſſa, & ſecura perſuaſione ſubjiciant, non aliter propterea de Deo ſentiunt, quod ſibi alia ſentire videantur. Si Eccleſiæ tot ſignis, quæ Deum Authorem indicent, illuſtratæ, Hæreticorum more non crederent; haud temere exiſtimare liceret, iis Deum erroris vel gignendi, vel fovendi, vel inſidioſe ſinendi ſuſpectum eſſe. Quin immo in eoſdem hanc ſuſpicionem convenire putarem, ex eo quòd è potentiâ quâdam Numinis abſolutâ, talia evenire poſſe doceant, niſi quod fieri poſſe non negent, id ne unquam accidat nihil metuant; haud magis quàm ne *paſcantur in æthere cervi, & freta deſtituant nudos in littore piſces.* Ita metum, ſed non metuendi cauſam procul habent. Nam cervi ne volent, vel areſcant maria timeri non ſolet, quia ſic ordo rerum turbari non ſolet, idque ex obſervatione didicimus diuturna: at ſi Deus ea facere poſſit, quibus error fiat inevitabilis, quin eadem faciat, ac fecerit ex animadverſione præterita conſtare non poteſt, de hac enim ſemper dubitare liceret. Quare quod de indoctis aſſerit Auguſtinus. *Cæteram turbam non intelligendi vivacitas, ſed credendi ſimplicitas tutiſſimam facit*, id ego de Doctoribus iſtis dicendum arbitror, quos pia ſimplicitas, quâ ſubtilitati falſæ renunciant, ſecuros in fide retinet. Ut fidei plus, aut certè non minùs obſcuritatis offundat Philoſophorum falſa ſcientia, quàm rudis inſcitia Ruſticorum. His lux parva, ſed pura: Illis magna, ſed denſis errorum nebulis obſcurata. Quibus autem ſcientiæ veræ principiis imbuta mens eſt, ii fidem tam clarâ luce conſpicuam intuentur, ut de eâ ſe abſque temeritate præcipite, & manifeſtâ ſtultitiâ dubitare non poſſe videant. Nihil enim abſurdi proponi, nil incredibile, Myſteria ad Philoſophiam exigendo, cognoſcunt; ea deinde ſigna conſpiciunt, quibus ut falſum indicetur, haud magis Dei eſt committere, aut permittere, quam Ve-

racitatis probrum admittere. Quamvis autem Notas, ut à Veritate prima ſignatas, neceſſitate maximâ, ſeu Metaphyſicâ, cum vero cenſeant colligatas; non tamen iiſdem idcirco de nexu tam arcto, evidentiâ conſtat Metaphyſicâ. Sed claritatem obſcuritate nonnulla dilutam habent, ut dubitationi locus ſit, licet dubitanti cauſa juſta non ſit: Neque enim ratio recta, ſed affectio prava dubitandi cauſam invenerit. Eſtque in omni ætatum memoriâ omnino inauditum, ut inter doctos, & ingenioſos quiſpiam à fide defecerit, quem non ambitio, libido, vindicta, vel alia depravata cupiditas prius à virtutis, quam veritatis viâ deflexerit. Neque etiam è rudioribus ullus ab Eccleſiâ deſciſcit, qui Pietatem animo ſincero colat. Nam licet Eccleſiæ ſigna ut tardis, & parum initiatis apparent, talia non ſint, quin alia magis ſpecioſa vafer, & ſubtilis Hæreticus poſſit opponere; nemo tamen pius eſt, cui interiores animi motiones deſint, quæ illum arcano ſuſurro moneant, ne viam inceptam deſerat, quam hactenus ſequendo Deum ſibi ſenſerit adfuiſſe; tum ratio communis admonet ut viros doctos, & probos conſulat priuſquam Eccleſiam novæ ſectæ poſtponat; quibus proclive erit, argumenta etiam ad vulgi captum accommodata proferre, quæ Hæreticorum argutias longè ſuperent.

De fide rudium qui ſine culpâ falſi quidpiam veris admixtum credunt.

§. 70. Haud tamen inficias ierim, indoctum aliquando, Doctoris minimè ſuſpecti, atque Eccleſiæ doctrinam præ ſe ferentis aſtutiâ, & contra fidem in aliquo, & citra culpam errare: Immo in culpâ foret, ſi in errore non eſſet. Neque enim quoties plebs ignara Paſtoribus credere debet, toties ea audit, & capit, quibus verum à falſo dijudicet. Niſi forte ubi articulis decem, unus falſus intexitur, mox illo audito, Deum ſibi quiſque cordis auriculas vellicantem ſentiat, atque ut à fraude caveat intùs monentem audiat. Id autem ſi & omnibus, & ſemper eveniret, multorum experientia conſtare, & teſtibus multis evinci poſſet. Quod quia Theologi præſtare nequeunt, in difficultates magnas incurrunt. Articulos enim omnes fide divinâ recipi, affirmare non audent; tum ne fidem errori fateantur obnoxiam; tum ne falſum, primæ Veritatis auxilio ſpeciali, credi aſſerant: ſin articulos novem veros, unius falſi indiſcreta permixtione, fides divina reſpuat; pia multorum, & ſimplex, Deoque chara docilitas, doctrinæ cæleſtis fructu, & ſæpe, & ſine culpa privabitur: ſin autem habitum fidei tantâ ſagacitate præditum, ut falſum quantumvis ſollerter abſconditum odoretur, excogitant; figmentum nec utile, nec credibile comminiſcuntur. Nam quæ diximus, & iis qui habitu vel amiſſo, vel nun-

nunquam poſſeſſio carent, accidere poſſent. Deinde qui illum habet, qualitatem inertem, & cœcam habet, quam aliunde excitari, & dirigi ad agendum oportet. Cedo mihi quippiam, quod eandem moveat, & doceant, ut de novem articulis perſuaſionem firmam efficiat, à decimo conatum avertat, aut cohibeat. Propoſitio externa, quantum rudes intelligant, falſum à vero non diſcriminat: de monitione interiore quæ errorem prodiderit, ſi eos interroges, nihil audies. Se quidem animi candore minime ſuſpicace, credidiſſe Paſtori de toto promiſcue reſpondebunt, nec quare de parte ſecus crederent, ſibi quicquam in mentem veniſſe jurabunt. At Deus fortaſſe cooperationem ſupernaturalem, qua ſola fidei divinæ habitus ad opus erigitur, aſſenſioni de novem eliciendæ ſuppeditat; de decimo ſolam naturalem ſufficit. Multa ſimul haud danda, & quædam nec profutura ſi dentur, poſtulas. Primo habitus ille quo niti vis, aliquando deeſt. Quem etenim Deus ad fidem vocat, aut revocat, is Paſtori Eccleſiæ laudes celebranti, ejuſque doctrinam per fraudem occultam profitenti pie, & prudenter de omnibus credere poteſt: deinde cooperatio illa immediata ſuperius rejecta eſt: tum ea conceſſa, undenam pluſquam ordinaria ad actum ſupernaturalem evincitur? Nam mens prius illuſtrata, & inflammata divinitus, id eſt ſupernaturali auxilio roborata, vires natura majores obtinet; de hac cooperatione loquuntur Patres, de illa tacent: præterea operatione quacunque immediata actus falſi productionem attingere, veritatem primam, & puram dedecet. Quid? Quod habitus cooperatione illa, quam prædicas, *ſimultanea*, tantum in agendo juvatur, non autem ad agendum excitatur, neque ad opus certum è multis deſtinatur. Ecquis enim habitu miſericordiæ inſtructus, è pauperibus decem, certum quemdam præterit, niſi illum paupertatis fictæ nomine ſuſpectum habeat? Si quis autem ſemper pauperes ſimulatos, licet indicio nullo cognitos prætermitteret; id non modo operæ divinæ tribueres, verumetiam inter opera Dei rariſſima, & prodigioſa cenſeres; nedum omnibus qui habitu illo, quod de fide aſſeris, potiantur aſcriberes. Quod ſi in fidem, quæ facultatis ad verum intentæ virtus eſt, id convenit ſingulariter ut à veri ſcopo non aberret, quo duce, qua via deflectat à falſo, non de rebus ignotis divinando, ſed nota promendo monſtrandum eſt; alioqui fidem intellectus virtutem tantummodo inchoatam, non inſtar ſcientiæ abſolutam oſtendis. Atqui augurantis eſt potius, quam Philoſophantis aſſerere articulum falſum ab habitu naturali, veros à ſupernaturali procedere; Deo illic operam communem, hic ſingularem, ſed clam omnibus qui

eam accipiant, conferente. Namque interrogando ſexcentos, qui ſibi tunc aliter de veris ac falſo perſuaſum fuiſſe ſenſerit, tot inter invenies prorſus neminem. Actus tamen ſupernaturales præſertim eximii, quos Deus etiam rudibus elargitur à naturalibus frequenter Notis haud obſcuris, tametſi non uſquequaque certiſſimis, diſtingui ſolent. *Novit is*, inquit Dyoniſius, *qui veritati conjunctus eſt, quam bene ſe habeat.* Neque judices, qui de viris opinione ſanctitatis illuſtribus conſecrandis uſitato modo cognoſcunt, miracula tantum, ſed & mores examinant, & actuum ſupernaturalium, ſive in cœlum ducentium, ſigna conquirunt: Diſcipuloſque Magiſtri ſpirituales argumenta docent, quibus de ſuo quiſque ſtatu haud temere judicet, an credat, ſperet, amet, & doleat nec ne prout oportet, ut ſe delictis veniam adeptum, & apud Deum in gratiam reſtitutum putet? Aurum adulterinum à vero vel colore, vel pondere, vel liquore corrodente, vel igne conſumente, vel aliquo tandem ſigno internoſcitur. Antimonium ægre à pulvere inſipido, & inefficace diſtinxeris, at paulo poſt vires exerit, ſeque noſcendum exhibet. Proprietatibus certe prius, quam nominibus propriis diſparitas rerum innotuit. Actum tamen ſupernaturalem hoc loco licet imis animi, quo rerum diſcrimina dijudicantur, viſceribus inſidentem, neque guſtu quodam, neque effectu quocunque ſentiri vis; ſed nomine tantum à Notis occultis dirivato, ſupra actum naturalem, à quo virtute longiſſime diſtat, evehis, atque alterum ab altero, efficacitate nulla, aut dignitate propria, ſed ſola Dei acceptantis voluntate diſtinguis, tametſi verbo tenus differentiam interiorem & maximam, & *quoad ſubſtantiam*, fatearis. Poſtremo ne diſtinctionem quidem, nedum differentiam tantam evincis. Nam ſi actus unus qui fides, ſcientia, & opinio ſit, objectum unum materiale per plura formalia, & contraria intuetur, multo facilius alter per unum formale materialia plura ſpectabit, ideoque articulum unum falſum veris immixtum, atque eadem authoritate ſubnixum, actu unico approbabit.

c. 7. de div. nom.

Nodi ſolutio.

§. 71. Sed tanti refert nec fidem errare, nec Deum errori favere, neque rudes immerito fidei fructu carere; ut ad incertum, & dubium, per conjecturas inanes revocari, nequaquam expediat. Inſpiciamus attente quid fides Chriſtiana ſit, qualis ejuſdem actus, & habitus, quo pacto à nobis, à Deo procedat; fortaſſis hic ut alibi, non tam rerum obſcuritate, quam verborum ambiguitate, aut opinionum perverſitate, Scholaſticos in tricas, & tenebras incidiſſe videbimus. Fides porro modo res credendas, modo actum aut habitum credendi ſignificat. Credenda vero ſunt, quæ Deus dixit, & Eccleſia ab eo dicta fuiſſe teſtatur. Hæc ab errore veracitatis divinæ præſidio tuta præſtitimus. Actus autem nullus appellatur fides, niſi qui, & quatenus Dei

Dei dicta, atque ab ejusdem veracitate persuasus, amplectitur. Nullus igitur actus, prout fidei nomine insignitur, errori subjectus esse potest. Quare si uno quispiam falsa veris admixta, pie, & prudenter admiserit, nihil est cur eum fidei divinæ merito spoliandum putes, ne fides ipsa falsitatis ignominia notetur. Neque enim fallitur qua fides dicitur; Deoque loquente, & Ecclesia testante nititur; neque etiam Deus falsitatis Author, aut fautor censendus est; quippe qui nec cooperatione ulla immediata assensionem illam intellectus attingat, neque gratiam ullam prævenientem, aut adjuvantem impertit, quæ ad eam proxime, vel proprie, vel privatim impellat. Intus enim hominem monet, & movet generatim, ut quam doctrinam veluti à Deo traditam, atque ab Ecclesia probatam audierit, eam ubi dubitandi causa non cernitur, reverentia, & humilitate, quas supra descripsimus, atque abnegatione recipiat. Quæ quidem affectio ad plurima spectat, & quoad eam contraria non eraserit, perseverat; perque audita, & visa sine excitatione nova supernaturali animum ad multa credenda potentem aliquamdiu, & promptum efficit; ut nihil prorsus appareat, unde illam huic articulo falso destinatam à Deo conjicias. Nisi forte suspicionem injiciat conditionalis illa scientia, quam hujuscemodi verbis exprimimus; si Petri animum ad pie credendum præparavero, mox ei Paulus per fraudem illudet. Ea enim velle, aut non nolle, aut certe non admodum aspernari videmur, quæ ex opere quod sponte, & voluntate nostra facimus citissime, & certissime eventura prænoscimus. Quare qui scientiam istam addunt, tametsi cooperationem Dei immediatam, tam naturalem, quam supernaturalem tollerent, minus eum, quam oporteat, abhorrentem à falso constituunt. Me vero nil cogit Deum erroris, quem tam cito, & certo secuturum è facto suo prævideat, Authorem, vel fautorem asserere; cum in eo rationis signo, quod ei veluti deliberanti tribuimus, atque agendi decreto præponimus, quid Petrus & Paulus acturi sint non prospexerit, id enim per decretum ex æternitate quidem omni fixum, nullo autem tempore refigendum innotuit. Quamvis autem naturæ nostræ, Parentis primi flagitio, occœcatæ, ac depravatæ contuitu, errores aliquando ab illustratione, & affectione, quam ipse per se imprimat, generali, per quorundam malitiam, atque aliorum ignorantiam profecturos esse sat sciat; satis tamen cura universali providit, ut extarent veri falsique *Criteria*; & multo nos longius non modo à peccandi, sed ab errandi periculo semovisset, nisi peccatum, & erratum Adami voluntarium obstitisset. Neque tamen obstaculum istud ita bonitatis, & veritatis summæ progressum impedit, ut huic actui, quem hic, & nunc malum, aut falsum fore præsentiat, vel cooperatione immediata, vel monitu, & instinctu speciali, & proximo in-

vitamentum, incitamentum, aut adjumentum apportet. Quod si actus à Deo nullus infunditur, quem errori hic & nunc procreando ſpeciatim addictum poſſis evincere, nihil eſt, quod ab habitu timeatur incommodi: Hunc etenim ab actibus, qui fidem ipſam exercitam conſtituunt, & efficiunt, haud aliter diſtinguendum eſſe docui, quam quod hi per motionem quandam corporis ad ſingularia applicantem in uſu ſint; ille non item, ſed modificatione tantum animi continetur, qualem etiam infantes à Deo inſtillatam habere poſſunt, antequam ea per inſtrumenta corporea uti, eandemve per uſum ſentire queant, ne forte de habitu quem Baptiſmus infundit, dubites. Qui licet in actibus ſitus eſt, infantes tamen actu credere non dicuntur, quia id actibus qui in uſu ſunt, non autem aliis qui tantum in habitu ſunt, ſeu qui habentur, & non exercentur conſuetudo loquendi tribuit. Sed quæ alibi dicta ſunt, quales ſint habitus ſatis oſtendunt. Ac de *concordia ſcientiæ cum fide* hactenus: quam non modo Eccleſiæ Romanæ-Catholicæ, verum etiam virorum doctrina præſtantium, & veritati ſedulo & ſincere ſtudentium, cenſuræ libens ſubjicio.


FINIS.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 183, Stück 1, [376] - 368
PUBLIC DOMAIN

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 183, Stück 1, [377] - -


PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 183, Stück 1, [378] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 183, Stück 1, [379] - -

PUBLIC DOMAIN

GWLB Hannover 35
036 856 274

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 183, Stück 1, [380] - -

PUBLIC DOMAIN

Niedersächsische
Landesbibliothek
3 Hannover
Am Archive 1

I 3509

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 183, Stück 1, [381] - -

PUBLIC DOMAIN




GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 183, Stück 1, [382] - -

PUBLIC DOMAIN

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK



Signatur: Leibn. Marg. 183, Stück 1, [383] - ...